



WIDENER LIBRARY
HX IJTG 3


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

ISAEI
ORATIONES XI

CUM ALIQUOT

DEPERDITARUM FRAGMENTIS.

RECOGNOVIT

ANNOTATIONEM CRITICAM

ET

COMMENTARIOS

ADIECIT

GEORG. FRID. SCHÖMANN.

GRYPHISWALDIAE,

IMPENSIS E. MAURITII. MDCCCXXXI.

LUGDUNI BATAVORUM, APUD LUCHTMANNS. LONDINI, APUD BLACK YOUNG ET YOUNG, TREUTTEL ET WUERTZ. PARISIIS, APUD TREUTTEL ET WUERTZ. PETROPOLI RUSSORUM, APUD GRAEFF.

PRAEFATIO.

Oratores Attici quum diu neglecti ac deserti jacuissent, nostra demum et patrum nostrorum memoria exstiterunt qui paullo accuratiorem in eorum vel emendatione vel explicatione diligentiam collocarent. Nam post F. A. Wolfium, qui primus in Demosthenis Leptinea ostendit, qua quis ratione in emendandis et explanandis horum oratorum reliquiis uti deberet, non solum in jus Atheniensium publicum et privatum majore quam antea cura et subtilitate inquiri coeptum, sed orationes quoque unum saltem qui muneri suo par esset criticum, editores autem et interpretes aliae alios nactae sunt, multis, ut fit, in patefactum semel campum cupide involantibus. Ceterum in tanta editorum sedulitate adhuc fere nemo inventus est, qui privatarum causarum orationibus perpurgandis et illustrandis operam debitam praestaret: neque id adeo mirum, quandoquidem nec rerum, in quibus pleraeque earum versantur, tenuitas et dicendi genus huic rerum tenuitati accommodatum allicere multos ad legendum et retinere posse videtur, neque vero intelligi hae orationes et explicari possunt sine accuratiore juris Attici cognitione, quam nostro-

rum grammaticorum plerique nimis a professione sua alienam putant. Haud supervacaneum igitur laborem mihi suscepisse videor, aut occupasse quod alii fortasse melius et studiosius acturi fuissent, quum eum mihi oratorem tractandum sumpsi, qui totus est in hoc privatarum causarum genere, et quo nullus adhuc magis ab omnibus neglectus fuit; illud potius verendum, ne ingratus labor appareat, et perpauci etiam posthac ad lectitandum Isaeum promptiores futuri sint. Quamquam si quis et jus civile Atheniensium et fori consuetudinem causarumque tractandarum rationem et totum hoc judicialis eloquentiae genus non prorsus spernendum et cognitione indignum esse statuat, non video quem oratorem, si ab uno omnium principe discesseris, potiorem judicet Isaeo, cujus de civili jure orationes et plures sunt quam ceterorum, praeter Demosthenem, omnium, eaeque in una quadam juris parte versantes, quae ex his fere solis cognoscenda est, et ad Demosthenis incomparabilem praestantiam in hoc quidem tenui ac subtili genere dicendi omnium proxime accedunt. Et agnovit sane hanc Isaei laudem consentiens veterum ac recentiorum criticorum judicium, praedicavitque imprimis Dionysius Halicarnassensis eo quem de Isaeo composuit libello, ut nobis quidem hunc locum accuratius pertractare nihil opus sit; verum haud multo minus tamen a veteribus Isaeus neglectus fuit, quam a recentioribus. Nam et rhetores, qui artis, cujus ille et magister sollertissimus et optimum exemplum fuit, praecepta tradunt, rarius tantum ejus mentionem faciunt, et grammatici, qui aut de sermone Attico aut de jure ac foro exponunt, Isaeum testem haud sane frequenter citare solent: denique qui de vita ejus

scripserunt, Dionysius et Pseudo-Plutarchus parum sibi de eo compertum esse queruntur. Hoc ipsum ambigebatur, qua patria oriundus esset, quum Hermippus libro secundo de Isocratis discipulis Atheniensem, Demetrius autem in commentario de poetis cognominibus Chalcidensem diceret. Vid. Harpocrat. in Ἰσαῖος. Hanc dissensionem ita aliquis componi posse crediderit, ut Chalcidensis appellari statuatur a solo natali, Atheniensis ab urbe in qua vel inquilinus fuerit vel in civitatem receptus. Atqui Hermippus Ἀθηναῖον τὸ γένος dixit, quod non potest de adscripticio accipi. Et potuit sane fieri, ut Chalcide natus, neque minus tamen ingenuus esset civis Atticus, siquidem Chalcidensis agri aliquam partem usque ad Ol. XCII, 2 tenuisse videntur Attici cleruchi, eorum posteri, qui paucis ante bellum Persicum primum annis Chalcidem missi erant. Cleruchos enim patriae civitatem retinuisse et modo ab hac modo ab illa in quam missi erant appellatos esse satis constat. Patrem Isaei Diagoram fuisse tradit is, qui vitam conscripsit in nonnullis orationum codicibus extantem et ab Aldo, Bekkero nobisque orationibus praemissam, a Reiskio autem in prima annotatione ad Dionysii libellum repetitam. Annum natalem nemo tradidit: floruisse autem Isaeum post bellum Peloponnesiacum et ad Philippi Macedonis regnum perdurasse ipsae orationes argumento sunt. Siquidem ex iis, quarum tempus aliqua ratione cognosci potest, postrema est ea quam de Apollodori hereditate scripsit, tertio aut quarto, ut nobis quidem videtur, Ol. CVI anno. Prima autem de Dicaeogenis hereditate, habita Ol. XCVII, 3, decimo quinto post bellum Peloponnesiacum anno. Quodsi hanc omnium, etiam quae inter-

ierunt, primam fuisse sumas, id quod parum probabile esse apparet, scriptam autem ab adolescente viginti quinque annis haud majore, quod et ipsum non admodum credibile videri possit, natum tamen Isaeum consequetur non post Ol. XC, 2, sed aliquot, ut opinor, annis ante. Hinc fortasse post defectionem Euboeensium Ol. XCII, 2 puerulus cum patre Athenas migravit, ibique reliquum vitae tempus peregit. Florebat eo tempore Athenis eloquentiae studium ac disciplina, a Gorgia et Polo inchoata, ab Antiphonte exculta, mox a Lysia et Isocrate propemodum consummata. Horum utroque Isaeus magistro usus esse dicitur: quamquam de Isocrate dubitarunt nonnulli propter Pseudo-Plutarchum, qui hunc docere coepisse tradit Lysistrato demum archonte, Ol. CII, 4, quo tempore Isaeus plus quam quinquagenarius fuit. Mihi tamen non tanta videtur hujus scriptoris auctoritas, ut Hermippum, cujus satis disertum est apud Dionysium testimonium, hac in re falli potuisse credam. Mox ubi satis profecerat, oratorium quaestum facere coepit, ex more illius temporis orationibus pacta mercede componendis, quibus litigantes in judicio uterentur. Ex hoc genere omnes sunt quae aetatem tulerunt Isaei orationes, praeter unam fortasse de Nicostrati hereditate, quam ab ipso habitam summarii auctor prodidit. Praeterea etiam ludum aperuit et ad artes componendas se transtulit. Inter discipulos Demosthenem fuisse satis constat, cujus primas orationes ab adolescentulo contra tutores habitas fuerunt qui propter similitudinem dictionis et compositionis aut ab ipso Isaeo aut certe hujus auxilio scriptas esse crederent. Et est sane aliqua harum cum Isaeo similitudo, neque tamen, meo

quidem judicio, major quam aliarum quarundam, ex quibus unam, etiam a veteribus criticis Demostheni abjudicatam, nemini libentius quam Isaeo ego vindicaverim. Sed de hac alias dicetur. — Ad rempublicam non videtur accessisse: certe quotquot a veteribus laudantur orationum tituli in uno judiciali genere eloquentiam ejus versatam esse fidem faciunt. Ferebantur autem Photii et Pseudo-Plutarchi aetate orationes Isaei quattuor et sexaginta, e quibus quattuordecim spuriae. Titulos Meursius et Fabricius congesserunt quinquaginta quinque, quos huc transcribere supervacaneum est. Horum tres sunt quibus *νοθείας* significatio additur, duo in quibus nomen scribarum errore vitiatum est. Nam quae ab Harpocratione in *ὅτι παιδί* citatur *περὶ τοῦ Ἀλεξάνδρου κλήρου* non aliam esse quam orationem de Aristarchi hereditate manifestum est, et a Meursio et Fabricio intellectum: neque minus recte Fabricius orationem *πρὸς Νεοκλέα περὶ χωρίου* eandem esse statuit, quae alibi *πρὸς Νικοκλέα περὶ χωρίου* dicitur. Quod autem is etiam orationem *πρὸς Ἁγνόθεον*, cujus Dionysius mentionem facit jud. de Is. p. 611 R., non diversam putat ab oratione de Nicostrati hereditate pro Hagnone et Hagnotheo, ostendit profecto se neque Dionysii locum neque hanc Isaei orationem accurate legisse.

Ex veteribus grammaticis qui Isaeum commentariis illustraverit unum invenio Didymum illum *χαλκέντερον*, cujus *ὑπομνήματα Ἰσαίου* ab Harpocratione citantur in *γαμηλία*. Post renatas literas primus Isaeum edidit Aldus Manutius, una cum reliquis oratoribus, qui vulgo minores dicuntur, Venetiis 1513. Duo sunt volumina in folio, sed formae minoris, quorum prius

Aeschinem, Lysiam, Alcidamantem, Antisthenem, Demadem, Dionysii libellum de Lysia complectitur, alterum habet Andocidem, Isaeum, Dinarchum, Antiphontem, Lycurgum, Gorgiam, Lesbonactem, Herodem. Codicibus Aldus usus est, quos Lascaris a Laurentio Mediceo ad libros conquirendos in Graeciam missus ab Atho monte reportaverat. — Sequutus est Henricus Stephanus, qui eosdem illos oratores, sed alio ordine dispositos, uno volumine edidit Parisiis 1575 fol. Codicibus, Isaei quidem, nullis usus est: plurima tamen Aldinae vitia, vel codicum scripturae vel typographi incuriae imputanda, partim tacite sustulit, partim in margine notavit emendationibus simul propositis. Nonnulla, sed perpauca, depravasse potius quam emendasse dicendus est. — Tertius Isaeum una cum Antiphonte et Andocide edidit Alphonsus Miniatus Bononiensis, Hanoviae typis Wechelianis 1619 oct. Haec editio nihil nisi Stephanianam repraesentat, etiam emendationibus Stephani omnibus in extremo volumine repetitis, neque proprii quidquam habet praeter operarum errores et interpretationem Miniati latinam, omni vitiorum genere insignem. — Hunc nemo sequutus est ante Reiskium, qui septimo oratorum graecorum volumine Isaeum cum Dionysii judicio de Isaeo et Antiphontem edidit, Lipsiae 1773. Codicibus ne hic quidem usus est: ex ingenio multa sagaciter restituit, alia inconsultius mutavit conjecturasque non paucas inutiles et supervacaneas proposuit, rerum denique explicationem obiter tantum et levius attigit. Adjecit tamen interpretationem latinam haud contemnendam, et indicem graecitatis satis accuratum. Ceterum hoc loco etiam de Scaligeri, Taylori, Tophami et Brularti

notulis dicendum est, quarum passim Reiskius mentionem fecit. Scaliger enim duobus Aldinae editionis exemplis, quorum alterum postea Oxonium in bibliothecam Bodleianam, alterum Ultrajectum pervenit, aliquot conjecturas adscripserat, quae cum Reiskio ab amicis communicatae sunt. Vid. Reisk. praef. ad Schol. in Aeschin. O. G. tom. III p. 716. 717. Taylori annotationes Stephanianae margini adscriptas Reiskius ab Askewio accepit. Vid. tom. VII p. 848. tom. VIII p. 4. Ab eodem Askewio accepit etiam notulas quasdam Tophami, quem ipse Tophanem dicit et quis fuerit homo nescire se profitetur ad Isae. p. 65. Fuerunt autem illae uni chartulae inscriptae in exemplo editionis nescio cujus, quod olim Tophami fuerat, postea in bibl. Etonensem pervenerat, a Tayloro transcriptae et cum ejus schedis ad Reiskium transmissae. Vid. Jones. nott. ad Isae. p. 291. Brularti denique notulas Stephanianae editionis exemplo adscriptas Brunckius ad Reiskium misit. *Je crois*, inquit Brunckius ap. R. tom. IV epil. p. 138, *que c' est Brulart de Silleri, qui etoit dans le ministere sous Henri IV.* — Post Reiskium optime de Isaeo meritus est Guilelmus Jonesius Britannus, orationibus ejus in vernaculum suum sermonem eleganter conversis et annotatione breviore quidem sed erudita illustratis, adjecto praeterea commentario accuratissimo de jure hereditario Atheniensium. Prodiit liber Oxonii 1779 quart., repetitusque est in Jonesii operum collectione tom. IX. Jonesium sequutus est Athanasius Augerius, cujus francogallica conversio trium oratorum, Lycurgi, Andocidis, Isaei cum aliquot Augerii annotationibus prodiit Parisiis 1783 oct. Hunc librum quum in bibliotheca Berolinensi in-

spexissem, accuratiore cognitione supersederi posse judicavi: nam ad Isaeum quidem nihil afferri videbatur nisi quae a Jonesio occupata essent. — Post biennium autem ad decem, quae solae ad id tempus superesse videbantur, Isaei orationes accessit undecima, de Meneclis hereditate, e codice Laurentiano edita a Thoma Tyrwhitto, Londini 1785. Repetierunt hanc Gottingenses in Bibliotheca antiqu. litt. et artt. 1788 fasc. 3, et Conradus Orellius, Turici 1814, uno volumine conjunctam cum Isocratis oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως ab Jo. Casp. Orellio edita, adjectis ad Menecleam etiam Bremii et Jo. Casp. Orellii annotationibus. Mox aliud Isaeo accessit incrementum, orationis de Cleonymi hereditate pars major adhuc desiderata, ex Ambrosiano codice ab Angelo Maio edita, Mediolani 1815, adjecta etiam varietate lectionis in or. Menecl., ex eodem codice a Maio enotata.

Haec fuerunt ante Bekkerum de Isaei orationibus exterorum et nostratium merita: nam duas editiones Lipsienses Tauchnitii et Weigelii sumptibus curatas commemorare nihil attinet. Bekkeri autem opera quam salutaris quum ceteris oratoribus tum Isaeo fuerit neminem ignorare par est, neque ego talis viri laudes mea commendatione egere arbitror. In Isaeo autem restituendo codicibus usus est sex, siglis A. B. L. P. Q. Z. designatis. Horum primus A., ceteris et bonitate et integritate praestans, Crippsianus est, membranaceus, forma maxima, foliorum 170. Habet sicut ceteri Antiphontem, Andocidem, Isaeum, Dinarchum, Lycurgum, Gorgiam, Alcidamantis Ulixem, Lesbonactem, Herodem. Saeculo decimo tertio exaratum esse Osannus statuit praef. ad Lycurg. p. XI.

Fuit Batopedii, est musei Britannici (Burnei. 95. B. f.) delatus in Angliam Burneioque venditus ab eo cujus nomen gerit itineris Clarkiani socio. Vid. Bekk. O. A. tom. I p. 3. — Alter B. Laurentianus est, ad Crippsiani laudem proxime accedens, secundum Bandinii catalogum vol. I p. 532 chartaceus, forma quadrata, saeculi decimi quinti. Tertius L. Marcianus (Append. class. 8. cod. 6.) membranaceus, foliorum 140, quorum primo haec scripta sunt a manu recentiore: *τοῖν καὶ παλαιᾷ γένους εὐδοξίᾳ καὶ περὶ ἄμφω τὼ λόγω προκοπῇ διαφερόντοιν ἐφήβοιν παύλῳ καὶ λαδισλέῳ πουρλιλιῶν κομήτοιν.* Bekk. l. l. Hic quum in omnibus fere cum Vratislaviensi conspiret, a Bekkero non nisi ad primam et tertiam orationem collatus est: secundam enim non habet, neque primae partem posteriorem. Quartus P. Ambrosianus (A. 99.) chartaceus, forma quadrata, foliorum 265, ante oratores etiam Harpocrationem habet. Fol. 216 verso haec leguntur: *τῷ συντελεστῇ τῶν καλῶν θεῷ χάρις. μιχαῆλος ἀργεῖος. ἐν φλωρεντίᾳ πόλει ἰταλίας μετὰ πολλῶν ἄλλων καὶ ταύτην ἐξέγραψα τὸ ἐπίκλην τάχατε καὶ σουλιάρδος. οὐ χάριν δώρων ἀλλ' ὑπὲρ πατρίδος.* Bekk. tom. I p. 85. Hunc, utpote recentissimum, Bekkerus ad primam tantum orationem contulit. Quintus Q. item Ambrosianus (D. 42.) Isaei solas habet primam et secundam, aliorum multa, patrum fragmenta, Lysiae *ἐπιτάφιον*, Gorgiae Helenam, Aristidis et Polemonis declamationes aliquot, Andocidis de pace et adversus Alcibiadem orationes. Bekk. tom. III p. 3. Hunc Maius saeculo decimo quarto exaratum esse autumat praef. ad Isaei or. de Cleon. her. p. 9. Sextus denique Z. Vratislaviensis, gymnasii Magdalenaei, chartaceus est et post oratores etiam Harpocrationem habet. Saeculo

decimo quarto exaratus videtur Passovio Symb. crit. in script. Gr. et Rom. e codd. mst. Vratislaviensibus. Vrat. 1820. Horum codicum lectiones quotquot a Bekkero commemoratae sunt diligenter a me in annotatione critica repetuntur: novis subsidiis non usus sum praeter collationem codicis Parisini, quem sigla R. designavi, ad primae orationis partem priorem. Hanc Meierus meus ad me transmisit a Boissonadio olim sibi curatam. Totum codicem accuratius conferre vix operae pretium fore arbitror, quippe qui, ubi a ceteris dissentit, id quod non raro accidit, eas habeat lectiones, quas manifestum sit non ex meliore aliquo exemplari ductas esse, sed correctori, non indocto quidem, deberi. Praeterea Aldinam, quam Bekkerus neglexit, paullo accuratius contuli, fructu, si non magno, attamen nonnullo. Omnes autem hujus scripturas commemorare nihil attinebat; et multas etiam ex iis, quae commemoratae sunt, satius fortasse fuerat omitti. Etiam Stephanianae lectiones non omnes, sed memorabiliores tantum enotavi: nonnullas negligentia mea praetermissas in Addendis perscripsi. — Jam vero talibus me subsidiis instructum de nova recensione cogitare non potuisse apparet. Feci igitur, quod debui, ut Bekkerum potissimum sequerer, nisi ubi aut propter codicum auctoritatem aut propter certas rationes aliam lectionem recipiendam esse judicarem. Factum id autem locis circiter sexaginta: quamquam de duobus nunc me judicii mei poenitet, de quibus dictum est in Addendis. Receptarum a me lectionum causas, nisi quum per se ipsae satis manifestae videbantur, in commentariis exposui: quarum rationes etiam me tacente nemini obscurae fore viderentur, verbo indicare in an-

notatione critica satis habui. In hac etiam conjecturas quasdam proposui, quae longiorem orationem non requirerent: ceteras in commentariis: quamquam sunt etiam in his nonnullae, de quibus in annot. crit. monere satis fuerat, sed quae serius se obtulerunt. Ceterum quum permultis locis veterem lectionem Bekkerus tacite mutaverit, harum mutationum duplex genus esse apparet: alterum, ubi reposita a Bekkero lectio nihilo melior est vetere, alterum, ubi veterem manifesto corruptam commutavit cum meliore, in quam nonnunquam etiam Reiskius conjectura inciderat. Jam illud Bekkerum non commissurum fuisse scio, ut mutationes, quae non essent necessariae, praeter graviorem codicum auctoritatem reciperet: quamobrem in hujusmodi locis hunc ego sequutus sum, nisi ubi veterem lectionem praestare censui. Alterius autem generis mutationes e conjectura haud dubie vel ipsius Bekkeri vel Reiskii profectae sunt, quas ego adoptavi; nisi ubi melius aliquid mihi ipse videbar invenisse. Unum levius hoc loco attingendum videtur, usus pronominum αὐτοῦ et αὑτοῦ, in quo quam rationem Bekkerus sequutus sit non ubique satis me perspexisse fateor, quam ego sequutus sim, non obscurum attento lectori fore confido. In orthographicis nonnunquam peccatum, certe non eandem semper rationem constanter servatam esse ignoscent, spero, cordati lectores: vitilitigatoribus poenas dare non recuso. Describendum enim operis Lipsiensibus dederam Weigelianum exemplum mea manu correctum, in quo negotio nonnulla vel oculos meos paullo obtusiores vel animum non satis his rebus intentum fugisse nemo mirabitur. Sunt autem talia nec multa nec magni momenti: plura ne forent, cavit doctissimi adolescentis, Hermanni

Sauppii diligentia qui corrigendi typographorum specimina negotium suscepit, susceptumque peritissime administravit et de multis rebus per epistolas crebro me commonuit. Ceterum primam plagulam non hic sed alius correxit, quamobrem quae in hac peccata sunt, Sauppius praestare non debet. Unum ab ipso commissum p. 80 §. 26, de quo monui in comment. p. 336, postea sartum est folio isto iterum descripto. — In deprimendo oxytonorum ante minorem interpunctionem accentu peccatum multis esse videbitur, quandoquidem obtinet hodie apud plerosque contraria consuetudo, quam ego non imitandam esse duxi. Scilicet conjuncta haec res est cum interpungendi ratione, de qua qui certi aliquid praeceperit, ita ut omnem de singulis locis dubitationem eximeret, nondum inveni quemquam. Prudentissime sane, qui declamandi rationem interpunctione sequendam statuunt: sed haec ipsa non nimis certa est, quum alius aliter vocem moderetur et variis saepe modis pariter uti liceat. Interim ego, ut in re incerta, in eam potius partem peccare volui, quae tutior esset, ut non erigerem accentum, nisi ubi plane necessarium videretur, ceteros erigendos lectorum arbitrio permitterem. Sed de his minutiis satis et plus satis dictum arbitror. De commentariis autem meis hoc unum praefari liceat, curasse me, ut nihil intactum praetermitterem, quod ad Isaeum recte intelligendum pertinere videretur. Quid praestiterim, lectorum esto judicium.

Scrib. Gryphiswaldiae prid. Cal. Octobr. MDCCCXXX.

ΓΕΝΟΣ ΙΣΑΙΟΥ.

Ἰσαῖος ὁ ῥήτωρ ἐγένετο κατὰ μέν τινας Ἀθηναῖος, κατὰ δέ τινας Χαλκιδεύς, πατρὸς δὲ Διαγόρου, μαθητὴς δὲ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους· ἤκμασε δὲ κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, καὶ ἐπεβίω μέχρι τῆς Φιλίππου ἀρχῆς, ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς ὁ κριτικός. λέγεται δὲ μειράκιον μὲν ὢν ἡδοναῖς σχολάζειν καὶ πότοις, καὶ λεπτῆς ἐσθῆτος ἀντιποιεῖσθαι καὶ συνεχῶς ἐρᾶν, ἀνὴρ δὲ γενόμενος τοσοῦτον μεταβεβληκέναι τὴν πολιτείαν ὥσθ᾽ ἕτερον ἐξ ἑτέρου δοκεῖν. Λιδύος γοῦν ἐρωτήσαντος αὐτὸν εἰ ἡ δεῖνα καλὴ αὐτῷ φαίνεται, λέγεται εἰπεῖν „οὐκ οἶδα· τοὺς γὰρ τοιούτους ἀφῃρέθην ὀφθαλμούς.“ ταῦτα δέ φησι Φιλόστρατος ἐν τοῖς βίοις τῶν σοφιστῶν, οὐ πάντως περὶ τούτου λέγων Ἰσαίου· ἀμέλει γοῦν καὶ Ἀσσύριον αὐτὸν καλεῖ. ἄδηλος δὲ ὁ ἀκριβὴς τοῦ θανάτου αὐτοῦ χρόνος. χαρακτῆρα δὲ τὸν Λυσίου πάνυ ἀκριβῶς ἐζήλωσεν, ὥστε μηδὲ ῥᾴδιον εἶναι διελεῖν τοὺς λόγους. ἔστι δὲ αὐτοῖς ἡ κοινωνία κατά τε τὴν λέξιν καὶ τὰ ἐνθυμήματα, κατὰ μὲν τὴν λέξιν, ὅτι ἡ Λυσίου ἐστὶ καθαρὰ καὶ ἀκριβὴς καὶ σαφὴς καὶ κυρία καὶ σύντομος, ἔοικε δὲ κατὰ ταῦτα πάντα ἡ Ἰσαίου σχεδόν. διαφέρει δὲ ὅτι [τῇ μὲν Λυσίου]

πολὺ τὸ ἀφελὲς καὶ τὸ ἠθικόν, καὶ ἡ χάρις μεγάλη· ἡ δὲ Ἰσαίου τεχνικωτέρα δόξειεν ἂν εἶναι καὶ ἀκριβεστέρα καὶ σχηματισμοῖς διειλημμένη ποικίλοις· ὅσον γὰρ ὑπολείπεται [κατὰ τὴν χάριν], τοσοῦτον ὑπερέχει κατὰ τὴν δεινότητα. κατὰ μὲν οὖν τὴν λέξιν τοιαύτην εὑρήσομεν τὴν διαφοράν, κατὰ δὲ τὰ πράγματα ταύτην, ὅτι παρὰ Λυσίᾳ μὲν οὐ πολλὴν τὴν τέχνην εὑρήσομεν οὔτε ἐν τοῖς μερισμοῖς τῶν πραγμάτων οὔτε ἐν τῇ τάξει τῶν ἐνθυμημάτων, παρὰ δὲ Ἰσαίῳ πολλὴ τῆς τέχνης ἡ ἀκρίβεια. καὶ γὰρ προκατασκευαῖς χρῆται καὶ μερισμοῖς, καὶ πρὸς μὲν τὸν ἀντίδικον διαπονηρεύεται, τοὺς δὲ δικαστὰς καταστρατηγεῖ. πολὺς δ' ἐστὶν ἐν τῷ δικανικῷ, καὶ σχεδὸν μόνον τοῦτο ἤσκησεν. ἀμέλει γοῦν πηγή τις τῆς τοῦ Δημοσθένους ἐκαλεῖτο δεινότητος. αὕτη δὲ ἦν ἡ διαφορὰ Λυσίου καὶ Ἰσαίου, ὥστε Λυσίας μὲν ὑπὲρ ἀδίκων ἔπειθε λέγων, Ἰσαῖος δὲ καὶ ὑπὲρ ἀγαθῶν λέγων ὕποπτος ἦν.

I.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΚΛΕΩΝΥΜΟΥ ΚΛΗΡΟΥ.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Ἀδελφιδοῖ Κλεωνύμου τελευτήσαντος ἐπὶ τὸν κλῆρον ἔρχονται κατὰ γένος, τὰς διαθήκας, ἃς παρέχονται εἰς αὐτοὺς οἱ περὶ Φερένικον καὶ Σίμωνα καὶ Ποσείδιππον, γράψαι, ὡς ἀληθὲς ἦν, καὶ θεῖναι παρὰ τοῖς ἄρχουσιν ὁμολογοῦντες Κλεώνυμον κατὰ τὴν πρὸς Δεινίαν τὸν ἐπίτροπον αὐτῶν ὀργήν, ὕστερον δὲ ἐπιχειρήσαντα λῦσαι καὶ μεταπεμψάμενον τὸν ἀστυνόμον ἐξαίφνης ἀποθανεῖν· καὶ Πολύαρχον δὲ τὸν πάππον αὐτῶν, Κλεωνύμου δὲ πατέρα, προστάξαι, εἴ τι πάσχοι Κλεώνυμος, δοῦναι αὐτοῖς τὰ ὑπάρχοντα. Ἡ στάσις ὅρος διπλοῦς κατὰ ἀμφισβήτησιν. Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι ταῖς γενομέναις ἐξ ἀρχῆς διαθήκαις διισχυρίζονται, οἱ δὲ λέγοντες φασὶν ὅτι μετεκαλέσατο τὸν ἄρχοντα, ἵνα λύσῃ αὐτάς· καὶ τελευταῖον παρὰ τοῦ Κλεωνύμου γενομένοις.

Titul. ὑπὲρ R.

Summar. vers. 2. κατὰ τὸ γένος P. Z. — Ibid. καὶ, quod vulgo additur ante τὰς διαθήκας, om. Q. et Maius.

3. φερόνικον P. Z.

4. ἦν] ἤν A. B. L. P. Q. Z.

7. ἀποθανεῖν om. A. B. L. P. Q. Z. In R haud scio an adsit. Et add. jam Ald. ceterique omnes; Bekkerus tamen cancellis sepsit.

8. πάσχει L. P.

10. γινομέναις P.

11. διαθήκαις] δίκαις L. P. Z. — οἱ δὲ λέγοντες A. B. L. P. Q. R. Z. et Ald. οἱ δ' ἀντιλέγοντες Steph. ceterique omnes praeter Maium. Vid. comm.

12. φασὶν Bekk. Vulg. φασί, A. φησίν. — μετεκαλέσαντο A. B. L. P. Z.

13. Post τελευταῖον articulum τοῖς inser Reisk. et Bekk., om. Mai. cum A. B. L. P. Q. Z. et Ald. ταῖς — γενομέναις Steph. γενόμενος P.

*Πολλὴ μὲν ἡ μεταβολή μοι γέγονεν, ὦ ἄνδρες, τελευ-
τήσαντος Κλεωνύμου. ἐκεῖνος γὰρ ζῶν μὲν ἡμῖν κατέλιπε τὴν
οὐσίαν, ἀποθανὼν δὲ κινδυνεύειν περὶ αὐτῆς πεποίηκε. καὶ
τότε μὲν οὕτως ὑπ' αὐτοῦ σωφρόνως ἐπαιδευόμεθα, ὥστ'
οὐδ' ἀκροασόμενοι οὐδέποτ' ἤλθομεν ἐπὶ δικαστήριον, νῦν δὲ
ἀγωνιούμενοι περὶ πάντων ἥκομεν τῶν ὑπαρχόντων. οὐ γὰρ
2 τῶν Κλεωνύμου μόνον ἀμφισβητοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν πα-
τρῴων, ὀφείλειν ἐπὶ τούτοις ἐκείνῳ φάσκοντες ἀργύριον. καὶ
οἱ μὲν οἰκεῖοι καὶ οἱ προσήκοντες οἱ τούτων ἀξιοῦσιν ἡμᾶς
καὶ τῶν ὁμολογουμένων ὧν Κλεώνυμος κατέλιπεν αὐτοῖς,
τούτων ἰσομοιρῆσαι· οὗτοι δὲ εἰς τοῦτο ἥκουσιν ἀναισχυν-
τίας, ὥστε καὶ τὰ πατρῷα προσαφελέσθαι ζητοῦσιν ἡμᾶς,
3 οὐκ ἀγνοοῦντες, ὦ ἄνδρες, τὸ δίκαιον, ἀλλὰ πολλὴν ἐρημίαν
ἡμῶν καταγνόντες. σκέψασθε γὰρ οἷς ἑκάτεροι πιστεύοντες
ὡς ὑμᾶς εἰσεληλύθαμεν. οὗτοι μὲν διαθήκαις ἰσχυριζόμε-
νοι τοιαύταις, ἃς ἐκεῖνος διέθετο μὲν, οὐχ ἡμῖν ἐγκαλῶν,
4 ἀλλ' ὀργισθεὶς τῶν οἰκείων τινὶ τῶν ἡμετέρων, ἔλυσε δὲ πρὸ
τοῦ θανάτου πέμψας Ποσείδιππον ἐπὶ τὴν ἀρχήν· ἡμεῖς δὲ
γένει μὲν ἐγγυτάτω προσήκοντες, χρώμενοι δὲ ἐκείνῳ πάντων
οἰκειότατα, δεδωκότων δ' ἡμῖν καὶ τῶν νόμων κατὰ τὴν*

Orat. §. 1, 1. *ἡ μεταβολή*] Articulum om. R.

2. *ζώων* R.

κατέλιπε] *κατέλυσε* P. Z. *τὴν ἀσίαν* Z.

3. *αὐτῆς*] *αὐτοῖς* B.

5. *ἀκροασάμενοι* A. a pr. m.

ἐπὶ τὸ δικαστήριον P. Z.

8. *ἐκείνῳ* A. B. L. Q. Mai. Bekk. om. P. Z. *ἐκεῖνον* Ald. St. Reisk.

ἀργύριον A. [Q?] Maius, Bekk. *ἀργύριον* B. L. *τἀργύρια* R. *ἀργύρια* Ald. etc.

§. 2, 2. *ἐπὶ τούτοις* inter *προσήκοντες* et *οἱ τούτων* ins. A. B. Q. et Mai. Articulum ante *τούτων* om. R. *ταύτῳ* habet Z.

4. *ἰσομοιρίσαι* A. B. Q.

6. *καὶ* ante *πολλὴν* ins. Z. *ἐρημίαν ἡμῶν* A. et haud dubie Q. Mai. Bekk. *ἡμῶν ἐρημίαν* Ald. etc.

§. 3, 3. *ἐκεῖνος*] *κεῖνος* Q. *διέθετο μὲν*] *δὴ ὑπέθετο μὲν* A. B. L. Q. Mai. *δὴ ἐπέθετο μὲν* Ald. St. *μὲν ὑπέθετο δὴ* P. Z. *διέθετο μὲν* R. idque dudum conj. Scalig. Brulart. Topham., recep. Reisk. et Bekk. Paullo ante R. om. *τοιαύταις*.

5. *ποσίδιππον* P.

§. 4, 2. *γένει μὲν — προσήκοντας*] *τῷ μὲν γένει ἐγγύτατα ἐκείνῳ προσήκοντες* R.

χρώμενοι δὲ ἐκείνῳ] *κεχρημένοι δὲ κείνῳ* R. *οἰκειοτάτῳ* Q. Mai.

3. *δ' ἡμῖν*] *ἡμῖν* R. *καὶ τῶν νόμων* om. P. Z.

ἀγχιστείαν καὶ αὐτοῦ τοῦ Κλεωνύμου διὰ τὴν φιλίαν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ, ἔτι δὲ Πολυάρχου τοῦ πατρὸς Κλεωνύμου, πάππου δ' ἡμετέρου, προστάξαντος, εἴ τι πάθοι Κλεώ-
5 νυμος ἄπαις, ἡμῖν δοῦναι τὰ αὑτοῦ. Τοσούτων τοίνυν ἡμῖν ὑπαρχόντων οὗτοι, καὶ συγγενεῖς ὄντες καὶ οὐδὲν δίκαιον εἰπεῖν ἔχοντες, οὐκ αἰσχύνονται καταστήσαντες ἡμᾶς εἰς ἀγῶνα περὶ τούτων, περὶ ὧν αἰσχρὸν ἦν ἀμφισβητῆσαι καὶ τοῖς
6 μηδὲν προσήκουσιν. Οὐχ ὁμοίως δέ μοι δοκοῦμεν, ὦ ἄνδρες, διακεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους. ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὅτι ἀδίκως κινδυνεύω, τοῦθ' ἡγοῦμαι μέγιστον εἶναι τῶν παρόντων κακῶν, ἀλλ' ὅτι ἀγωνίζομαι πρὸς οἰκείους, οὓς οὐδ' ἀμύνεσθαι καλῶς ἔχει· οὐ γὰρ ἂν ἐλάττω συμφορὰν ἡγησαίμην κακῶς ποιεῖν τούτους ἀμυνόμενος, οἰκείους ὄντας, ἢ κακῶς παθεῖν
7 ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τούτων. οὗτοι δ' οὐ τοιαύτην ἔχουσι τὴν γνώμην, ἀλλ' ἥκουσιν ἐφ' ἡμᾶς καὶ τοὺς φίλους παρακαλέσαντες καὶ ῥήτορας παρασκευασάμενοι καὶ οὐδὲν ἀπολείποντες τῆς αὑτῶν δυνάμεως, ὥσπερ, ὦ ἄνδρες, ἐχθροὺς τιμωρησόμενοι, καὶ οὐκ ἀναγκαίους καὶ συγγενεῖς κακῶς ποιήσοντες.
8 Τὴν μὲν οὖν τούτων ἀναισχυντίαν καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν ἔτι μᾶλλον γνώσεσθε, ἐπειδὰν πάντων ἀκούσητε· ὅθεν δ' οἶμαι τάχιστ' ἂν ὑμᾶς μαθεῖν περὶ ὧν ἀμφισβητοῦμεν, ἐντεῦθεν ἄρξομαι διδάσκειν.

9 Δεινίας γὰρ ὁ τοῦ πατρὸς ἀδελφὸς ἐπετρόπευσεν ἡμᾶς, θεῖος ὢν ὀρφανοὺς ὄντας. Κλεωνύμου δ' οὗτος, ὦ ἄνδρες, διάφορος ὢν ἔτυχεν. ὁπότερος μὲν οὖν αὐτῶν ἦν τῆς δια-

5. Πολυάρχου A. B. L. P. R. Z Ald. St. Mai. Bekk. λυάρχου Q. Πολιάρχου Reisk.

6. δ' ἡμετέρου] ἡμετέρου R. πάθοι] πάθη Q.

§. 5, 2. οὗτοι] οὗτος B. L. P. Z. ξυγγενεῖς R.

3. ἀγῶνας Q.

4. ἀμφισβητεῖν R.

§. 6, 4. οἰκείους] ἀλλήλους P.

4. ἀμύνασθαι Q. R. Mai.

5. συμφορὰν R. ἡγησάμην A. B. L. P. Q. Z.

§. 7, 1. τὴν om. P.

2. ὑμᾶς P.

3. ἀπολείποντας Q. Mai. ἀπολιπόντες Reisk.

4. ἐχθροὺς] τοὺς ἐχθροὺς Ald. St. Reisk.

6. νεκροὺς ποιήσαντες Ald. Correxit Steph. in marg. κακοὺς autem est etiam in A. B. L. P. Z. καὶ ante συγγ. om. Z.

§. 8, 1. τὴν αἰσχροκέρδειαν. Articulum om. B.

2. ἀκούσετε Q. μαθεῖν ὑμᾶς id et Mai.

§. 9, 1. ἐπετρόπευεν P. Z.

φορᾶς αἴτιος, ἴσως οὐκ ἐμὸν ἔργον ἐστὶ κατηγορεῖν· πλὴν τοσοῦτόν γε ἂν δικαίως αὐτοῖς ἀμφοτέροις μεμψαίμην, ὅτι καὶ φίλοι τέως ὄντες καὶ προφάσεως οὐδεμιᾶς γενομένης ἐκ λόγων τινῶν οὕτως εἰκῇ πρὸς ἀλλήλους ἔχθρας ἀνείλοντο.

10 ὅτι γοῦν ἐκ ταύτης τῆς ὀργῆς Κλεώνυμος ταύτας ποιεῖται τὰς διαθήκας, οὐχ ἡμῖν ἐγκαλῶν, ὡς ὕστερον ἐσώθη, ἔλεγεν, ὁρῶν δὲ ἡμᾶς ἐπιτροπευομένους ὑπὸ Δεινίου, καὶ δεδιὼς μὴ τελευτήσειεν αὐτὸς ἔτι παῖδας ἡμᾶς καταλιπὼν καὶ τῆς οὐσίας ἡμετέρας οὔσης γένοιτο κύριος Δεινίας· ἡγεῖτο γὰρ δεινὸν εἶναι τὸν ἔχθιστον τῶν οἰκείων ἐπίτροπον καὶ κύριον τῶν αὑτοῦ καταλιπεῖν, καὶ ποιεῖν αὐτῷ τὰ νομιζόμενα

11 τοῦτον, ἕως ἡμεῖς ἡβήσαιμεν, ᾧ ζῶν διάφορος ἦν. ταῦτα διανοηθεὶς ἐκεῖνος, εἴτ' ὀρθῶς εἴτε μή, τὰς διαθήκας ταύτας διέθετο. καὶ εὐθὺς ἐρωτῶντος τοῦ Δεινίου παραχρῆμα εἴ τι ἡμῖν ἢ τῷ πατρὶ ἐγκαλεῖ τῷ ἡμετέρῳ, ἀπεκρίνατο πάντων τῶν πολιτῶν ἐναντίον ὅτι οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖ, καὶ ἐμαρτύρησεν ὡς ὀργιζόμενος ἐκείνῳ καὶ οὐκ ὀρθῶς βουλευόμενος ταῦτα διέθετο. πῶς γὰρ ἂν εὖ φρονῶν, ὦ ἄνδρες, κακῶς ποιεῖν ἡμᾶς ἐβουλήθη τοὺς μηδὲν αὐτὸν ἠδικηκότας;

12 ὕστερον δὲ τούτων, ὃ μέγιστον ὑμῖν τεκμήριον ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἔπραξεν ἡμᾶς βλάπτειν βουλόμενος, — τελευτήσαντος γὰρ Δεινίου καὶ τῶν πραγμάτων ἡμῖν πονηρῶς ἐχόντων οὐδὲ περιεῖδεν ἡμᾶς οὐδενὸς ἐνδεεῖς ὄντας, ἀλλ' αὐτοὺς μὲν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν αὑτοῦ κομισάμενος ἐπαίδευε, τὴν δ' οὐσίαν ἀφελέσθαι τῶν χρήστων ἐπιβουλευσάντων ἔσωσεν ἡμῖν, ἐπεμελεῖτό τε ὁμοίως τῶν ἡμετέρων ὥσπερ τῶν αὑτοῦ πραγμά-

6. καὶ ante φίλοι om. P. Z.
7. ἔχθρας Ald. etc. ἔχθραν Bekk.
§. 10, 1. ὀργῆς] ἀρχῆς Q. Ante Κλεώνυμος articulum om. A. B. Q. Mai. Bekk.
2. ἐσώφθη R.
3. καὶ om. P. Z.
7. τῶν αὐτοῦ om. Q. Pro αὐτῷ in L. P. Z. est αὐτὸν, pro τοῦτον in P. Z. τούτων.
§. 11, 5. πονηρὸν om. R. ἐγκαλεῖ abest a Q. teste Maio, quamquam Bekk. supra vers. 4 abesse dicit.
8. ἠβουλήθη Ald. St. Reisk. ἀδικήσαντας Q. Mai.
§. 12, 1. ἡμῖν A. B. L. P. Q. Z. Ald.
3. πονηρῶς ἡμῖν Q. Mai.
6. χρηστῶν A. B. L. P. Q. Z. idque Taylor. et Reisk. reponendum suaserunt, et reposuit Maius. Rectius Bekk. χρήστων. Ald. etc. χρημάτων.

13 των. καίτοι χρὴ θεωρεῖν αὐτοῦ τὴν ἔννοιαν ἐκ τούτων
τῶν ἔργων μᾶλλον ἢ ἐκ τῶν διαθηκῶν, καὶ τεκμηρίοις χρῆ-
σθαι μὴ τοῖς μετ' ὀργῆς πραχθεῖσιν, ἐν οἷς ἅπαντες πεφύ-
καμεν ἁμαρτάνειν, ἀλλ' ἀφ' ὧν ὕστερον φανερὰν τὴν αὑτοῦ
14 διάνοιαν ἐποίησεν. ἔτι γὰρ μᾶλλον ἐν τοῖς τελευταίοις ἐδή-
λωσεν ὡς εἶχε πρὸς ἡμᾶς. ἤδη γὰρ ἀσθενῶν ταύτην τὴν
νόσον ἐξ ἧς ἐτελεύτησεν, ἐβουλήθη ταύτας τὰς διαθήκας
ἀνελεῖν, καὶ προσέταξε Ποσειδίππῳ τὴν ἀρχὴν εἰσαγαγεῖν.
ὁ δὲ οὐ μόνον οὐκ εἰσήγαγεν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐλθόντα τῶν
ἀρχόντων ἐπὶ τὴν θύραν ἀπέπεμψεν. ὀργισθεὶς δὲ τούτῳ
Κλεώνυμος πάλιν εἰς τὴν ὑστεραίαν Διοκλεῖ καλέσαι τοὺς
ἄρχοντας προσέταξε· καὶ οὐχ οὕτως ὡς ἀσθενῶν διακείμε-
νος, ἀλλ' ἔτι πολλῶν οὐσῶν ἐλπίδων, ἐξαπίνης τῆς νυκτὸς
ταύτης ἀπέθανεν.

15 Πρῶτον μὲν οὖν ὑμῖν παρέξομαι μάρτυρας ὡς οὐχ ἡμῖν
ἐγκαλῶν ἀλλὰ Δεινίᾳ πολεμῶν ταύτας τὰς διαθήκας διέθετο,
ἔπειτα ὡς ἐκείνου τελευτήσαντος ἐπεμελεῖτό τε τῶν ἡμετέρων

§. 13, 1. αὐτοῦ τὴν] τὴν αὐτοῦ Q.

§. 14, 2. ἀσθενῶν ταύτην τὴν νόσον] ταύτην τὴν νόσον ἀσθενῶν R.

3. ἠβουλήθη Ald. St. Reisk.

4. τὴν ἀρχὴν] ἐπὶ τὴν ἀρχὴν Ald. St. Reisk. Sed tollendam praepositionem intellexit jam Brulart., et Reisk. quoque aut delendam aut ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἀπιόντα vel ἐλθόντα legendum suasit.

5. οὐκ ante εἰσήγαγεν om. Ald., add. St. ceterique omnes.

6. ἀνέπεμψεν A. B. L. P. Q. Z. Ald. Mai. ἀπέπεμψεν Steph. Reisk. Bekk. Paullo post τούτων Ald.

7. ἐς A. B. L. P. Z. Bekk. εἰς Ald. etc. etiam Maius.

8. „ὡς ἀσθενῶν deleverim.“ Bekk. Melior certe haec ratio quam Reiskii, qui „lego“ ait „ἀσθενῶς in adverbio. In οὐχ οὕτως subauditur ἐποίησε — quod si probatur, tum post ἐλπίδων deesse videtur ὅμως δὲ vel simile quid.“ Ego rescripserim οὐχ οὕτως πω ἀσθενῶς διακείμενος *nondum tam graviter affectus*, scil. ut mors timenda videretur. Et ἀσθενῶς est in R. οὕτως ante consonantem neminem offendet; quin multo est aptius h. l. quam οὕτω. cf. Frotscher. ad Xenoph. Hier. p. 9. Schaefer. Appar. crit. ad Demosth. 1. p. 207.

9. αὐτῇ τῇ νυκτὶ R. Pro ἀπέθανεν Q. et Mai. habent ἐτελεύτησε.

§. 15, 1. οὖν om. L. P. Z. μὲν om. R. et μάρτυρας colloc. ante παρέξομαι.

ἁπάντων, καὶ αὐτὸς ἐπαίδευεν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν αὑτοῦ κομισάμενος, πρὸς δὲ τούτοις ὡς Ποσείδιππον ἔπεμψεν ἐπὶ τὸν ἀστυνόμον, οὗτος δ' οὐ μόνον αὐτὸν οὐκ εἰσεκάλεσεν, ἀλλὰ καὶ ἐλθόντα ἐπὶ τὴν θύραν Ἀρχωνίδην ἀπέπεμψεν.
16 Ὡς οὖν ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι τοὺς μάρτυρας.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

Ἔτι τοίνυν ὡς οἱ τούτων φίλοι καὶ Κηφίσανδρος ἠξίουν νείμασθαι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τρίτον μέρος ἡμᾶς ἔχειν ἁπάντων τῶν Κλεωνύμου, καὶ τούτων μοι κάλει τοὺς μάρτυρας.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

17 Ἡγοῦμαι μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες, πᾶσι τοῖς τῶν κλήρων ἀμφισβητοῦσιν, ὅταν ἀποφήνωσι σφᾶς αὐτοὺς, ὥσπερ ἡμεῖς, καὶ τῷ γένει προτέρους ὄντας καὶ τῇ φιλίᾳ τῇ πρὸς τὸν τετελευτηκότα, περίεργον εἶναι τοὺς ἄλλους λόγους λέγειν. ἐπειδὴ δὲ τούτων οὐδέτερον ἔχοντες οὕτω τολμῶσι τῶν οὐ προσηκόντων ἀμφισβητεῖν καὶ ψευδεῖς παρασκευάζονται λό-
18 γους, βούλομαι βραχέα καὶ περὶ τούτων αὐτῶν εἰπεῖν. Ἰσχυρίζονται γὰρ ταῖς διαθήκαις, λέγοντες ὡς Κλεώνυμος μετεπέμπετο τὴν ἀρχὴν οὐ λῦσαι βουλόμενος αὐτὰς ἀλλ' ἐπανορθῶσαι καὶ βεβαιῶσαι σφίσιν αὐτοῖς τὴν δωρεάν. ὑμεῖς δὲ σκοπεῖσθε τὰς διαθήκας τὰς μετ' ὀργῆς γενομένας πότερα

4. τὴν αὐτοῦ A. Q. Bekk. Reliqui artic. om., etiam Maius. Pro αὐτοῦ Q. et Mai. hab. ἑαυτοῦ.

5. ἐπὶ τοῦ ἀστυνόμου L. P. Z. Ald. Steph. Correx. Reisk. et jam antea Valck. ad Herod. VII, 17. laud. a Bekk.

6. αὐτὸν] αὐτὰς A. B. L. P. Z. Antea ὁ δὲ οὐ R. pro οὗτος δ' οὐ.

7. ἐλθόντας A. B. L. ἀρχονίδην A. B. L. P. Q. R. Z. Ἀρχωνίδην Ald. etc. ἀπεπέμψει Q. teste Maio.

§. 16, 1. κάλει μοι] κάλεσόν μοι R. Idem dein haec verba ἔτι τοίνυν — — μάρτυρας omittit. Pro ἔτι in P. Z. est ὅτι, pro τοίνυν in Q. τούτων.

3. ὡς add. A. Q. Mai. Bekk. ἠξίου Q.

5. τοὺς μάρτυρας] Artic. om. A. Q. Mai.

§. 17, 1. τὸν κλῆρον Q. Mai.

4. λόγους om. P.

5. ἐπειδὴ A.B.L.P.Q.Z. Mai. Bekk. ἐπεὶ Ald. etc. Dein οἱ ante τούτων add. Ald. etc. et Maius.

6. οὐ προσηκόντων] ἀπροσηκόντων Z. παρασκευάζωνται R.

§. 18, 5. σκοπεῖτε R. Articulum post διαθήκας om. R. γινομένας A. B. L. P. Z. Ald. St. γενομένας ceteri.

εἰκός ἐστι βουληθῆναι Κλεώνυμον ἀνελεῖν, ἐπειδὴ πρὸς ἡμᾶς
οἰκείως ἔσχεν, ἢ σκοπεῖν ὅπως ἔτι βεβαιότερον ἡμᾶς ἀποστε-
19 ρήσειε τῶν αὐτοῦ. τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις κἀκείνων ὧν ἂν
ὀργισθέντες τοὺς οἰκείους ἀδικήσωσιν ὕστερον μεταμέλει·
οὗτοι δὲ ἐκεῖνον ἀποφαίνουσιν, ἐν ᾧ πρὸς ἡμᾶς οἰκειότατα
διέκειτο, μᾶλλον βεβαιοῦν τὴν διαθήκην βουλόμενον, ἣν ὀρ-
γιζόμενος ἐποιήσατο. ὥστ᾽ εἰ καὶ ἡμεῖς ὁμολογήσομεν ταῦτα
καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ πιστεύσετε, ἐνθυμεῖσθε ὅτι παράνοιαν αὐτοῦ
20 τὴν μεγίστην οὗτοι κατηγοροῦσι. τίς γὰρ ἂν γένοιτο ταύ-
της μανία μείζων, ἢ τότε μὲν ὅτε Δεινίᾳ διάφορος ὢν ἔτυ-
χεν, ἡμᾶς κακῶς ποιεῖν τε καὶ διατίθεσθαι τοιαύτας διαθή-
κας, ἐξ ὧν οὐκ ἐκεῖνον ἐτιμωρεῖτο ἀλλὰ τοὺς οἰκειοτάτους
ἠδίκει· νυνὶ δὲ χρώμενος ἡμῖν καὶ περὶ πλείστου ποιούμενος
ἁπάντων, μόνους ἐβουλήθη τοὺς ἀδελφιδοῦς, ὥς οὗτοί φα-
σιν, ἀκλήρους ποιῆσαι τῶν ἑαυτοῦ; καὶ τίς ἂν εὖ φρονῶν,
21 ὦ ἄνδρες, τοιαῦτα περὶ τῶν αὑτοῦ βουλεύσαιτο; ὥστ᾽ ἐκ
τούτων τῶν λόγων ῥᾳδίαν ὑμῖν τὴν διάγνωσιν πεποιήκασι
περὶ αὐτῶν. εἰ μὲν γὰρ ἀνελεῖν τὰς διαθήκας βουλόμενος
μετεπέμπετο τὴν ἀρχήν, ὥσπερ ἡμεῖς φαμέν, οὐδεὶς ἔνεστι
τούτοις λόγος· εἰ δ᾽ οὕτως παραφρονῶν ἔτυχεν ὥσθ᾽ ἡμᾶς
ἀεὶ περὶ ἐλαχίστου ποιεῖσθαι τοὺς γένει προσήκοντας καὶ
χρωμένους αὐτῷ πάντων οἰκειότατα, δικαίως ἂν δήπου τὰς
τοιαύτας διαθήκας ἀκύρους ποιήσαιτε.

22 Ἔτι τοίνυν ἐνθυμεῖσθε ὅτι φάσκοντες καλεῖν τὴν ἀρχὴν

7. ἔτι add. A. Q. Mai. Bekk. βεβαιοτέρως R. ἀποστερήσει R. ἀποστερήσεις Ald.

§. 19, 2. μεταμέλλει L. Ald.

6. πιστεύσοιτε A. B. L. P. Q. Z. Mai. πιστεύσετε Ald. etc. οὗτοι τὴν μεγίστην αὐτοῦ Q. Mai.

§. 20, 2. μείζων μανία R. μανίας μείζων Z.

2. ὢν] ἦν Q.

5. νῦν δὲ R.

6. ἀδελφιδοῖς Ald. St. Reisk. Mai.

7. ποιῆσαι] εἶναι Ald. St. Reisk.

8. ἑαυτοῦ Z.

§. 21, 2. ἡμῖν A. B. L. P. Q. Z. ὑμῖν Ald. ceterique omnes.

3. περὶ αὑτῶν St. Reisk. Bekk. περὶ αὐτῶν Ald. Mai.

5. τούτοις] τοιούτοις Q. Mai. Idem Mai. οὕτως ex Q., ut opinor; ceteri οὕτω.

6. ἀεὶ om. Q. Mai., unc. incl. Bekk. ποιεῖν pro ποιεῖσθαι Q. Mai.

7. δικαίους Z. τὰς τοιαύτας] τοιαύτας τὰς R.

8. ποιήσαιτε] ποιήσετε Q. ποιήσητε Ald. St. Reisk. Mai.

Κλεώνυμον, ἵνα βεβαιώσῃ τὴν αὑτῶν δωρεὰν, προσταχθὲν
αὐτοῖς οὐκ ἐτόλμησαν εἰσαγαγεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐλθόντα τῶν
ἀρχόντων ἐπὶ τὴν θύραν ἀπέπεμψαν. καὶ δυοῖν ταῖν ἐναν-
τιωτάτοιν θάτερα μέλλοντες, ἢ τὴν οὐσίαν ἕξειν βεβαιοτέραν,
ἢ ἐκείνῳ μὴ ποιήσαντες ἀπεχθήσεσθαι, τὴν ἀπέχθειαν εἵλοντο
23 μᾶλλον ταύτης τῆς δωρεᾶς. καίτοι πῶς ἂν ἕτερα τούτων
γένοιτο ἀπιστότερα, τοὺς μὲν τηλικαῦτα μέλλοντας ἐκ τοῦ
πράγματος κερδαίνειν, ὥσπερ ζημιωθησομένους, φυλάξασθαι
τὴν διακονίαν· Κλεώνυμον δ' ὑπὲρ τῆς τούτων ὠφελείας το-
σαύτην ποιήσασθαι σπουδὴν ὥστε Ποσειδίππῳ μὲν, ὅτι κα-
τημέλησεν, ὀργισθῆναι, Διοκλέους δὲ ταῦτα πάλιν ἐς τὴν
24 ὑστεραίαν δεηθῆναι; Εἰ γὰρ δὴ, ὦ ἄνδρες, ὡς οὗτοί φα-
σιν, ἐν ταῖς νῦν γεγραμμέναις διαθήκαις ἔδωκεν αὐτοῖς τὴν
οὐσίαν, καὶ τοῦτ' ἄξιόν εἶναί μοι δοκεῖ θαυμάζειν, ὅ τί ποτε
ἐπανορθώσας κυριωτέρας αὐτὰς ἡγοῖτ' ἂν ποιῆσαι. τοῖς
25 γὰρ ἄλλοις οὗτος ὅρος ἐστὶν, ὦ ἄνδρες, τῶν δωρεῶν. Ἔτι
δὲ καὶ εἴ τι προσγράψαι τούτοις ἐβούλετο, διὰ τί οὐκ ἐν
ἑτέρῳ γράψας αὐτὰ γραμματείῳ κατέλιπεν, ἐπειδὴ τὰ γράμ-
ματα παρὰ τῶν ἀρχόντων οὐκ ἐδυνήθη λαβεῖν; ἀνελεῖν μὲν
γὰρ, ὦ ἄνδρες, οὐχ οἷός τ' ἦν ἄλλο γραμματεῖον ἢ τὸ παρὰ
τῇ ἀρχῇ κείμενον· γράψαι δ' ἐξῆν εἰς ἕτερον εἴ τι ἐβούλετο,
26 καὶ μηδὲ ταῦθ' ἡμῖν ἀμφισβητήσιμον ἐᾶν. Εἰ τοίνυν καὶ
τοῦτο συγχωρήσαιμεν, ὡς ἐκεῖνος ἐπανορθῶσαι τὰς διαθήκας
ἐβούλετο, πᾶσι δήπου φανερὸν ὑμῖν ἐστὶν ὅτι οὐκ ὀρθῶς
αὐτὰς ἔχειν ἡγεῖτο. καίτοι σκοπεῖτε καὶ ἐντεῦθεν τὴν ἀναι-
σχυντίαν αὐτῶν, οἵτινες ταύτας τὰς διαθήκας ἀξιοῦσιν εἶναι

§. 22, 2. τὸν Κλεώνυμον Q. Mai.

2. προστάξαι R.

3. εἰσαγαγεῖν] προσαγαγεῖν P.

4. Καὶ δυοῖν κτλ. Haec omnia desunt in R. eorum loco sine lacunae signo sequuntur quae extant in extrema Meneclea §. 48. inde a verbis ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ πρᾶγμα. — In L. P. Z. Ald. St. Reisk. adsunt etiam haec καὶ δυοῖν — — βεβαιοτέραν: dein, sed spatio interposito, eadem illa ex Meneclea subjunguntur. Integram orationem exhibent A. B. Q.

6. θάτερον Maius.

βεβαιωτέραν Ald. Mai.

§. 23, 6. εἰς τὴν ὑστεραίαν Q. Mai.

§. 25, 2. ἐβούλετο Q.

3. κατέλειπεν. B. et A. a pr. man.

4. μὲν om. A. B.

§. 26, 3. ἡμῖν A.

4. τὴν] καὶ τὸν Q.

κυρίας, ἃς ὁμολογοῦσι μηδ' αὐτὸν τὸν διαθέμενον ταῦτα ὀρθῶς ἔχειν ἡγεῖσθαι, καὶ πείθουσιν ὑμᾶς ἐναντία καὶ τοῖς νόμοις καὶ τῷ δικαίῳ καὶ τῇ τοῦ τετελευτηκότος γνώμῃ ψηφίσασθαι.

27 Ἔτι τοίνυν τούτων ἁπάντων ἀναιδέστατος τῶν λόγων ἐστὶν, ὅταν τολμῶσι λέγειν ὡς Κλεώνυμος οὐδὲν ἡμᾶς τῶν αὐτοῦ λαβεῖν ἐβούλετο· καίτοι, ὦ ἄνδρες, τίνας ἂν ἄλλους ταῦτα ἔχειν ἐβουλήθη μᾶλλον ἢ τούτους, οὓς καὶ ζῶν ἐκ

28 τῶν αὐτοῦ πλεῖστα τῶν οἰκείων ὠφέλει; Πάντων δ' ἂν εἴη θαυμασιώτατον, εἰ Κηφίσανδρος μὲν ὁ τούτων οἰκεῖος δίκαιον ἡγεῖτο εἶναι μέρος ἕκαστον ἡμῶν ἔχειν τῆς οὐσίας, Κλεώνυμος δ' ὃς ἦν ἡμῖν οἰκειότατος, καὶ ἡμᾶς εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ λαβὼν ἐθεράπευε καὶ ἐπεμελεῖτο τῶν ἡμετέρων ὥσπερ τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, οὗτος μόνος ἐβούλετο

29 ἡμᾶς ἀκλήρους εἶναι τῶν αὐτοῦ. καὶ τίς ἂν ὑμῶν πιστεύσειεν εὐνουστέρους καὶ μετριωτέρους τοὺς ἀντιδίκους ἡμῖν εἶναι τῶν οἰκειοτάτων; κἀκεῖνον μέν, ᾧ καὶ ἀναγκαῖον εὖ ποιεῖν ἡμᾶς καὶ αἰσχρὸν ἡμῶν ἀμελῆσαι, μηδὲν τῶν αὐτοῦ ἡμῖν δοῦναι· τούτους δέ, οἷς οὔτ' ἀνάγκη ἐστὶν οὔτ' αἰσχύνην οὐδεμίαν φέρει, τῶν οὐ προσηκόντων, ὥς φασιν, ἡμῖν μεταδιδόναι; Ἀλλὰ ταῦτα μέν, ὦ ἄνδρες, πολλὴν ἀπιστίαν ἔχει.

30 Ἔπειτα, εἰ μὲν καὶ νῦν οὕτω πρὸς ἀμφοτέρους ἡμᾶς ἔχων ἐτελεύτησεν, ὥσπερ ὅτε τὰς διαθήκας ταύτας ἐποιήσατο, εἰκότως ἄν τις ὑμῶν πιστεύσαι τοῖς λόγοις τοῖς τουτωνί· νυνὶ δὲ πᾶν τοὐναντίον εὑρήσετε. τότε μὲν γὰρ ἔτυχε Δεινίᾳ, ὃς ἡμᾶς ἐπετρόπευε, διάφορος ὢν ἡμῖν τε οὔπω χρώμενος τούτοις τε ἅπασιν ἐπιτηδείως διακείμενος· νῦν δὲ τούτων μὲν

6. ταῦτα post διαθέμενον om. Mai.

7. ὑμᾶς] ἡμᾶς B. Q. καὶ ante τοῖς νόμοις om. A. B.

§. 27, 4. ἠβουλήθη A. a pr. man. et Q. teste Bekkero. ἐβουλήθη B. Mai. Bekk. μᾶλλον om. Q. et Maius. Iidem τῶν habent pro ζῶν.

§. 28, 5. οἰκίαν τὴν] οἰκειότητα Maius. αὐτοῦ B.

§. 29, 3. κἀκεῖνον] ἢ ἐκεῖνον Maius.

5. ἡμῖν δοῦναι] δοῦναι ἡμῖν Q. Mai.

§. 30, 2. ταύτας om. Q. Mai. Iidem mox πιστεύσῃ hab. pro πιστεύσαι.

3. νυνὶ] νῦν Maius.

5. οὔπω Maius: libri οὕτω.

τισὶ διάφορος ἐγένετο, ἡμῖν δὲ πάντων ἐχρῆτο οἰκειότατα.
31 καὶ ἐξ ὧν μὲν αὐτῷ πρὸς τούτους ἐγένετο ἡ διαφορά, πε-
ρίεργόν ἐστι λέγειν· σημεῖα δ' ὑμῖν ἐρῶ μεγάλα, περὶ ὧν
καὶ μάρτυρας ἕξω παρασχέσθαι. πρῶτον μὲν γὰρ θύων
τῷ Διονύσῳ, καὶ τοὺς οἰκείους ἅπαντας καλέσας καὶ τῶν
ἄλλων πολιτῶν πολλούς, Φερένικον οὐδαμοῦ παρεστήσατο.
ἔπειτα μικρὸν πρὶν τελευτῆσαι βαδίζων εἰς Πάνορμον μετὰ
Σίμωνος, καὶ ἀντυχὼν αὐτῷ, προσειπεῖν οὐκ ἐτόλμησεν.
32 ἔτι δὲ πρὸς τούτοις πυνθανομένου τὴν διαφορὰν τοῦ Σί-
μωνος τήν τ' ἔχθραν διηγήσατο, καὶ προσηπείλησεν ὅτι δη-
λώσοι ποτ' ἂν τούτῳ ὡς διάκειται πρὸς αὐτόν. Καὶ ὡς
ἀληθῆ λέγω, κάλει μάρτυρας.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

33 Οἴεσθε οὖν, ὦ ἄνδρες, τὸν οὑτωσὶ πρὸς ἑκατέρους
ἡμᾶς διακείμενον ἡμῖν μέν, οἷς οἰκειότατα ἐχρῆτο, οὕτως
ποιεῖν ὅπως μηδὲ λόγον ὑπολείψει, τούτοις δέ, ὧν τισι καὶ
διάφορος ἦν, σκοπεῖν ὅπως ἅπασαν βεβαιώσει τὴν οὐσίαν;
καὶ τούτους μὲν νῦν περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ταύτης ὑπού-
σης τῆς ἔχθρας, ἡμᾶς δέ, τοσαύτης οἰκειότητος καὶ φιλίας
34 γενομένης, πειρᾶσθαι μᾶλλον κακῶς ποιεῖν; Ἀλλ' ἔγωγε εἰ
κατηγορεῖν ἐβούλοντο τῶν διαθηκῶν ἢ τοῦ τετελευτηκότος,
οὐκ οἶδ' ὅ τι ἂν ἄλλο πρὸς ὑμᾶς εἶπον, οἵ γε τὰς μὲν δια-
θήκας ἀποφαίνουσιν οὔτ' ὀρθῶς ἐχούσας οὔτ' ἀρεσκούσας
τῷ διαθεμένῳ, τοῦ δὲ τοσαύτην μανίαν κατηγοροῦσιν, ὥστε
φασὶν αὐτὸν περὶ πλείονος ποιεῖσθαι τοὺς αὐτῷ διαφερομέ-
νους ἢ τοὺς οἰκείως χρωμένους, καὶ οἷς μὲν ζῶν οὐ διελέγετο
ἅπασαν δοῦναι τὴν οὐσίαν, τοὺς δὲ οἰκειότατα κεχρημένους

§. 31, 2. ὑμῖν] ἡμῖν A. B. περὶ — παρασχέσθαι om. Maius.
§. 32, 3. δηλώσοι] δηλώσει A. B.
5. ΜΑΡΤΥΡΕΣ om. A. B. Q.
§. 33, 2. ἡμᾶς] ἡμῶν Q. Mai.
§. 33, 3. ὅπως — ὑπολείψει Q. Mai. Bekk., ὥστε — ὑπολείψειν A. B.
4. ἦν om. Q. Mai.
βεβαιώσει] βεβαιώσῃ Q. Mai. οὐσίαν] ἔχθραν Q.
5. νῦν om. Q. Mai.
7. γενομένης] γινομένης Q. Mai.
§. 34, 3. οἵ γε] οἵ τε Q. Mai. τὰς διαθήκας μὲν A. B.
5. τοσαύτην τὴν μανίαν Maius.
6. αὐτὸν] αὐτῷ A. διαφέροντας Q. Mai.
8. οἰκειότατα κεχρημένους] libri οἰκειότητα κεκτημένους, Maius οἰκειότητος κεκτημένους. Emendavit Bekkerus.

35 οὐδὲ πολλοστοῦ μέρους ἀξιῶσιν, ὥστε τίς ἂν ὑμῶν ταύτας
εἶναι κυρίας τὰς διαθήκας ψηφίσαιτο, ἃς ὁ μὲν διαθέμενος
ὡς οὐκ ὀρθῶς ἐχούσας ἀπεδοκίμασεν, οὗτοι δ' ἔργῳ λύουσιν
ἐθέλοντες ἡμῖν ἰσομοιρῆσαι τῆς οὐσίας, πρὸς δὲ τούτοις
ἡμεῖς ὑμῖν ἀποφαίνομεν ἐναντίας οὔσας καὶ τῷ νόμῳ καὶ
τοῖς δικαίοις καὶ τῇ τοῦ τετελευτηκότος διανοίᾳ;
36 Οἶμαι δ' ὑμᾶς τὸ περὶ ἡμῶν δίκαιον σαφέστατ' ἂν παρ'
αὐτῶν τούτων πυνθάνεσθαι. εἰ γάρ τις αὐτοὺς ἔροιτο διὰ
τί ἀξιοῦσι κληρονόμοι γενέσθαι τῶν Κλεωνύμου, τοῦτ' ἂν
εἰπεῖν ἔχοιεν, ὅτι καὶ γένει ποθὲν προσήκουσι καὶ ἐκεῖνος
αὐτοῖς χρόνον τινὰ ἐπιτηδείως διέκειτο. οὐκ ἂν ἄρα ὑπὲρ
37 ἡμῶν μᾶλλον ἢ ὑπὲρ σφῶν αὐτῶν εἶεν εἰρηκότες; εἴτε γὰρ
διὰ τὴν τοῦ γένους ἀγχιστείαν δεῖ γενέσθαι τινὰς κληρονό-
μους, ἡμεῖς ἐγγυτέρω γένει προσήκομεν· εἴτε διὰ τὴν φιλίαν
τὴν ὑπάρχουσαν, ἴσασιν αὐτὸν ἅπαντες ἡμῖν οἰκειότερον
διακείμενον. ὥστ' οὐ χρὴ παρ' ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ παρ' αὐ-
38 τῶν τούτων πυνθάνεσθαι τὸ δίκαιον. Πάντων δ' ἂν εἴη
δεινότατον, εἰ τοῖς μὲν ἄλλοις ψηφίζοισθε, ὅταν θάτερα τούτων
ἀποφαίνωσι σφᾶς αὐτοὺς ἢ γένει προτέρους ὄντας ἢ τῇ φιλίᾳ
τῇ πρὸς τὸν τετελευτηκότα, ἡμᾶς δ' οἷς ἐστιν ἀμφότερα
ταῦτα παρὰ πάντων ὁμολογούμενα, ἀξιώσετε μόνους ἀκλή-
39 ρους ποιῆσαι τῶν ἐκείνου. Καὶ εἰ μὲν Πολύαρχος ὁ πατὴρ
Κλεωνύμου, πάππος δ' ἡμέτερος, ζῶν ἐτύγχανε καὶ τῶν ἐπι-
τηδείων ἐνδεὴς ὤν, ἢ Κλεώνυμος ἐτελεύτησεν θυγατέρας ἀπο-
ρουμένας καταλιπών, ἡμεῖς ἂν διὰ τὴν ἀγχιστείαν καὶ τὸν
πάππον γηροτροφεῖν ἠναγκαζόμεθα καὶ τὰς Κλεωνύμου θυγα-
τέρας ἢ λαβεῖν αὐτοὶ γυναῖκας ἢ προῖκα ἐπιδιδόντες ἑτέροις
ἐκδιδόναι. καὶ ταῦθ' ἡμᾶς καὶ ἡ συγγένεια καὶ οἱ νόμοι
καὶ ἡ παρ' ὑμῶν αἰσχύνη ποιεῖν ἠνάγκαζεν ἄν, ἢ ταῖς με-

§. 35, 1. ταύτας κυρίας εἶναι ψηφίσαιτο τὰς διαθ. Q. Mai.

§. 36, 1. ἡμῶν] ἡμᾶς Q. Mai. 4. ἐκεῖνος] Ita etiam Mai., non ἐκείνοις, ut Bekkerus ait. 5. οὐκ ἂν Maius et Bekk.: libri οὐκ οὖν.

§. 38, 2. θάτερα] θάττερα A. θάτερα Q. ἀποφήνωσι Mai. 4. τὸν om. Q. Mai.

§. 39, 1. Πολύαρχος Mai. et Bekk.: libri ναύαρχος. 5. ἠναγκαζόμεθα] ἠναγκάζομεν Mai. 8. ὑμῶν Bekk. Mai., haud dubie e Q. ἡμῶν A. B.

40 γίσταις ζημίαις καὶ τοῖς ἐσχάτοις ὀνείδεσι περιπεσεῖν. εἰ δ'
οὐσία κατελείφθη, δίκαιον ἡγήσεσθ' εἶναι ταύτης ἑτέρους
ἡμῶν μᾶλλον κληρονομεῖν; οὐκ ἄρα δίκαια, οὐδ' ὑμῖν αὐ-
τοῖς συμφέροντα οὐδὲ τοῖς νόμοις ὁμολογούμενα ψηφιεῖσθε,
εἰ τῶν μὲν συμφορῶν τοὺς ἐγγυτάτω γένει κοινωνεῖν ἀναγκά-
σετε, χρημάτων δὲ καταλειφθέντων πάντας ἀνθρώπους κυ-
ριωτέρους ἢ τούτους ποιήσετε.

41 Χρὴ δέ, ὦ ἄνδρες, καὶ διὰ τὴν συγγένειαν καὶ διὰ τὴν
τοῦ πράγματος ἀλήθειαν, ὅπερ ποιεῖτε, τοῖς κατὰ γένος ψη-
φίζεσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς κατὰ διαθήκην ἀμφισβητοῦσι. τὴν
μὲν γὰρ τοῦ γένους οἰκειότητα πάντες ἐπιστάμενοι τυγχάνετε,
καὶ οὐχ οἷόν τέ τοῦτ' ἐστὶ πρὸς ὑμᾶς ψεύσασθαι· διαθήκας
δ' ἤδη πολλοὶ ψευδεῖς ἀπέφηναν, καὶ οἱ μὲν τὸ παράπαν οὐ
42 γενομένας, ἐνίων δ' οὐκ ὀρθῶς βεβουλευμένων. καὶ νῦν
ὑμεῖς τὴν μὲν συγγένειαν καὶ τὴν οἰκειότητα τὴν ἡμετέραν,
οἷς ἡμεῖς ἀγωνιζόμεθα, ἅπαντες ἐπίστασθε· τὰς δὲ διαθή-
κας, αἷς οὗτοι πιστεύοντες ἡμᾶς συκοφαντοῦσιν, οὐδεὶς
ὑμῶν οἶδε κυρίας γενομένας. ἔπειτα τὴν μὲν ἡμετέραν
συγγένειαν εὑρήσετε καὶ παρ' αὐτῶν τῶν ἀντιδίκων ὁμολο-
γουμένην, τὰς δὲ διαθήκας ὑφ' ἡμῶν ἀμφισβητουμένας·
οὗτοι γὰρ τὸ ἀνελεῖν αὐτάς, ἐκείνου βουλομένου, διεκώλυ-
43 σαν. ὥσθ' ὑμῖν, ὦ ἄνδρες, πολὺ κάλλιον ἐστὶ ψηφίσασθαι
κατὰ τὸ γένος τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἡμῶν ὁμολογούμενον
μᾶλλον ἢ κατὰ τὰς διαθήκας τὰς οὐ δικαίως γεγενημένας.
πρὸς δὲ τούτοις ἐνθυμήθητε ὅτι αὐτὰς ἔλυσε μὲν Κλεώνυ-
μος εὖ φρονῶν, διέθετο δὲ ὀργισθεὶς καὶ οὐκ ὀρθῶς βου-
λευόμενος· ὥστε πάντων ἂν εἴη δεινότατον, εἰ κυριωτέραν
αὐτοῦ τὴν ὀργὴν ἢ τὴν διάνοιαν ποιήσετε.

§. 40, 2. ἡγήσεσθ'] Maius ἡγήσεσθ' ἄν.

7. κυριωτέρους] κύρια Q. κυρίους Mai.

§. 41, 2. ποιεῖται Q.

3. ψηφίζεσ Q.

5. ἐστὶ τοῦτο Q. Mai.

§. 42, 2. ὑμεῖς] ἡμεῖς A. B. Q.

5. ὑμῶν] ἡμῶν Q.

§. 43, 1. Bekkerus quum ὑμῖν pro diversa lectione ex A. Q. aduotaverit, videtur ipse ἡμῖν dare voluisse. Habet tamen eius ed. Ber. ὑμῖν, ut et Mai., neque id mutandum. Quid in B. legatur, Bekk. non dixit.

2. τὸ γένος] Articulum om. Mai.

5. βεβουλευμένος Q. Mai.

44 Οἶμαι δ' ὑμᾶς καὶ λαμβάνειν παρὰ τούτων ἀξιοῦν καὶ
μὴ τυγχάνοντας ἀγανακτεῖν, οἷς ἂν ὑπάρχῃ καὶ παρ' ὑμῶν
τῶν αὐτῶν τυχεῖν. Εἰ τοίνυν συνέβη Κλεωνύμῳ μὲν ζῆν,
ἐξερημωθῆναι δὲ τὸν ἡμέτερον οἶκον ἢ τὸν τούτων, σκέψασθε
ποτέρων ἐκεῖνος ἐγίγνετο κληρονόμος· δίκαιον γάρ ἐστι τού-
τους ἔχειν τὰ ἐκείνου, παρ' ὧν ὠφείλετο καὶ λαβεῖν αὐτῷ.
45 εἰ μὲν τοίνυν Φερένικος ἢ τῶν ἀδελφῶν τις ἐτελεύτησεν,
οἱ παῖδες οἱ τούτων, οὐκ ἐκεῖνος ἐγίγνετο κύριος τῶν κατα-
λειφθέντων· ἡμῶν δὲ τοιαύτῃ τύχῃ χρησαμένων Κλεώνυμος
ἁπάντων ἐγίγνετο κληρονόμος. οὔτε γὰρ παῖδες ἡμῖν ἦσαν
οὔτ' ἄλλοι συγγενεῖς, ἀλλ' ἐκεῖνος καὶ γένει προσήκων ἐγγυ-
46 τάτω καὶ τῇ χρείᾳ πάντων ἦν οἰκειότατος· ὥστε διὰ ταῦτα
καὶ οἱ νόμοι δεδώκασιν αὐτῷ καὶ ἡμεῖς οὐδένα ἄλλον ἠξιώ-
σαμεν ταύτης τῆς δωρεᾶς. οὐ γὰρ δήπου ζῶντες μὲν οὕτως
ἂν ἐνεχειρίσαμεν αὐτῷ τὴν οὐσίαν, ὥστε περὶ τῶν ἡμετέρων
κυριωτέραν εἶναι τὴν ἐκείνου διάνοιαν τῆς ἡμετέρας αὐτῶν,
ἀποθνήσκοντες δὲ ἄλλους κληρονόμους ἐβουλήθημεν αὐτῶν
47 μᾶλλον ἢ τὸν πάντων οἰκειότατον. ὥσθ' ἡμᾶς μὲν ἐν ἀμ-
φοτέροις, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν τῷ δοῦναι καὶ ἐν τῷ λαβεῖν
οἰκείους ὄντας εὑρήσετε, τούτους δὲ νῦν μὲν ἀναισχυντοῦν-
τας καὶ τὴν οἰκειότητα καὶ τὴν ἀγχιστείαν λέγοντας, ὅτι
λήψεσθαί τι προσδοκῶσιν. ἐν δὲ τῷ δοῦναι πολλοὺς ἂν καὶ
συγγενεῖς καὶ φίλους ἐκείνου προείλοντο οἰκειοτέρους.
48 Κεφάλαιον δὲ τῶν εἰρημένων, ᾧ πάντας ὑμᾶς προσέ-

§. 44, 5. ποτέρων Mai. et Bekk.: libri πότερον. Pro ἐγίγνετο Q. et Mai. ἐγένετο.

§. 45, 1. ἢ τις τῶν ἀδελφῶν Q. Mai.

2. οὐ κεῖνος A. B.

5. καὶ ante γένει om. Mai.

5. „Quidni προσῆκεν?“ Bekk. Sed quidni προσήκων? — ἦν om. Mai.

§. 46, 2. οὐδένα] „Immo οὐδέν' ἄν.“ Bekk. Assentior.

3. K. 1. οὐ γὰρ ἂν δήπου ζῶντες μὲν οὕτως ἐνεχειρίσαμεν. — Vid. comm. — ἐνεχειρίσαμεν A. a man. sec. B. Bekk., ἐνεχειρήσαμεν Q. Mai.

4. οὐσίαν] αἰτίαν A. B. Mai., haud dubie e Q.

6. κληρονόμους] „Aut legendum κληρονομεῖν aut addendum ποιῆσαι.“ Bekk.

7. τὸν] τῶν Mai.

§. 47, 1. ἐν ἀμφοτέροις om. Q. Mai.

5. καὶ ante συγγενεῖς om. A. B.

6. προείλοντο] προείχοντο Q. Mai.

χειν δεῖ τὸν νοῦν· ὅσῳ γὰρ ἂν ταῦτα λέγοντες ἀποφαίνωσι καὶ πειρῶνται πείθειν ὑμᾶς ὡς ἐκεῖνος διέθετο ταύτας τὰς διαθήκας καὶ οὐδεπώποτε ὕστερον αὐτῷ μετεμέλησε, καὶ νῦν ἐβούλετο ἡμᾶς μὲν μηδὲν τῶν αὐτοῦ λαβεῖν, σφίσι δ' αὐ-
49 τοῖς βεβαιῶσαι τὴν δωρεάν, καὶ ταῦτα πάντα λέγοντες καὶ διισχυριζόμενοι μηδέτερον ἀποφαίνωσι, μήθ' ὡς ἐγγυτέρω τῷ γένει προσήκουσι μήθ' ὡς οἰκειότερον ἡμῶν πρὸς Κλεώνυμον διέκειντο, ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε ὅτι ἐκείνου κατηγοροῦσιν,
50 ἀλλ' οὐχ ὡς δίκαιόν ἐστι τὸ πρᾶγμα διδάσκουσιν ὑμᾶς. ὥσθ' ὑμεῖς ὅταν μὲν τοῖς τούτων λόγοις πιστεύητε, οὐ τούτους προσήκει ποιῆσαι τῶν ἐκείνου κληρονόμους, ἀλλὰ παράνοιαν Κλεωνύμου καταγινώσκειν, ὅταν δὲ τοῖς ἡμετέροις, ἐκεῖνόν τε νομίζειν ὀρθῶς βεβουλεῦσθαι λῦσαι τὰς διαθήκας βουλόμενον, ἡμᾶς τε μὴ συκοφαντεῖν ἀλλὰ δικαίως τούτων ἀμ-
51 φισβητεῖν. ἔπειτα, ὦ ἄνδρες, ἐνθυμεῖσθε ὅτι οὐχ οἷόν τε ὑμῖν ἐστι κατὰ τοὺς τούτων λόγους γνῶναι περὶ αὐτῶν. πάντων γὰρ ἂν εἴη δεινότατον, εἰ τῶν ἀντιδίκων γινωσκόντων ἡμᾶς δίκαιον εἶναι τὸ μέρος αὐτῶν λαβεῖν, ὑμεῖς ἅπαντ' αὐτοὺς ἔχειν ψηφίσεσθε, καὶ τούτους μὲν ἡγήσεσθε χρῆναι πλείω λαβεῖν ὧν αὐτοὶ σφᾶς αὐτοὺς ἠξίωσαν, ἡμᾶς δὲ μηδὲ τούτων ἀξιώσετε ὧν οἱ ἀντίδικοι συγχωροῦσιν ἡμῖν.

§. 48, 2. δεῖ προσέχειν Q. Mai.
2. Maius ἀποφήνωσι.
4. αὐτῷ ὕστερον Q. Mai. Dein μὲν in A. B. post νῦν, non post ἡμᾶς legitur.
5. τῶν αὐτοῦ] Artic. om. B.
§. 49, 1. καὶ ante διισχυριζόμενοι in A. est a man. recent. — Pro ἀποφαίνωσι, quod utique reponendum censui, omnes habent ἀποφήνωσι vel ἀποφήνωσι. Pro μήθ' in A. legitur μηδ', in B. Q. μὴ δ'.
§. 50, 2. ὅταν μὲν om. Q. Maius εἰ.
4. Κλεώνυμον Q.
§. 51, 2. ὑμῖν] ἡμῖν A.
4. ὑμεῖς om. Q. Mai. Dein ψηφίσαισθε — ἡγήσαισθε — ἀξιώσαιτε Bekkerus contra libros et praeter necessitatem.
6. αὐτοὶ] αὐτὸς B.

II.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΜΕΝΕΚΛΕΟΥΣ ΚΛΗΡΟΥ.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

§. 10. ὅτι γοῦν ἐκ ταύτης τῆς ὀργῆς — ἔλεγεν. Corruptum esse hunc locum apparet. Primum enim ὅτι ποιεῖται — ἔλεγεν scribi ab Isaeo non potuit, quandoquidem praeterito verbi dicendi vel cogitandi praesens alterius verbi tempus tum demum recte subjungitur, ubi, quod quis dixit vel cogitavit, etiamtum quum diceret v. cogitaret, praesens erat, sicut paullo infra §. 11: ἀπεκρίνατο ὅτι οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖ, non autem ἐμαρτύρησαν ὡς διατίθεται sed ὡς διέθετο. Dein verborum ὡς ὕστερον ἐσώθη perversa est collocatio pro ὕστερον ὡς ἐσώθη, id quod Scaliger intelligens ὡς ὕστερον σωθεὶς ἔλεγεν rescribi voluit, Stephanus autem ὡς ὕστερον ἐπειδὴ ἐσώθη ἔλεγεν. Sed tunc illud ὅτι in initio periodi non haberet quo referretur, id quod Reiskium permovit, ut probata Stephani conjectura in fine periodi post verba γένοιτο κύριος Δεινίας addendum suaderet δῆλόν ἐστιν. Denique ipsum illud ἐσώθη mihi maxime suspectum est. Nam quod de morbo cogitant, ex quo convaluerit, neque ullam praeterea hujus morbi mentionem factam videmus, neque verisimile est Cleonymum aegrotasse, graviter praesertim et cum vitae periculo, ut σωθῆναι dici posset, quem paullo infra §. 11. statim post scriptum testamentum in publico, πάντων τῶν πολιτῶν ἐναντίον, a Dinia compellatum legamus. — Sed ut facile est corruptelam demonstrare,

ac jure mireris Foertschio in obss. critt. in Lys. p. 33. locum sanum videri potuisse, ita sine meliorum codicum ope certam medicinam nemo invenerit. Nam quod Paris. habet ἐσώφθη pro ἐσώθη, nihil eo proficimus. Interim sententiae, ut puto, satis factum fuerit, si statuamus Isaeum tale quid, etiamsi non his verbis, scripsisse: τότε γοῦν ἐκ ταύτης τῆς ὀργῆς Κλ. ταύτας ποιεῖται τὰς διαθήκας, οὐχ ἡμῖν ἐγκαλῶν, ὡς ὕστερον [ἔργῳ] ἐδήλωσεν, ὁρῶν δὲ κτλ. — ὁρῶν δέ pro ἀλλ' ὁρῶν h. e. ἀλλ' ὅτι ἑώρα. Cf. Thuc. I, 124. IV, 86 in. Quamquam exemplis in re notissima non opus est. Bekkerus in Addend. tom. V. p. 696. pro γοῦν rescribendum censet δ' οὖν, quod cur praeferatur causam nullam video.

τὸν ἔχθιστον τῶν οἰκείων ἐπίτροπον καὶ κύριον τῶν αὐτοῦ. Ambigat aliquis τῶν οἰκείων utrum ad τὸν ἔχθιστον an ad ἐπίτροπον trahendum sit. Illud Ionesio placuit, alterum Reiskio, et mihi quoque unice verum videtur; multo enim majore cum vi οἱ ἔχθιστοι absolute dicti, *omnium inimicissimi*, opponuntur τοῖς οἰκείοις: ut taceam ἐπίτροπον τῶν αὐτοῦ (sc. χρημάτων, non προσηκόντων v. συγγενῶν) non recte dici. — Dein hoc quoque ambigas, utrum construendum sit ἐπίτροπον καὶ κύριον τῶν οἰκείων τῶν αὐτοῦ, an ἐπίτροπον τῶν οἰκείων et κύριον τῶν αὐτοῦ. Illud Meiero meo placuisse videtur Att. Proc. p. 450 not. 10; et sane tutores pupillorum κύριοι dicuntur, etsi non iis quos Meierus attulit locis, tamen alibi, ut ap. Demosth. in Macart. p. 1054, 17; tamen altera ratio, quam Reiskius quoque in versione latina secutus est, simplicior videtur et vel propter praecedentia verba: τῆς οὐσίας — γένοιτο κύριος Δεινίας, verisimilior. Cf. Demosth. pro Phorm. p. 951, 10: καὶ οὐ τῶν ὄντων κύριος ἦν, ἐπιτρόπους καταλελειμμένος, ubi item κύριος ad facultates, ἐπίτροπος ad personam pupilli pertinet.

ποιεῖν αὐτῷ τὰ νομιζόμενα. H. e. justa funebria quae proximis post funus diebus persolvenda erant, et inferias, χοὰς et ἐναγισμούς, quotannis statis tempo-

ribus ferendas. Nam quod Heraldus animadv. in Salm. obss. ad I. A. et R. p. 580. annuum hunc mortuorum cultum ad τὰ νομιζόμενα pertinere negat, refellunt eum vel haec quae sequuntur verba: ἕως ἡμεῖς ἡβήσαιμεν, quae ostendunt τὰ νομιζόμενα non semel sed per plures annos facienda fuisse. Cf. et de Menecl. her. §. 10, de Philoct. §. 65, de Apollod. §§. 30 et 32. Plura de his dicentur ad or. de Menecl. her. §§. 36 et 49. Ceterum quum haec officia necessario cum hereditate conjuncta essent (vid. Bunsen. de jure hered. p. 81 sq. Platner. Symbol. ad I. A. p. 135), si heredes ipsi pupilli essent, a tutoribus ea procurari consentaneum erat.

§. 11. καὶ εὐθὺς — παραχρῆμα. *Statim recenti re.* Frequentissima locutio, cujus quis non exempla congessit? Apud Isaeum extat etiam in or. de Pyrrhi her. §. 7 et §. 48.

τοὺς μηδὲν αὐτὸν ἠδικηκότας. Poterat etiam οὐδὲν dici. Sed hoc foret: *qui nulla cum injuria affeceramus;* contra illud est: *qui — affecissemus; a quibus nulla se injuria affectum videret.*

§. 12. ὕστερον δὲ τούτων, ὃ μέγιστον ὑμῖν τεκμήριον — τελευτήσαντος γὰρ κτλ. Ex vulgari consuetudine haec ita fuerunt collocanda: ὃ δὲ μέγιστον ὑμῖν τεκμήριον —, ὕστερον γάρ. Ut nunc est, cum ὕστερον δέ conjungitur τελευτήσαντος γάρ, quod apte comparavit Bernhardy Syntax. p. 465 cum illo Demosthenico, or. in Dionysodor. p. 1285, 25: πέρας δ' οὖν, λαβὼν γάρ. — Porro in his ὅτι οὐδὲ ταῦτα ἔπραξεν — — τελευτ. γὰρ Δ. οὐδὲ περιεῖδεν ἡμᾶς — ne quis posterius οὐδὲ in οὔτε mutandum censeat, cui respondeat in seqq. ἐπεμελεῖτό τε, tenendum est inter duo illa membra relationem quamdam et comparationem intercedere, *ne hoc quidem eo animo fecit, ut nobis nocaret, quandoquidem nec (etiam non) neglexit nos etc.* Itaque etiam Bekkero non assentior in Addend. p. 696. οὐδὲ ante περιεῖδεν in οὐ mutandum rato.

τὴν δ' οὐσίαν ἀφελέσθαι τῶν χρήστων ἐπιβουλευσάντων. Veterem lectionem τῶν χρημάτων defendere conatur Doederlin. ad Soph. Oed. Col. p. 392, ad ἐπιβου-

λειπόντων subintelligi posse monens τινῶν. Sed τὴν οὐσίαν τῶν χρημάτων qui defendi possit, a viro egregio non docemur, qui quidem, quum illa scriberet, codicum lectionem ignorasse videtur.

§. 13. τὴν ἔννοιαν. Bekkerus in Add. l. l. suadet τὴν διάνοιαν, quod mihi quoque perplacet.

§. 14. τὰς διαθήκας ἀνελεῖν. In orat. de Philoct. her. §. 31 legimus ἀνελέσθαι τὴν διαθήκην, quamquam ibidem, paullo ante, §. 30 itemque §. 32 est activum ἀνελεῖν. Scilicet ἀναιρεῖν est λύειν, tollere, rescindere; ἀναιρεῖσθαι autem, de contractuum testamentorumque tabulis, proprie est repetere ab eo, apud quem depositae fuerunt, quod fit a sublaturo. Cf. Boeckh. Staatsh. II. p. 376. — Quod autem magistratum, h. e. ut sequentia docent, aliquem ex astynomorum collegio arcessi jubet: apud hos, non, ut alias fieri moris erat, apud privatum aliquem (vid. de Philoct. her. §. 7. de Astyph. §§. 5. 6. 18.), depositum fuit testamentum, in ἀρχείῳ, ut arbitror, nec nisi ipsi qui deposuerat repetenti reddi potuit *). Nam auctoritate astynomorum aliorumve magistratuum vel ad condenda vel ad rescindenda testamenta opus fuisse noli credere. Cf. Att. Proc. p. 37. Platner. II. p. 319.

ἐξαπίνης. Vid. Lobeck. ad Phrynich. p. 18 sq.

§. 15. Δεινίᾳ πολεμῶν. De inimicitia privatorum. Cf. Lys. in Diogit. p. 906. Ita πολέμιος, or. de Astyph. her. §. 37.

Ἀρχωνίδην. Suspectum nomen Ionesio et, ni fallor, etiam Bekkero, nulla, ut mihi quidem videtur, idonea causa. Ipsum certe nomen non infrequens. Vid. Thucyd. VII, 1. Diodor. XII, 8. XIV, 16. Dorvill. Sicul. p. 401.

---

*) Obiter moneo, quod Bunsen. ait de jur. her. p. 71, confectum et obsignatum testamentum uni e testibus tradi, apud quem deponeretur, *hujusque nomen a testatore subscribi solitum esse*, ut verisimile sit, iis tamen locis, quos vir doctissimus attulit, Isae. p. 161 et 245, non probari, neque magis eo, quem Gansius citavit de jur. her. I. p. 391.

et 613. Add. Cicer. Verr. III, 56. IV, 26. Terent. Heaut. V, 5, 21.

§. 16. ὡς ἐὰν ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι τοὺς μάρτυρας. Formulam, cujus exempla congerere nihil attinet, ita explicandam putant, ut suppleatur ἵνα εἰδῆτε, quod sane additum est a Demosth. pro coron. p. 327, 11. Lys. in Philon. p. 880. Vid. Fritzsch. Quaest. Lucian. p. 59 sqq. Nescio tamen an de tali supplemento ipsi veteres non cogitarint potiusque illud ὡς vel ὅτι ἀληθῆ λέγω absolute dictum sit, *quod attinet ad veritatem eorum, quae dico.* Cf. Demosth. in Onetor. II. p. 877 (§. 4 Bekk.) καὶ ταῦθ' ὡς ἀληθῆ λέγω· τὸ μὲν χωρίον καὶ νῦν οὗτός φησιν ἀποτετιμῆσθαι ταλάντου. Ita enim hic locus legendus est cum Bekk. Cf. ad or. de Pyrrh. her. §. 55.

οἱ τούτων φίλοι καὶ Κηφίσανδρος. Ipsum Cephisandrum unum ex his amicis fuisse ostendit §. 28. Itaque eo schemate orator usus est, de quo exposuit Strabo I. cap. 2. p. 63 ed. Tauchn. citans Homerica illa Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα, Ἴδην καὶ Γάργαρα aliaque. Unum addam insigne ap. Thuc. V, 112: τῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων καὶ Λακεδαιμονίων τιμωρίᾳ. Plura vid. ap. Abresch. annott. ad quaedam loca N. T. p. 542, Wyttenbach. Bibl. crit. II, 3, p. 51. Wagner et Bergl. ad Alciphr. II, 3, 49.

§. 17. βραχέα h. e. ὀλίγα. Ita πολλά et βραχέα opponuntur ab Aeschine in Ctesiph. p. 407. cf. Demosth. in Boeot. p. 1002. Osann. ad Lycurg. cap. 6 extr. Krüger ad Dionys. p. 107. Brem. ad Aeschin. tom. II. p. 177. — Paullo ante pro οὕτω τολμῶσι Bekk. in Add. οὗτοι τολμ. suadet. Sed nihil equidem mutandum censeo: οὕτω accipiendum pro ὅμως. Cf. Baehr. ad Plutarch. Pyrrh. p. 166.

§. 18. σφίσιν αὐτοῖς. Cf. infr. §. 48: σφίσι δ' αὐτοῖς βεβαιῶσαι τὴν δωρεάν. de Dicaeog. her. §. 8: ἐξουσίαν σφίσιν αὐτοῖς ἡγοῦντο εἶναι. Lysias accus. Agor. p. 510: ἀποθνήσκοντες γὰρ ἡμῖν ἐπέσκηψαν — — τιμωρεῖν ὑπὲρ σφῶν αὐτῶν Ἀγόρατον. ibid. 493: τὰ ὀνόματα διαπράττονται σφῶν αὐτῶν — προσγραφῆναι εἰς τὴν στήλην·

His omnibus locis pronomen demonstrativum, si abesset, nemo desideraret.

§. 19. ἐν ᾧ h. e. ὅτε, quod satis vulgare. Pro eo ἐν οἷς est ap. Demosth. pro cor. p. 231, 13. ἐν οἷς ἡμάρτανον οἱ ἄλλοι καὶ κακῶς ἐφρόνουν, αὐτὸς παρεσκευάζετο.

εἰ καὶ ἡμεῖς ὁμολογήσομεν — καὶ ὑμεῖς πιστεύσετε. Reiskius mallit ὁμολογήσαιμεν, πιστεύσαιτε. Etiam alibi futur. ind. in ejusmodi enunciatione conditionali eum offendit, imprimis ubi sequitur in apodosi opt. cum ἄν, ut ap. Lys. in Eratosth. p. 405 pro δημεύσετε reposuit δημεύσαιτε: alia tamen inoffensus transiit, ut Lycurg. in Leocr. p. 178: πάντων γένοιτ' ἂν ἀτοπώτατον, εἰ — ἀπολύσετε, qualia permulta sunt, quae nunc quidem nemo neque explicari neque defendi cupit. Cf. F. A. Wolf. ad Leptin. p. 283. Bremi Excurs. VII. ad Lysiam. — Pro αὐτοὶ vide ne legendum sit αὐτοῖς.

§. 20. τίς γὰρ ἂν — ταύτης μανία μείζων, ἢ — ποιεῖν. Similia exempla, in quibus comparativo cum ἢ et verbo vel finito vel infinito praemittitur genitivus pronominis, cujus illud quodammodo epexegema est, si quis requirat, vid. Matth. Gr. gr. p. 845 extr. et qui ibi laudantur. Cf. et Schaefer. appar. crit. ad Dem. V. p. 400. — Sed ex eodem genere sunt etiam talia, ubi post pronomen relativum ad praecedentem sententiam relatum sequitur ejusdem sententiae expositio, variata tamen et amplificata, quale hoc est apud Plutarch. Cat. mai. cap. 18. Πλούτου γὰρ ἀφαίρεσιν οἱ πολλοὶ νομίζουσι τὴν κώλυσιν αὐτοῦ τῆς ἐπιδείξεως· ἐπιδείκνυσθαι δὲ τοῖς περιττοῖς, οὐ τοῖς ἀναγκαίοις. ὃ δὴ καὶ μάλιστά φασι τὸν φιλόσοφον Ἀρίστωνα θαυμάζειν, ὅτι τοὺς τὰ περιττὰ κεκτημένους ἡγοῦνται μακαρίους —. Antiphon de caede Herod. p. 727: νῦν δὲ αὐτοὶ καταγνόντες τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρὸς ἀπεκτείνατε. ὃ οὐδὲ πόλει ἔξεστιν, ἄνευ Ἀθηναίων οὐδένα θανάτῳ ζημιῶσαι. cf. Dem. de foed. Alex. p. 218, 5. in Aristogit. I. p. 779, 13. Sed ab hoc initio profectus latius mox hic usus patere coepit, ut etiam talia post relativum subjungerentur, quae non repeterent tantum priorem sententiam variatam et dilatatam, sed plane aliam continerent, quae tamen cum

illa priore aliquo modo esset conjuncta, ut Plat. Sympos. p. 221. B.: οὓς οὗτος ἐξαπατῶν ὡς ἐραστὴς παιδικὰ μᾶλλον αὐτὸς καθίσταται· ἃ δὴ καὶ σοὶ λέγω, μὴ ἐξαπατᾶσθαι ὑπὸ τούτου. Demosth. in Aristog. II. p. 802, 16. Ἀριστείδην φασὶν — ἐν Αἰγίνῃ διατρίβειν ἕως ὁ δῆμος αὐτὸν κατεδέξατο, Μιλτιάδην δὲ καὶ Περικλέα ὀφλόντας — ἐκτίσαντας οὕτω δημηγορεῖν· ὃ καὶ δεινότατον ἂν εἴη συμβαῖνον, τοὺς μὲν πολλὰ καὶ μεγάλα ποιήσαντας ὑμᾶς ἀγαθὰ μὴ τυχεῖν ταύτης τῆς δωρεᾶς, — τὸν δὲ μηδὲν ἀγαθὸν εἰργασμένον — οὕτω προχείρως φαίνεσθαι — ἐξουσίαν παρ᾽ ὑμῶν τοῦ παρανομεῖν εἰληφότα. Non enim assentiri possum Schaefero ad Demosth. V. p. 400, qui talium locorum eandem esse rationem putat, atque hujus Isocratei p. 169 ed. Bekk. Oxon. ὃ δὲ πάντων σχετλιώτατον, εἰ φιλοπονώτατοι δοκοῦντες εἶναι τῶν Ἑλλήνων ῥᾳθυμότερον τῶν ἄλλων βουλευσόμεθα περὶ τούτων. Hoc enim breviter dictum est, ita ut supplendum sit: τοῦτ᾽ ἐστὶν, neque ad praecedentia refertur pronomen relativum; contra in illis exemplis tale supplementum locum nullum habet, neque potest relativum nisi ad praecedentia referri. Ceterum idem hic usus etiam apud Latinos satis frequens est, apud quos non modo relativum sed etiam demonstrativum ita usurpatum invenias. Relativi hoc sit exemplum, Nep. vit. Att. cap. 18: *sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripsit, quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari.* Mirifice de hoc loco erravit I. F. Wagner. ad Cic. de legg. I. cap. 8. Demonstrativi exemplum est apud Caes. B. G. V, 4, 4. *Id factum graviter tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui.*

νυνὶ δὲ — — ἐβουλήθη. Mutata structura, pro βουληθῆναι. Similiter Lysias in Eratosth. p. 400. οὐ — προσήκει ποιῆσαι, ὅπερ ἐν τῇδε τῇ πόλει εἰθισμένον ἐστίν· πρὸς μὲν τὰ κατηγορούμενα μηδὲν ἀπολογεῖσθαι, περὶ δὲ σφῶν αὐτῶν ἕτερα λέγοντες ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν. Cf. Bremi Excurs. p. 441 et Bernhardy Synt. p. 388. — *Νυνὶ* autem est *hoc postremo tempore*, neque vitiosum videtur.

Nam notissimum illud Grammaticorum praeceptum: τὸ νυνὶ ἐπὶ μόνου τοῦ ἐνεστῶτος τάσσεται, apud Etym. M. p. 608, 45. Eustath. ad Odyss. p. 1840, Ammonium et alios, paullo liberius interpretandum est. Cf. Plato Legg. III, 16. p. 123 Ast: τούτων ἕνεκα πολιτείας — ἐπισκοποῦμεν νυνί.

§. 22. τὸν ἐλθόντα τῶν ἀρχόντων ἐπὶ τὴν θύραν. Poterant verba etiam ita ordinari τῶν ἀρχ. τὸν ἐπὶ τ. θ. ἐ. aut τὸν ἐπὶ τὴν θύραν ἐλθ. τῶν ἀρχ. Sed simili ordine Lysias dicit in Eratosth. p. 432: οἱ εἰρημένοι τρόποι ὑπ' ἐμοῦ. Demosth. Timocr. p. 708. οἱ τεταγμένοι χρόνοι ἐν τοῖς νόμοις. de coron. p. 301: ὁ κατειληφὼς κίνδυνος τὴν πόλιν. or. de Halon. p. 81. τὴν καταψευδομένην γνώμην τῶν πρεσβέων. Plura congessit Krüger ad Dionys. p. 139.

δυεῖν — θάτερα. Cf. infra ad §. 38.

§. 23. πῶς ἂν ἕτερα τούτων γένοιτο ἀπιστότερα, τοὺς μὲν — φυλάξασθαι. Ad exemplum aliorum hujusmodi locorum, de quibus dictum est ad §. 20, hic quoque ἢ inseri poterat, aut, si Heindorfium audiamus ad Plat. Gorg. p. 183 §. 120, inseri debebat. Nam in simili Luciani loco, Abdicat. §. 1: οὐ τί γένοιτ' ἂν ἀτοπώτερον, θεραπεύειν ἐκ προστάγματος κτλ., ἢ addendum esse contendit. Sed recte obloquitur Fritzschius Quaest. Luc. p. 89, alterum ex ipso Gorgia locum afferens §. 158: καίτοι τούτου τοῦ λόγου τί ἂν ἀλογώτερον εἴη πρᾶγμα, ἀνθρώπους ἀγαθοὺς καὶ δικαίους — ἀδικεῖν; duos alios e Luciano, Abdicat. §. 13: οὐ τί γένοιτ' ἂν ἀχαριστότερον, σωθέντα δι' ἐμὲ — τοῖς τοιούτοις εὐθὺς ἀμείβεσθαι; Calumn. non tem. cred. §. 24. οὐ δὴ ἐγὼ οὐδὲν οἶμαι ἀδικώτερον οὐδὲ δουλοπρεπέστερον, ἐνδακόντα τὸ χεῖλος ὑποτρέφειν τὴν χολήν. Cf. nunc etiam Matth. Gramm. p. 846.

ζημιωθησομένους. Hac sola, si recte memini, passivi futuri forma in hoc quidem verbo oratores usi sunt; apud alios est etiam altera ζημιώσομαι, ut Herodot. VII, 39. Thucyd. III, 40.

§. 24. αὐτὸς ὅρος ἐστὶ τῶν δωρεῶν. *Hoc extremum est in donationibus.* Si quis, ait, testamento sua dona-

vit alteri, aliud quiddam, quo haec donatio magis etiam firmetur et stabiliatur, inveniri non potest.

§. 25. *ἐν ἑτέρῳ γραμματείῳ.* Fuisset hoc instar codicilli. — Quod sequitur *αὐτά* quum praecesserit *εἴ τι*, ne quem offendat vid. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 138.

μηδὲ τοῦτο sc. *ὅ τι ἐβούλετο*, confirmare, quae prius scripserat, an rescindere voluerit.

§. 26. *καὶ πείθουσιν ὑμᾶς.* *Persuadere conantur, hortantur.* De Astyph. her. §. 24. *τοὺς οὐδὲν προσήκοντας πείθων ἀμφισβητεῖν.* Cf. Wunderlich. praef. ad Demosth. or. pro cor. p. XLV. XLVI.

§. 28. *Πάντων δ' ἂν εἴη θαυμασιώτατον.* Lysias in Andoc. p. 210 Bekk. *θαυμάσιον δὲ οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο.* Hac adjectivi forma in hac locutione offensus Valckenarius ap. Sluiter. Lect. Andoc. p. 186 rescribi voluit *θαυμαστόν.* Immerito, mea quidem sententia. Etiam ap. Pseudo - Demosth. or. in Theocrin. p. 1341, 25 pro *ὃ καὶ θαυμαστόν ἐστιν* ex optimo Bekkeri codice *θαυμάσιον* repositum est a Dindorfio.

§. 29. *οἷς οὔτ' ἀνάγκη ἐστὶν οὔτ' αἰσχύνην οὐδεμίαν φέρει.* Facile infinitivi *εὖ ποιεῖν ἡμᾶς* ad *ἀνάγκη ἐστίν*, *ἀμελεῖν* ad *αἰσχύνην φέρει* e praecedentibus supplentur. Durius Thucydides loquutus est II, 37 *νόμοι ὅσοι ἄγραφοι ὄντες αἰσχύνην ὁμολογουμένην φέρουσι*, ubi ipsa sententia docet supplendum esse *τῷ παραβαίνοντι* vel *ἐάν τις παραβαίνῃ αὐτούς.* Nam quod Goellerus vertit: *durch eines jeden eigene Empfindung sich Achtung und Ehrerbietigkeit verschaffen*, probari nullo modo potest.

§. 30. *νυνὶ δὲ πᾶν τοὐναντίον εὑρήσετε.* Maius *νῦν δέ*, quod quum Bekkerus mutarit nulla varietate neque ex Ambrosiano neque e reliquis codd. commemorata, hi omnes *νυνὶ* habere videntur, quod mutare nolui, licet alias in hac formula, quae frequentissima est, *νῦν* tantum me legere memini.

§. 31. *Φερένικον οὐδαμοῦ παρεστήσατο.* *Παρίστασθαι* de eo, quem quis adhibet sacrificio concelebrando, est etiam in or. de Ciron. her. §. 17. — *οὐδαμοῦ παρεστ. nullo loco adhibuit*, h. e. *plane non*, fere ut *οὐδαμοῦ τιθέναι*

τινά, quod illustravit Ruhnken. ad Xenoph. Memm. I, 2, 52.

εἰς Πάνορμον. Portus hic erat in australi Atticae litore prope Prasias oppidum. Vid. Müller. in Ersch. et Grub. Encyclopaed. VI, p. 221 et Krusii Hellas II, 1. p. 254.

προσειπεῖν οὐκ ἐτόλμησαν. Noluit, recusavit. De Hagn. her. §. 37. οὐδεμιᾷ τολμῶ συνευπορῆσαι προικός. Cf. Monk. ad Eurip. Alcest. v. 285.

§. 32. κάλει μάρτυρας. Articulum τοὺς μάρτυρας plane necessarium puto. Sunt quidem aliae similes locutiones, in quibus vel addi vel omitti articulus potest e loquentis arbitrio, veluti τούτων ὑμῖν μάρτυρας παρέξομαι et τούτων ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι (or. de Dicaeog. her. §§. 13. 18. 24. 27. 33. 38 et alibi passim): horum enim utrumque qua ratione dicatur perspicuum est. At qui scribam excitat ad testes advocandos, certos quosdam et qui huic noti sint, citari jubet, quamobrem articulum addi orationis leges flagitant. Itaque non dubito, quin omnes loci, ubi articulus in hac formula desideratur, librariorum culpa corrupti sint. Sunt autem tales imprimis apud Lysiam, v. c. in Agorat. p. 489. de pecun. publ. p. 590. 594. 597. de bon. Aristoph. p. 640. pro Polystr. p. 687. Neque immerito librariis hoc imputari ostendit etiam varietas lectionis codd. Cripps. et Ambros. §. 16 huj. orat.

§. 33. ἡμῖν μὲν — οὕτω ποιεῖν ὅπως μηδὲ λόγον ὑπολείψει. Dativus pronominis, ad ὑπολείψει non ad ποιεῖν pertinens, cur in initio collocatus sit ita ut interpositis voce. οὕτω ποιεῖν a suo verbo disjungeretur, aperta est ratio. Eodem modo in seqq. τούτοις δὲ interposito σκοπεῖν a βεβαιώσει sejunctum. Atque haec quidem metathesis lenissima est; paullo durior, sed propter similem rationem praeoptata, est in [Demosth.] or. in Neaer. p. 1369: τὴν τοίνυν περιφανῶς ἐγνωσμένην ξένην εἶναι — εἰς τοσοῦτον ὕβρεως ἦλθε Στέφανος οὑτοσὶ ὥστε μὴ ἀγαπᾶν εἰ μόνον ἔφασκεν αὐτὴν ἀστὴν εἶναι.

§. 36. τὸ περὶ ἡμῶν δίκαιον h. e. τὸ ἡμέτερον δίκαιον, ut est ap. Antiphontem p. 706 ἐν τῷ ὑμετέρῳ δικαίῳ — ἐν τῷ ἐμῷ. Quamquam alias pluralis hoc sensu frequentior. Demosth. in Aristog. II, p. 802, 15: εἴκοντες τοῖς ὑμετέροις δικαίοις. Eodem sensu τὰ ὑπὲρ ὑμῶν δίκαια in Demosth. epist. p. 1469, 22. Sed de illa circumloquutione conf. Bernhard. Synt. p. 262.

§. 38. εἰ τοῖς μὲν ἄλλοις ψηφίζοισθε. Ψηφίζεσθαί τινι nullo adjuncto accusativo legitur etiam infra §. 41. cf. or. de Astyph. hered. §. 37: ἀντιβολῶ ὑμᾶς ἐκ παντὸς τρόπου ψηφίσασθαί μοι. Demosth. Mid. p. 575, 17: τούτοις — ἀντιβολοῦντα ἕκαστον ὑμῶν ψηφίσασθαι. Cf. in Timocr. p. 711, 11: οὔτ' ἀμφοτέροις ἔνι δήπου ψηφίσασθαι· πᾶς γάρ; οὔτε θατέρῳ ψηφιζομένους εὐορκεῖν. Significat autem *sententiam ferre pro aliquo* v. *in alicujus gratiam*, quo sensu alias dicitur τὴν ψῆφον διδόναι v. φέρειν τινί. Cf. Demosth. in Mid. p. 575, 15. Aeschin. in Ctesiph. p. 404. in Timarch. p. 114. Isae. de Hagn. her. §. 18. de comitt. Athenn. p. 122.

ὅταν θάτερα τούτων ἀποφαίνωσι σφᾶς αὐτοὺς ἢ γένει κτλ. Expectes potius singularem θάτερον, quum utrumvis unum sit: et alibi in hac loquutione singularis inveniri solet. Vid. Matth. gr. Gr. p. 807 et 1293. Sed pluralem habemus etiam supra §. 22: δυοῖν τοῖν ἐναντιωτάτοιν θάτερα μέλλοντες ἢ τὴν οὐσίαν κτλ. Conf. de Pyrrh. her. §. 58: οὐκοῦν δυοῖν τὰ ἕτερα προσῆκε τῇ γυναικὶ ἢ ζῶντι ἀμφισβητῆσαι ἢ — ποιεῖσθαι. Plat. Charmid. p. 160 C.: δυοῖν γὰρ δὴ τὰ ἕτερα ἢ οὐδαμῇ ἡμῖν ἢ πάνυ που ὀλιγάκις αἱ ἡσύχιοι πράξεις ἐν τῷ βίῳ καλλίους ἐφάνησαν. Add. Plat. Phileb. p. 43 E.: τὸ μὲν χρυσόν, τὸ δ' ἄργυρον, τὸ δὲ μηδέτερα τούτων. ubi item pluralis habet quod offendat. — Ceterum in illa loquutione verbum aliquod generale, aliud alibi, velut ποιεῖν, γενέσθαι, εἶναι, supplendum videri possit, et est ubi in aliis codicibus addatur in aliis omittatur, velut in illo loco, quem Matthiaeus contulit, Isocrat. de permut. §. 211, ubi Ambros. codex habet ἐξ ὧν δυοῖν θάτερον ποιήσομεν, ἢ μεταστήσομεν κτλ., Urbin. autem et Vatican. illud ποιή-

σφιν omittunt. Et debetur haud dubie correctori, qui structurae succurrendum putaret. Legitimum enim hoc est et omnium usu receptum, ut nihil ejusmodi addatur et θάτερα illud vel θάτερον cum reliqua structura nullo modo conjungatur. Quamquam nostro quidem loco possit aliquis θάτερα cum ἀποφαίνωσι conjungere, de Pyrrh. her. §. 58 cum προσήκει: vel sic tamen supplendum foret altero loco ὄντας, altero ποιεῖν; plerumque autem ne ejusmodi quidem adminiculum adest, liberumque et absolutum ponitur θάτερον v. θάτερα, quo sequentia quodammodo praeparentur. Neque causam video quo minus eandem in omnibus locis rationem statuamus, neque quidquam suppleamus, non magis quam apud interrogativum πότερον v. πότερα, quod eodem modo usurpatum plane in particulae locum abiit. Vide enim quam accurate haec sibi respondeant: πότερα γένει πρωτεύουσι ἢ τῇ πρὸς ἐκεῖνον φιλίᾳ; et δυοῖν θάτερα ἢ γένει πρωτεύουσιν ἢ τῇ φιλίᾳ. Neque diversi generis est ἀμφότερον v. ἀμφότερα, quod eodem modo reliquae enunciationi, quasi praeparandi causa, praemittitur, ut in illo χώσατο δ' αἰνῶς ἀμφότερον νίκης τε καὶ ἔγχεος. Antiph. de salt. §. 46 Bekk. ἱκανά γ' ἦν ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι, εἴπερ ἠδικοῦντο, ἀμφότερα καὶ σφῶν αὐτῶν ἕνεκα καὶ τῆς πόλεως. Poterit hic quoque dici δυοῖν θάτερα ἢ σφῶν αὐτῶν ἕνεκα ἢ τῆς πόλεως. — Conf. quae Schaeferus disputavit ad Demosthen. I. p. 552.

§. 39. εἰ μὲν Πολύαρχος — ἐτύγχανε τῶν ἐπιτηδείων ἐνδεὴς ὤν. Simili argumento ex lege κακώσεως repetito utitur etiam or. de Ciron. her. §. 32. — De officio alendi omnia in vulgus nota sunt. Vid. de ord. jud. p. 288 et qui ibi commemorantur: neque magis illud cuiquam ignotum puellas in angusta re familiari sine fratribus relictas a proximis cognatis aut in matrimonium ducendas aut cum certa quadam dote aliis collocandas fuisse. Vid. ib. p. 290.

ἀπορουμένας. H. e. πενομένας, ἀπορούσας. Nam passivae hujus verbi formae non rarius quam activae usurpantur, et apud nonnullos, velut ap. Plutarchum, paullo

etiam frequentius. Demosth. in Aphob. I. p. 830: *πολλὰ τοίνυν ἀπορηθεὶς περὶ πάντων τούτων.* Id. in Timoth. p. 1203, 16: *ἀλλ' ἑώρα σε ὡς ἠπόρου.* ibid. 1190, 27: *ἀπορούμενος ὑποδέξασθαι αὐτούς.* Or. in Neaer. p. 1380, 4. *ἠποροῖτο τῆς σωτηρίας.* Videtur tamen hoc olim fuisse discriminis ab accuratioribus scriptoribus servatum, ut *ἀπορεῖσθαι* is potissimum diceretur, quem status rerum ac condicio in angustias conjecisset, *ἀπορεῖν* autem simpliciter esset *inopem esse, haesitare etc.* Itaque puellae *ἀποροῦσαι* erunt *inopes* simpliciter, *ἀπορούμεναι* autem, *quae patris morte inopes factae sunt.* Ceterum cf. Hesych. tom. I. p. 480 et Pollux III, 111.

ἡ παρ' ὑμῶν αἰσχύνη: pudor a vobis, h. e. quo vestri de nobis judicii reputatio nos perfunderet. Similiter Lycurg. in Leocrat. cap. 32, 3: *ὁ γὰρ παρὰ τῶν πολιτῶν φόβος ἀναγκάσει τοὺς κινδύνους ὑπομένειν.* Plut. Agid. cap. 2: *τὴν παρὰ τῶν πολλῶν δόξαν.* De praepositione *ἀπὸ* similiter usurpata vid. Schaefer. Melett. p. 84.

ταῖς μεγίσταις ζημίαις. De poena ejus qui *κακώσεως γονέων* v. *ἐπικλήρων* damnatus esset, vid. de ord. jud. p. 292.

§. 41. *ὅπερ ποιεῖτε: id quod facere consuevistis.* Quam saepe autem judices in causis hereditariis contra testamenta pronuntiaverint vel una Philocleonis gloriatio ostendit apud Aristophanem Vesp. v. 603:

κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῳ δῷ καταλείπων παῖδ' ἐπίκληρον,
κλάειν ἡμεῖς μακρὰ τὴν κεφαλὴν εἰπόντες τῇ διαθήκῃ
καὶ τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισιν ἐπούσῃ
ἔδομεν ταύτην ὅστις ἂν ἡμᾶς ἀντιβολήσας ἀναπείθῃ.

οὐχ οἷόντε τοῦτ' ἐστὶ — ψεύσασθαι. *Τοῦτο* noli ad *τὸ γένος* referre; pertinet potius ad *γένους οἰκειότητα*, quasi dicas *τὸ περὶ τῆς τοῦ γένους οἰκειότητος.* Tales pronominis structurae frequentissimae sunt. Conf. Matthiae. gr. Gr. p. 820. Bernhard. Syntax. p. 282. Sententia

autem haec est: de cognationis propinquitate vos ipsi certissime judicare potestis neque hac de re, quinam cognationis gradus propiores sint defuncto, qui remotiores, fallere quisquam vos potest.' In eandem fere sententiam disputat orat. de Nicostr. her. §. 15 sqq.

§. 43. πολὺ κάλλιόν ἐστι ψηφίσασθαι κατὰ τὸ γένος— μᾶλλον ἢ κατὰ τὰς διαθήκας. Μᾶλλον comparativo apud optimos quosque scriptores frequentissime, neque, ut arbitror, temere, sed duabus rationibus adjungitur. Nam aut simpliciter vim comparativi auget, aut majorem orationi quum perspicuitatem tum vigorem conciliat: sicut nostro loco quum comparativus κάλλιον eorum membrorum, quae inter se comparantur, priori praemissus sit, repetitur ejus notio etiam ante posterius membrum per adverbium μᾶλλον, quo et magis perspicuam fieri et vividiorem orationem quivis intelligit. Geminos locos habes de Menecl. her. §. 15. de Astyph. her. §. 16, ut multos aliorum scriptorum praetermittam. Alterius generis exemplum est de Nicostr. her. §. 14: μᾶλλον ἑτοιμότερον, multaque passim apud alios a multis collecta. Vituperant talia Grammatici, Thomas Mag. p. 596. Moeris p. 460; sed immerito.

§. 44. ποτέρων ἐκεῖνος ἐγίγνετο κληρονόμος. Neque aoristus e cod. Ambros. reponendus, neque ἂν inserendum est. Nam ἐγίγνετο idem valet atque ἔδει γενέσθαι. Conf. §. 45. de Dicaeog. her. §. 44 extr. de Astyph. her. §. 24.

§. 46. καὶ ἡμεῖς οὐδένα ἄλλον ἠξιώσαμεν. Hujus loci aliam rationem esse apparet quam ejus de quo modo dixi, ut minus commode ἂν abesse posse videatur. Neque tamen addendum esse contenderim, quum nonnunquam Graeci id, quod futurum sub aliqua condicione fuit, cum majore asseveratione tanquam factum proferant, significantes, ut Reisigii verbis utar de ἂν part. p. 139, eventum veritati proximum et jam certissimum, nisi ex condicione esset aptus. Conf. infr. ad orat. de Nicostr. her. §. 11. — At in sequentibus οὐ

γὰρ δήπου ζῶντες ἂν ἐνεχειρίσαμεν αὐτῷ τὴν οὐσίαν equidem illud *ἂν* alieno loco irrepsisse crediderim. Quippe non haec est sententia: *εἰ ἔζημεν, ἐνεχειρίσαμεν ἄν*, ut hoc *ἐγχειρίζειν* ex condicione aptum sit; sed res designatur vere facta, *ζῶντες ἐνεχειρίσαμεν*, in qua designanda quae vis sit particulae ego me non perspicere fateor. Contra quae sequuntur, *ἀποθνήσκοντες δέ*, hypothesin continent cujus haec est apodosis *ἐβουλήθημεν* —, quae quidem *ἂν* particula carere non posse videtur. Neque tamen eam hic inserendam puto, sed potius in initio totius periodi: *οὐ γὰρ ἂν δήπου*, — quippe quum haec verba non ad proxima illa *ζῶντες ἐνεχειρίσαμεν*, sed tantum ad posterius membrum *ἀποθνήσκοντες ἐβουλήθημεν* pertineant. Est enim hic locus ex eo idiomatis genere, de quo post Wolfium Analectt. II. p. 318 egregie nuper disputavit Madvigius emendatt. ad Cic. philos. p. 25 sqq. Nimirum ad nostrae linguae consuetudinem ita haec erunt efferenda: *οὐ γὰρ ἂν δήπου, ἐπειδὴ ζῶντες ἐνεχειρίσαμεν —, ἀποθνήσκοντες ἐβουλόμεθα κτλ.* Similis, praeterquam quod ad collocationem particulae attinet, locus est apud Demosth. de coron. p. 229, 23: *οὐ γὰρ δήπου Κτησιφῶντα μὲν δύναται διώκειν δι' ἐμέ, ἐμὲ δέ, εἴπερ ἐξελέγχειν ἐνόμιζεν, αὐτὸν οὐκ ἂν ἐγράψατο.* Poterat hic quoque scribi: *οὐ γὰρ ἂν δήπου, ὅτεπερ Κτησιφ. δύναται διώκειν —, ἐμὲ οὐκ ἐγράψατο.* *Non enim, quum Ctesiphontem accusare possit propter me, me ipsum non accusaturus fuisset etc.*

§. 47. *ὦ Ἀθηναῖοι.* Hoc uno loco Isaeus auditores suos hoc nomine alloquitur, alias semper *ὦ ἄνδρες* vel *ὦ ἄνδρες δικασταί* aut, omissa interjectione, *ἄνδρ. δικ.*

§. 48. *ὅσῳ γὰρ ἂν ταῦτα λέγοντες ἀποφαίνωσι* —. Si sanum est illud *ὅσῳ*, anacoluthia quaedam statuenda est, ut tale quid scripturus fuisse videatur: *ὅσῳ γὰρ ἂν ἀποφαίνωσι —, τοσούτῳ μᾶλλον ἐκείνου κατηγοροῦσιν.* Sed malim tamen *ἐν ᾧ* rescribi, ut haec sit structura: *ἐνθυμεῖσθε ὅτι, ἐν ᾧ ἂν ἀποφαίνωσιν —, ἐκείνου κατηγοροῦσιν.*

§. 51. ψηφίσεσθε. Rarior utique apud Atticos forma, quae Bekkerum quidem adeo offendit, ut ψηφίσαισθε reponeret et sequentia quoque futura cum optativis permutaret. Mihi talia non videntur contra librorum consensum obliteranda, quae quamvis rara, non tamen prorsus inaudita sunt. Vid. Lobeck. ad Phrynich. parerg. p. 746. De constructione vid. id. ib. p. 721.

IN ORATIONEM II.

DE MENECLIS HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Menecles quum per aliquot annos Eponymi cujusdam Acharnensis filiam in matrimonio habuisset liberisque ex ea nullis sublatis tandem omnem procreandi spem propter aetatem abjecisset, uxorem ipsius ac duorum fratrum — nam Eponymus dudum obierat — consensu dimisit filiumque sibi alterum ex his fratribus, eum a quo nostra oratio habita est, adoptavit. Mortuo autem Menecle tertio et vigesimo post adoptionem anno de hereditate cum filio adoptivo contendit Meneclis frater: cui quum ille διαμαρτυρίαν opposuisset, non posse hereditatem in controversiam vocari, quum ipse filius esset a Menecle inter vivos et longo ante obitum tempore adoptatus*), testis quo usus erat ad διαμαρτυρίαν interpo-

*) Haec est διαμαρτυρία μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, de qua vid. de ord. jud. p. 460 et 638 sqq. Adoptivos autem, qui quidem inter vivos, non per testamentum, adoptati essent, sicut ἀνεπίδικον capere hereditatem per solam ἐμβάτευσιν poterant (Demosth. ctr. Leoch. p. 1086, 19), ita etiam si quis eos ad διαδικασίαν vocaret, hunc per διαμαρτυρίαν submovere potuisse consentaneum est, et praeter hoc Menecleae causae exemplum confirmatur etiam iis quae leguntur in orat. de Apollod. her. §. 3. Contra qui testamento adoptati essent, his quum ad capiendam hereditatem necessaria esset ἐπιδικασία, etiam διαμαρτυρίᾳ uti

nendam falsi testimonii ab adversario accusatur: neque enim rite ac legitime, sed mulieris illius, quae Menecli nupta fuerat, instinctu illam adoptionem factam esse a sene imbecillo mentisque non satis compote: quales adoptiones legem irritas esse jubere *). Defendit testem suum hac oratione filius, utpote συνήγορος, et ita quidem, ut primum licuisse Menecli adoptare quem vellet demonstret, dein sui adoptandi causam non muliebres blanditias atque illecebras fuisse ostendat, sed quod, quum necesse esset Menecli, nisi plane orbus decedere domumque suam vacuam relinquere vellet, filium aliquem adoptare, nemo fuerit ex propinquis quem adoptare posset praeter se fratremque suum. Neque quemquam extitisse vivo Menecle, qui hoc ejus consilium reprehenderet; laudatum potius fuisse ab omnibus. Ipsum vero adversarium tanto minus habere quod damnosam sibi hanc adoptionem fuisse queratur, quod majorem bonorum partem vivo jam Menecle per litem abstulerit, et perpauca tantum ab hoc post mortem relicta sint. In ipsa autem illa lite, quum amicorum arbitrio res inter Meneclem fratremque componeretur, adversarium sibi, filio adoptivo, jus jurandum dedisse de servanda in posterum amicitia ac gratia, quod quidem non facturus fuisset, nisi rite ac legitime adoptatum censuisset. Neque vero se propter hereditatem ipsam magnopere reluctari, quo minus adoptio rescindatur, sed quoniam turpe existimet mortuum deserere cujus vivi filius habitus sit.

Statum causae apparet esse legalem et conjecturalem: quaeritur enim primum, licueritne Menecli adoptare; dein ritene ac legitime adoptarit, an mentis debilitate et mulieris illecebris ac blanditiis permotus.

De tempore habitae orationis aliqua, licet lubrica,

---

non videtur *jure* licuisse, sed subeunda fuit εὐθυδικία, ut testamentum, quo adoptati essent, defenderent. Quamquam hos etiam nihilo minus nonnunquam διαμαρτυρίᾳ usos esse exempla docent. cf. de Dicaeog. her. §. 16.

*) Conf. Bunsen. p. 55.

conjectura capi potest ex comparatis inter se §§. 6. 15. 19. hactenus saltem, ut non ante Ol. 105, sed aut hoc ipso tempore aut paullo post habitam esse probemus. Quae enim §. 6 commemoratur Iphicratis in Thraciam expeditio, cujus comites fuerunt actor ejusque frater, haec eadem esse videtur de qua Xenophon narrat Hellen. IV. 8, 34, missum esse Iphicratem cum navibus octo et peltastarum manu ad tuendum Hellespontum et circa sitas regiones. Haec autem expeditio suscepta est Ol. 97, 4 a. Chr. 389 (vid. Clinton. Fast. Hell. p. 106 Krüg.), cui si interfuit actor, reversus in patriam videbitur aut proximo anno 388, aut certe post pacem Antalcideam 387. Jam divortium cum uxore Menecles fecisse videtur aut eodem anno, aut proximo 386. Adoptatus autem est actor non ante quam soror ejus iterum nupsisset liberosque duos peperisset (vid. §. 19.) h. e. tribus saltem aut quattuor post divortium annis, circ. 383. Post adoptionem anno vigesimo tertio Menecles obiisse dicitur §. 15, h. e. circiter a. 360; et brevi post ejus mortem tempore hanc de hereditate causam in judicium deductam esse apparet. Est autem annus 360 Olympiadis centesimae quintae primus. — Ceterum Kruegero ad Clinton. F. H. p. 147 scripta videtur oratio Olymp. 107.

In Hypothesin.

Vers. 2. *ἀδελφῶν ἀμφισβητησάντων.* Rectius dixisset *ἀδελφοῦ ἀμφισβητήσαντος.* Nam unum Meneclis fratrem fuisse apparet e §. 21. Sed induxit fortasse grammaticum nostrum, quod passim adversarios plurali numero designari videret, ut §§. 15. 17. 31. 33. 38. Nimirum filius quoque adversarii, particeps quodammodo causae paternae, in judicio aderat.

ἐμαρτύρησέ τις Φιλωνίδης. Hoc non potuit nisi conjectura ductus narrare, valde illa quidem incerta. Philonidem actoris socerum fuisse legimus §. 18; eundem etiam in judicio adfuisse ostendit §. 36; sed *διαμαρτυρίαν* pro genero ab hoc interpositam nihil est quod arguat.

v. 3. καταλείψαντος. Vid. Lobeck. ad Phryn. parerg. p. 713: cf. arg. or. de Aristarch. her.

v. 4. ἐπέσκηψαν. Ἐπεσκήψαντο dicendum fuit. Vid. Meier. de ord. jud. p. 385 not. 55.

v. 8. ἀντίληψις κατὰ στοχασμόν. Nam adversario adoptionem rite factam esse neganti opponit actor se legitime adoptatum, quum neque desipuerit Menecles neque mulieris fraude ac blanditiis illectus sit; hoc ipsum autem conjectura (κατὰ στοχασμόν) probatur §. 19 sqq. Cf. Ernesti Lex. technol. Gr. rhet. p. 277 et 318.

In orationem ipsam.

§. 1. Ἡγούμην μέν. *Adhuc in ea eram opinione.* Simili initio utitur or. de Dicaeog. her. et de Apollod. hered.; item Isocrat. Aeginet. et Lys. in Philon. Sed plenius idem Lysias de olea: πρότερον μὲν ἐνόμιζον. — Cf. ad or. de Pyrrhi her. §. 25.

εἴ τις καὶ ἄλλος ἐποιήθη — —, καὶ ἐγὼ ποιηθῆναι. Hunc usum conjunctionis καὶ in duorum membrorum comparatione ac relatione exemplis demonstrare supervacaneum est; laudandum tamen putavi C. F. Wexium, qui optime de hoc idiomatis genere disputare instituit in comm. de loc. math. in Plat. Men. p. 64 sq. Cf. Hermann. ad Soph. Philoct. v. 832. — Quod autem Orellius ad h. l. monet, ποιεῖσθαι de filii adoptione Demosthenem ceterosque oratores non dicere, nisi ut addant υἱὸν v. παῖδα, mihi videntur oratores ποιεῖσθαι simpliciter dixisse, ubi res ipsa doceret quid significaretur, addidisse παῖδα v. υἱόν, ubi hoc non addito minus perspicua oratio futura fuisset. Demosthenes certe aliquoties habet ποιεῖσθαι, ubi quod subintelligatur in propinquo est. Vid. adv. Spud. p. 1028, 20. adv. Leochar. p. 1088, 5. [et adv. Phaenipp. p. 1045.] Atque in lege quae adscripta est or. II. in Steph. p. 1133, 7: ὅσοι ἐπεποίηντο sunt *adoptivi*, eamque unam esse veram loci interpretationem demonstrasse mihi videor in censura libri Platneriani: *Der Process u. d. Klagen etc.* in Annall. critt.

(Jahrbücher für wissensch. Kritik) 1828 tom. 2. p. 340. Ceterum conf. Wyttenbach. Bibl. crit. V. III. P. IV. p. 76 sq.

οὔτε τοὺς θεοὺς τοὺς πατρῴους — αἰσχυνόμενος. *Θεοὶ πατρῷοι*, gentium ac familiarum quasi quidam di penates, quibuscum etiam a veteribus saepenumero comparati sunt, partim ab omnibus civibus, sed privatis caerimoniis colebantur, partim sui cuique genti ac familiae proprii erant. Ab omnibus colebantur *Ζεὺς ἕρκειος* et *Ἀπόλλων πατρῷος*, de quibus nunc quidem accuratius disputare nihil attinet. Vid. Platner. Symbol. ad I. A. p. 88. — Alios autem *θεοὺς πατρῴους* suos cuique genti vel familiae proprios fuisse vel unum Andocidis exemplum demonstrare potest. Hujus enim Mercurium *πατρῷον* fuisse legimus ap. Lysiam in Andoc. p. 207, propterea haud dubie, quod Andocides e Cerycum erat gente (Pseudo - Plut. vitt. X oratt. p. 834.) quae originem suam a Mercurio repetebat. Vid. Pausan. I. 38, 3. Pollux VIII, 103. Harpocr. in *κήρυκες*. Cf. Hauptmann. de Andoc. in Reisk. O. G. VIII. p. 535. Ruhnk. hist. crit. O. G. ibid. p. 133. Sluiter. Lectt. Andocidd. p. 7. — De Isagora Herodotus V, 66, memoriae tradidit, familiam ejus Jovi Cario sacra factitasse; quippe Isagorae majores e Caria in Atticam migraverant, et quum in civitatem recepti essent, dei tamen patrii cultum retinuerunt sacraque in ejus honorem peragebant, quae *πατρῷα* huic stirpi fuisse apparet; quemadmodum apud Aristophanem in Avibus v. 1534 Execestides quidam, natione peregrinus, sed civis, ut videtur, *παρέγγραπτος*, irridetur ut qui *πατρῷον* habeat e barbaria advectum, eodemque modo qui Athenis in alias terras habitatum concedebant, *πατρῴους* suos secum avehere solebant. Lycurg. in Leocrat. p. 155*). — Jam vero

*) In universum de *θεοῖς* et *ἱεροῖς πατρῴοις* cf. etiam Lobeck. Aglaopham. I. p. 276. 771. II. p. 1238. et De sacris privatis diss. I. p. 6. Quamquam quod is Minervam *ab omnibus* ut *πατρῴαν* cultam esse autumat vereor ut probari possit.

quod nostro loco adversarius contemnere (οὐκ αἰσχύνεσθαι) deos πατρῴους dicitur, id quomodo intelligendum sit §. 46 docet: ἄπαιδα δὲ τὸν τελευτήσαντα βούλεται καταστῆσαι, ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ κτλ. Nam quum adoptionem a Menecle factam impugnaret ideoque ejus οἴκῳ interitum afferre conaretur, laesurus erat deos πατρῴους, quorum honores (hi enim sunt τὰ πατρῷα ἱερά) etiamsi non plane interituri erant, quum adversarius ipse, quippe frater Meneclis, eosdem necessario πατρῴους haberet, aliqua tamen ex parte imminui oportebat, si in Meneclis locum nemo succederet ejusque in colendis deorum πατρῴων religionibus partes susciperet.

βοηθεῖν τῷ τε πατρὶ — καὶ ἐμαυτῷ. Amplexus sum Bremii correctionem, lenissimam praesertim, et a Bekkero quoque receptam. Sed pluribus hac de re agam ad or. de Philoct. her. §. 2.

§. 2. Διδάσκω οὖν. Praesens tempus de eo, quod quis jamjam facere ingreditur, nihil habet offensionis. Cf. or. de Astyph. hered. §. 25: αὐτοῦ ὑμῖν ᾧ προσῆλθε μαρτυρίαν παρέχομαι. Eurip. Med. v. 908 Elmsl.: ἡμεῖς μὲν ἐκ γῆς τῆσδ' ἀπαίρομεν φυγῇ, ad quem locum quod ab Elmslejo affertur v. 888: τἄλλα δ' ἐξεργάζεται πατήρ, non plane ejusdem generis est. Eloquitur enim Medea non quod ipsa jam factura est, sed quod Iasonem facturum esse tam certo praevidet, ut quasi jam faciat affirmare possit. Atque hujus quidem generis exempla permulta sunt a multis congesta. — Quod autem Bekkerus requirit μὲν ante οὖν, hoc ut amplecterer, si codices afferrent, ita quum absit non magnopere desidero, et video Schneiderum quoque Xenophont. de republ. Ath. I, 14 lectionem codd. Pariss. φημὶ οὖν ἔγωγε τὸν δῆμον τὸν Ἀθην. γιγνώσκειν probasse, ubi vulgo φημὶ μὲν οὖν scriptum fuit. Etiam alias passim multo duriores esse particulae μὲν ante δὲ omissiones, ineptirem sane si Bekkerum docere vellem.

§. 3. ἐκδίδομεν ἡμεῖς. Quippe κύριοι sororum. Vid. de ord. jud. p. 409 not. 96.

προῖκα ἐπιδόντες. Quod in cod. Cripps. hic et infra §. 5 a prima manu scriptum est *ἐπιδιδόντες*, noli sanum putare. Nam quum haec indicativi praesentia *ἐκδίδομεν* et *δίδομεν* pro aoristis sint, recte participii aoristus adjungitur ex lege parallelismi, quam tetigerunt Schaefer. ad Demosth. II p. 244. III p. 432. Bernhardy Syntax. p. 383, et quam a Latinis quoque in verbis deponentibus observari solere Walchius monuit ad Tacit. Agric. p. 353. In praesentis autem participio vis aoristi non inest. Cf. de Ciron. her. §. 8 et Lys. in Diogit. §. 8: *τήν τε μητέρα αὐτῶν ἐκδίδωσιν ἐπιδοὺς πεντακισχιλίας δραχμάς*, ubi nulla est lectionis varietas. Contra de her. Cleon. §. 39. *προῖκα ἐπιδιδόντες ἑτέροις ἐκδιδόναι*, recte praesens praesenti jungitur.

§. 4. *ἐπειδὴ οὖν ἐκείνη τὰ νομιζόμενα ἐποίησεν.* Uxori defunctae *τὰ νομιζόμενα* a marito fieri videmus etiam de Philoctem. her. §. 65.

§. 5. *οὐκ ἄπροικον, ὡς οὗτος λέγει ἑκάστοτε.* Videtur adversarius hoc etiam argumento usus esse, ut Meneclem aut magno mulieris illius amore captum aut a fratribus ejus statim in contrahendo matrimonio callide deceptum argueret, quo verisimilius fieret eum postea quoque ad adoptionem alterius iisdem rebus inductum esse. — Ceterum de dote cf. ad orat. de Pyrrhi her. §. 8.

§. 6. *δόξαντές του εἶναι ἄξιοι περιποιησάμενοί τι.* Alterum participium alteri subjunctum, ut causa effectui, quamobrem neque copula ab oratore addita et distinctio post *ἄξιοι*, quam ceteri editores posuerunt, a me sublata est ne disjungerentur quae sensus conjungi jubet. Nam *ἐκεῖ* non minus ad *περιποιησάμενοι* pertinet, quam ad *δόξαντες*. Cf. or. in Neaer. p. 1369, 20. *τὴν ἀρχὴν παρ᾽ αὐτοῦ πριάμενος πάρεδρος γενόμενος.* Isocrat. adv. Callimach. c. 13 [p. 376 extr.]: *καταπολεμηθέντες ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς γενόμενοι.* — *περιποιησάμενοι* de praeda potissimum intellexerim, cujus praecipuae partes fortissimis militibus abimperatore concedebantur. Cf. Herod. IX, 81. cf. VIII, 123.

ἄπαιδα. Harpocrat. v. ἀγενής Isaeum in hac oratione alicubi ἀγενής pro ἄπαις dixisse testatur. Atqui in tota oratione nunc quidem illud nusquam legitur, quamobrem aut errasse Harpocrationem oportet in orationis titulo, aut alicubi, vel hoc loco vel infra, ubi aliquoties ἄπαις legitur, inusitatius vocabulum cum usitatiore a librariis commutatum est, aut denique extitit ἀγενής in adscripta aliqua lege vel testimonio, quae a nostris codicibus absunt. Citatur autem ἀγενής ex Isaeo, sed non commemorato orationis titulo, etiam a Polluce III, 15.

§. 7. τὴν ἡλικίαν ὑφορᾶσθαι. Similiter de Apollod. her. §. 14: τὴν ἡλικίαν τὴν ἑαυτοῦ καταμεμψάμενος.

ἱκανὸς γὰρ ἔφη αὐτὸς ἀτυχῶν εἶναι. Athenae. X p. 435. Ἀντίπατρος ἱκανός ἐστι νήφων. Eandem attractionem post κρείττων, βελτίων ac similia exemplis illustravit Lobeck. ad S. Aj. 634.

§. 8. δῆλον ὅτι φιλῶν ἀπεβάλετο. De dimittenda uxore alibi neque ἀποβάλλειν me legere memini, neque ἀποβάλλεσθαι, quod quidem Orellio divortium mutuo mariti et uxoris consensu factum significare videtur. At ipsa vis verbi ut hanc significationem admittat equidem magnopere vereor. Neque ἐκβάλλειν v. ἐκβάλλεσθαι de *tali* divortio dici potuit, omninoque nihil invenias, quod aptum huic loco sit, neque tamen nimis a codicum scriptura recedat, nisi forte ἀπηλλάττετο scriptum fuisse conjicias: *separari voluit*. Hoc enim de divortio legitur in or. de Pyrrh. her. §. 28: ἀπαλλάττεσθαι ὁπότε βούλοιτο τῆς γυναικός. Quamquam ibi de eo dicitur, quem uxoris suae taedium cepit. Neque tamen semper ac necessario de molestis tantum et ingratis rebus ἀπαλλάττεσθαι dicitur, quandoquidem ἐκ παίδων ἀπαλλαγείς est apud Aeschin. de f. l. p. 329, et ὡς ἀπηλλάγη παρὰ τοῦ Ἀντικλέους ap. eund. in Timarch. p. 78, ὡς ἀπήλλακτο ἀπὸ τοῦ Πιτταλάκου ib. p. 81, de consortii inhonesti quidem, sed Timarcho tamen neque molesti neque ingrati dissolutione. — Sed manifestius etiam quae proxime sequuntur corrupta sunt: οὐδεὶς γὰρ μισῶν

τινα ἱκέτευε αὐτῷ. Cuinam tandem supplicavit Menecles? Uxorine? At cum hac postea demum fratrum hortatu de divortio agere coepit. An fratribus? At nullum est in his, quae modo narrata sunt, supplicationis vestigium; et si maxime fratribus supplicasset, quid, quaeso, hoc faceret ad amorem erga uxorem declarandum? Sed quod curam uxoris prae se tulit, quod non commissurum se dixit, ut haec malorum suorum particeps esset, quod orbitatis et senectutis molestias solus perferre voluit: his rebus uxorem sibi cordi esse nulloque ejus odio se ad divortium impelli demonstravit. Nemo enim, si quem odit, salutem ejus curat: *οὐδεὶς γὰρ μισῶν τινα κήδεται αὐτοῦ.*

δοῦναι χάριν ταύτην αὐτῷ. Ne quis articulum *τὴν χάριν* requirat, satis nunc quidem omnibus nota esse arbitror quae a Reisigio Conject. p. 177 sqq. disputata, post Reisigium a multis certatim inculcata sunt.

ὅ τι γὰρ ἐκείνη πεισθῇ. Imo *ὅ τι γὰρ ἂν* scribendum fuit, si grammaticorum numerus valeret. Ego tamen codicibus obsequi malui, memor eorum quae Matthiae habet Gramm. p. 1025 quaeque a Buttmanno dicta sunt ad Platon. Men. p. 172. 210. Nam quod apud Thucydidem omnes patienter ferunt, cur apud ceteros prosaicos, si quando inveniatur, nullo modo ferendum putent, non satis perspicio. Cf. de Pyrrh. her. §. 60.

§. 9. *μετασχὼν τοῦ οἴκου τῆς μισθώσεως τῶν παίδων τοῦ Νικίου.* Quid sit *μίσθωσις οἴκου* docent Boeckh. de oecon. r. p. Ath. I p. 157 et Meier. de ord. jud. p. 295, ad quos mihi lector remittendus est. Hoc autem propter loci nostri intellectum imprimis teneri velim, elocari non solum fundos ac praedia pupillorum, sed omnem bonorum substantiam, etiam nummos. Quodsi praedia elocantur, Graecum vocabulum *μισθοῦσθαι* (med.) respondet Latino *conducere*, et *μίσθωσις* est *conductio*; sin nummi elocantur, *μισθοῦσθαι* est *foenori sumere* neque quidquam interest inter *μισθοῦσθαι* et *δανείζεσθαι*, nisi quod illud publica auctoritate per Archontem confiebat et pignus s. hypotheca necessario constituenda erat, quae

vocatur *ἀποτίμημα*. — Jam vero si quaeras, quid sit, quod nostro loco, ubi de reddita dote narratur, illius *μισθώσεως* mentio injiciatur, quoque modo haec ad rem pertineat; equidem sic statuendum arbitror: Non admodum locupletem orator Meneclem videri vult, quippe quem infra §. 35 praeter agrum, quem LXX. minis vendere coactus est (§. 29), et parvulam domum III fere minarum nihil habuisse affirmet. Nunc igitur ne pecuniosus homo videatur, qui dotem statim reddere h. e. XX minas praesentes numerare potuerit, non ipsius sed alienam hanc pecuniam fuisse significat, partem scilicet bonorum Nicianorum, cujus ille *μισθωτὴς* fuerit h. e. quam foenori sumpserit. Nam non praediorum sed pecuniae *μισθωτὴν* eum fuisse ostendit §. 27: *ἐπειδὴ τῷ ὀρφανῷ τὸ ἀργύριον ἀπέδωκεν*. Itaque universa loci sententia haec est: *dotem uxori reddidit, quum illo tempore ex bonis Nicianis, quorum μισθωτὴς ipse cum aliis factus erat, satis pecuniae in manibus haberet.*

καὶ τὰ ἱμάτια — καὶ τὰ χρυσίδια ἃ ἦν, δίδωσιν αὐτῇ. Hoc quoque benivolentiae documentum est, quum vestes illas aureaque ornamenta ab dote uxoris, quae necessario reddenda fuit, separata fuisse appareat. Nam alias quidem nonnunquam etiam has res doti accenseri videmus (*ἐντιμᾶσθαι ἐν τῇ προικί*, Demosth. in Spud. p. 1036, 11. in Steph. I. p. 1110, 6 — 9. Isae. de Cir. her. §. 8.); quod ubi factum est, harum itidem ut reliquae dotis hypothecam (*ἀποτίμημα*) a marito constitui, solutoque matrimonio reddi eas uxoris *κυρίῳ* oportet; ubi non sunt doti accensitae, etiam reposci stricto jure non possunt; quodsi tamen redduntur, liberalitas haec mariti est. Cf. Bunsen. de jur. her. p. 43. — Ceterum *χρυσίδια* dicit, non *χρυσία*, ut non multa neque admodum pretiosa haec fuisse significet.

§. 10. *Τούτῳ μὲν οὖν*. Qui designatur, adversarius est, Meneclis frater.

§. 12. *ἐπειδὴ προετίμησεν αὐτοὺς πάντων*. Imo *ἡμᾶς*: quamquam si quis hoc ita corrumpi potuisse miretur et gravius fortasse vulnus latere existimet, equidem non

obloquar. — Quod sequitur ἐπῄνεσε grati animi significationem adjunctam habet, sive quis accipit, quod offertur, sive recusat; quamquam frequentius de recusante dicitur, unde nata est grammaticorum explicatio: ἐπαινεῖν, παραιτεῖσθαι. Vid. Lex. Sophocl. Brunck. tom. III. p. 494. Cf. Xenophon. Symp. I §. 7. εἰ οὖν ἀμφὶ τὸν Σωκράτην πρῶτον μὲν, ὥσπερ εἰκὸς ἦν, ἐπαινοῦντες τὴν κλῆσιν οὐχ ὑπισχνοῦντο συνδειπνήσειν. Add. Valcken. ad Eur. Phoeniss. p. 150. Brunck. ad Aristoph. Ran. v. 511. — De accipiente est ap. Longum IV p. 116 Schaef. Ὁ μὲν δὴ Ἄστυλος ἐπῄνει ταῦτα, h. e. Daphnidis munera, quae modo acceperat. Cf. Xenoph. Cyr. III. 2, 7. et Perizon. ad Aelian. V. H. XIV, 2.

ἐμοὶ μὲν οὖν συμβαίνει ἀποδημία, ὡς σὺ οἶσθα. Alteram lectionem συμβαίνειν ἀποδημίαν Casp. Orellius gratae cujusdam negligentiae excusatione defendi posse putavit, ad eorum videlicet locorum exemplum, quos congesserunt Matth. Gramm. p. 1059 et qui ab eo laudantur. Sed interest tamen aliquid utrum antecedat ὡς cum verbo infinitivum regente, an subsequatur. Nam ubi antecedit, scriptores, unius verbi memores, particulae facile oblivisci potuerunt; ubi subsequitur, multo sane durior est structurae abnormitas. Quamobrem talia apud poetas ferenda puto, oratoribus placere potuisse non credo. — Ceterum nostro loco ipsa cod. Ambros. scriptura possit a correctore profecta videri, Isaeus autem ita scripsisse: ἐμοὶ — συμβαίνειν ἀποδημίαν αὐτὸς σὺ οἶσθα. De collocatione pronomm. cf. Schaef. app. crit. ad Demosth. I p. 347. Bremi ad Demosth. I p. 128 et 145 Goth.

ὁ δὲ ἀδελφὸς οὑτοσὶ“ ἐμὲ λέγων —. H. e. *me autem dicebat*; ut Cicero loquitur de Fin. V. 3 §. 7: „*Hoc*“, *inquit*, „*non poterit sic abire, quum hic adsit*“, *me autem dicebat* —. Isocrat. Panathen. cap. 85: „σὺ μὲν πεποίησαι τοὺς λόγους“, ἐμὲ λέγων, „ὡς ἂν ἅπαντ᾿ ἀποδεχομένου μου τἀκείνων.“ quos locos Valckenarius adhibuit huic Herodoteo VII, 144. Θεμιστοκλέης ἀνέγνωσε Ἀθηναίους — νέας ποιήσασθαι διηκοσίας ἐς τὸν πόλεμον,

τὸν πρὸς Αἰγινήτας λέγων. Add. Aeschin. de f. l. p. 226: „οὔτ' ἂν οὗτος", ἐμὲ δὴ λέγων, „τολμήσειεν εἰπεῖν —". [et Demosth. in Mid. p. 552 et p. 572.]

ἐκ τοῦ τρόπου τούτου ποιεῖται με. Bremio ἐμὲ scribendum censenti non obsequendum putavi; quippe non in pronomine, sed in vocc. ἐκ τοῦ τρόπου τούτου sententiae vis est.

§. 13. ὅπως ἂν ἐθέλῃ. Indefiniti pronominis omissio in generalibus legum praescriptionibus frequentissima. Vid. or. de Philoctem. her. §. 44. de Aristarch. her. §. 2. Demosth. in Macart. p. 1071, 2. — De ipsa lege, quae citatur, cf. de Pyrrh. her. §. 42. de Philoctem. her. §. 9. Att. Proc. p. 438.

καταφυγὴν τῆς ἐρημίας. Ita καταφυγὴ ἀδικημάτων, or. in Theocrin. p. 1342, 2. καταφυγαὶ κακῶν, Eurip. Orest. v. 442 Pors. σωτὴρ κακῶν, Medea v. 361. Ita *effugium malorum* ap. Senec. Hippolyt. 253; aliaque ejusdem generis exempla latina congessit Heinrich. ad Cic. or. fragmm. p. 95.

§. 14. εἰς τοὺς φράτορας, παρόντων τούτων. H. e. adversario ejusque filio, ut qui necessario ejusdem cum Menecle phratriae essent.

καὶ εἰς τοὺς ὀργεῶνας. Hos Schneiderus in Lex. s. v. γεννῆται et Platnerus Symbol. ad I. A. p. 83 eosdem esse putant ac γεννήτας. Et sane aliis locis, in quibus item de adoptivorum inscriptione agitur, praeter φράτορας ac δημότας, sicut nostro loco ὀργεῶνες, ita ibi γεννῆται commemorantur. Vid. de Apollod. her. §§. 13. 15. 27. Accedit quod e grammaticis nonnulli γεννήτας etiam ὀργεῶνας dictos esse testantur, velut Jul. Pollux III, 52. Etymol. M. p. 226, 16. 629, 23. Lex. rhet. p. 227, 12. 286, 11. Quippe ὀργεώνων nomen generale est, et in omnes convenit, qui sacrorum communione conjuncti sunt (Harpocr. et Suid. in ὀργεῶνες. Δικ. ὀνόμ. in Bekk. Anecd. I. p. 191. Vales. ad Harpocr. p. 315. Ruhnken. ad Hymn. in Cer. v. 496.), quales fuisse γεννήτας nemo ignorat, non minus quam φράτορας ac θιασώτας, quos et ipsos propterea ὀργεῶνας dictos esse

legimus in Etymol. M. p. 629, 23. Lex. rhet. p. 264, 23. 286, 11. Tamen Isaeum nostro loco ὀργεῶνας pro γεννήταις dixisse mihi quidem parum credibile videtur, quum nulla probabilis causa excogitari possit, quamobrem proprio ac legitimo nomine spreto, improprio ac minus diserto uti maluerit. Neque enim obsoletum minusque usitatum illa aetate γεννητῶν nomen fuit, sed omnium usitatissimum et nusquam alias ab oratoribus, quorum quidem reliquiae supersunt, cum illo altero commutatum; et quum omnino in foro et apud judices legitima ac forensia verba requirantur, tum nostro loco res agitur ejusmodi, in qua vel maxime videndum erat oratori, ut plane et perspicue loqueretur. Multo igitur verisimilius videri debet, non γεννήτας, sed aliud quoddam sodalitium ab Isaeo significari, cujus aliud proprium nomen non esset, sed quod esset tamen ejusmodi, ut, quamquam generali tantum nomine designatum, nihilo secius statim a judicibus sine errore agnosceretur. Id autem tum demum fieri necesse erat, si unum aliquod erat sodalitii genus prae ceteris maxime vulgare ac frequens, idque si erat cum familiarum ac cognationum nexu conjunctum, ut, quum de adoptione h. e. de transitu ex alia familia in aliam ageretur, hujus quoque sodalitii cogitatio non posset non auditorum animis obversari. Jam vero sacra erant πατρῷα, de quibus supra ad §. 1 dictum est, quae ut a gentilibus iis qui proprie ac legitime γεννῆται vocantur, ita a familiis non illo civili gentilitatis vinculo, sed naturali cognatione conjunctis communiter celebrari necesse erat. Nam id quidem constare inter peritos arbitror, gentes illas veteres CCCLX civili non minus vel etiam magis quam naturali ratione constitutas fuisse (cf. Pollux VIII, 111. Lex. rhet. p. 227, 11. Interpp. ad Hesych. s. v. γεννῆται), et permultos fuisse cives Atticos, qui nulli genti adscripti essent. Cf. Platner. Symb. ad I. A. p. 68 sq. Ex his igitur familiis, quae nulla gente continerentur, multas tamen naturali inter se cognatione conjunctas et a communi quodam progenitore oriundas eosdem ne-

cessario θεοὺς πατρῴους, eadem ἱερὰ πατρῷα coluisse oportet. Quid ergo? haec plurium familiarum sodalitia quonam nomine appellata esse statuimus? Dubitari profecto non potest, quin *orgeones* fuerint, neque aliud nomen inveniri potest, quod ad designandum illud, quo conjuncti erant, communium sacrorum vinculum magis accommodatum sit. Nam si cognatio sola respiceretur, etiam συγγενεῖς eos dici potuisse, manifestum est; ipsa tamen illa cognatio, a vetustissimo aliquo progenitore per multas aetates derivata, fieri non potuit quin plerumque temporis longinquitate magis magisque obscuraretur, ita ut obliteratam fere ejus memoriam nil nisi sacrorum illa communio aliquatenus conservaret*). Apparet autem his sodalitiis permagnam fuisse cum gentibus, quae proprie dicuntur, similitudinem. Nam sicuti gentes illae veteres, etiamsi, ut diximus, legibus potius quam naturali cognatione constitutae, tamen et iisdem quaeque majoribus se ortas putabant et sacrorum a patribus acceptorum communionem habebant, ita haec quoque orgeonum sodalitia et a majoribus iisdem exorta et sacrorum communium vinculo conjuncta erant; et sicuti, qui ab aliquo adoptabantur, in gentem patris adoptivi, si quidem gentem haberet, necessario transibant, ita eos etiam in orgeones patris adoptivi transire oportebat, potuitque haec inter orgeones non minus quam illa inter gentiles inscriptio una cum inscriptione inter δημότας ac φράτορας pro argumento esse ad ipsam adoptionem probandam**).

*) Commemorantur etiam συγγενικὰ sacra et θεῶν ὁμογνίων religiones, quae quum simillimae essent his orgeonicis, non tamen plane eaedem fuisse videntur. Sed de his nunc accuratius disputare non opus est.

**) Nisi magnopere fallor conjunguntur ὀργεῶνες et γεννῆται etiam in lege de collegiis, quae Soloni tribuitur a Gaio, Dig. 47, 22, 4, quae in hunc modum videtur emendanda: ἐὰν δὲ δῆμος ἢ φράτορες ἢ ἱερῶν ὀργεῶνες ἢ γεννῆται ἢ σύσσιτοι ἢ ὁμόταφοι ἢ θιασῶται ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι κτλ. Non mea est haec emendatio; sed cujus sit nunc non memini.

§. 15. ὡς οὐκ εὖ φρονοῦντι. Negationem abesse non posse omnes perspexerunt; sed quod a Tyrwhitto scriptum est: ὡς οὐ φρονοῦντι, non placet, quum hac quidem in re alias semper εὖ φρονεῖν, nunquam φρονεῖν simpliciter dicatur. Vid. e. g. huj. or. §. 14. 19. 21. de Cleon. her. §. 11. 20. de Nicostr. her. §. 14. de Philoct. her. §. 9, 10. de Apollod. her. §. 1. 43.

πολὺ κάλλιον — μᾶλλον. Cf. ad or. de Cleon. her. §. 43.

§. 17. πρός γε τὴν ποίησιν αὐτὴν —. H. e. adoptionem ipsam per se spectatam neque factam esse infitiari possunt neque per leges fieri licuisse; unum restat, ut Meneclem aut non sana mente fuisse aut mulieris blanditiis inductum esse contendant; ad quae respondetur §. 19.

§. 18. τὸν αὐτὸν τρόπον ὥσπερ γόνῳ ὄντα πατέρα ἐμαυτοῦ. Mirum fuisse qui hoc non intelligeret. Γόνῳ πατήρ, pater naturalis, eodem modo dicitur ut γόνῳ παῖς, filius naturalis. Cf. Lys. in Agorat. p. 510: ὅστις οὖν τόν τε γόνῳ πατέρα τὸν αὑτοῦ ἔτυπτε, τόν τε ποιητὸν πατέρα ἀφείλετο ἃ ἦν —. Neque ὥσπερ post τὸν αὐτὸν τρόπον quemquam offendere potest. Vid. Voemel. ad Demosth. Olynth. I. p. 47. Magis fortasse offendat paullo supra τὴν πρόνοιαν εἶχεν ὥσπερ εἰκός ἐστι —, ubi Bekker. in Add. p. 696 ἥνπερ scribendum conjecit; sed videtur tamen hic quoque vulgata lectio tolerari posse.

§. 19. πολλῷ πρότερον ἦν ἐκδεδομένη πρὶν ἢ τὴν ποίησιν γενέσθαι. Πρίν, quod omittitur in cod. Ambros., poterat sane abesse, quandoquidem etiam πρότερον ἢ cum infinitivo recte construitur, itemque, licet paullo rarius, ὕστερον ἤ, e. c. ap. Thucyd. VI, 4. Plutarch. Lucull. cap. 5, ad quod exemplum etiam οὐ μετὰ πολὺν χρόνον ἢ eodem modo constructum est ap. Parthenium III, 3: καὶ οὐ μετὰ πολὺν χρόνον ἢ τόδε ἀπειργάσθαι — ἐτελεύτησεν, ubi non opus est cum Legrandio et Passovio ἀπειργάσθη reponere. Sed nostro loco haud dubie πρὶν minus credibile est additum librariorum errore quam omissum, quum propter πρότερον abundare videretur. Est tamen hic pleonasmus satis frequens,

non minus quam ille, de quo supra ad or. de Cleon. her. §. 43 dictum est, quum post comparativum additur μᾶλλον. Nam utrumque ejusdem generis esse apparet. Etiam alibi passim πρὶν post πρότερον additum librarios offendit, ut ap. Herodot. V, 118 ubi cf. Gronov.

τὸν υἱὸν ἐποιεῖτο. Articulus ne quem offendat. Est hoc idem ac si dixisset τὸν υἱὸν ἐσόμενον, *eum, quem filium habiturus esset.*

§. 20. τὸ ὄνομα τοῦτο. H. e. παραφρονεῖν v. παραφροσύνην.

§. 21. ἡδέως δ' ἂν μοι δοκῶ τούτου πυθέσθαι. Locutio probatissima, cujus ex. vid. ap. Heindorf. ad Plat. Phaedr. p. 200. Schaefer. ad Dionys. de C. V. p. 55.

§. 22. ἐξ ἀνάγκης ἦν H. e. ἀναγκαῖον ἦν. Extat aliquoties ap. Demosth. or. in Macart. p. 1052, 19. 1056, 19. 1065, 19. Alia exempla Schaeferus indicat in H. Steph. Thes. c. 1994. C.

πάντας ἀνθρώπους ἂν οἶμαι ὁμολογῆσαι ὑμᾶς. Quod Casp. Orellius p. 563 legendum suadet καὶ ὑμᾶς, adeo languet ut tolerari prorsus non possit. Alterutrum aut ἀνθρώπους aut ὑμᾶς delendum esse apparet, et Bremio quidem ὑμᾶς, Bekkero ἀνθρώπους spurium videtur, cui ego assentior; neque hoc unde ortum sit, difficile est intellectu, quum syllabae ἂ ν οἶ bis scriptae errorem procreare facile possent.

πλὴν τούτων H. e. praeter adversarium ejusque filium.

§. 25. οὐκ ἄλλ' οὐδὲν εἰπεῖν. Haec quum apodosin habeant ad protasin hypotheticam εἴ τις ἐρωτήσειεν αὐτόν, ἂν ante ἄλλα videri possit inserendum fuisse*). Verum οἶμαι αὐτὸν εἰπεῖν cum certa fiducia dictum est, οἶμαι ὅτι ἐρεῖ, quamobrem particula facile carebimus. Cf. Poppo Thucyd. I, 1 p. 158. Lobeck ad Phryn. p. 751, imprimis autem Bremium de universo hoc genere subtiliter disputantem ad Demosth. Olynth. I. p. 13, 16

*) Et ita visum est Bekkero in Addendis.

in Schaef. App. crit. I. p. 204 sq. — In iis, quae proxime sequuntur, ὅστις αὐτὸν ἔμελλε — θεραπεύσειν, futurum infin., praeterquam quod in melioribus codicibus legitur, etiam sua sponte praeferendum videtur praesénti; quandoquidem res a condicione pendet (qui — ubi adoptatus esset — coleret), quae et ipsa futura demum est. Sed haec nunc pertractare longum est.

§. 26. παραφρονεῖν τῷ λόγῳ τούτῳ. Similis constructio est or. de Pyrrh. her. §. 4. ἀναισχυντότατον ὄντα τῇ μαρτυρίᾳ ταύτῃ, quod recurrit ib. §. 40. De Dicaeog. her. §. 8. μαίνεσθαι αὐτὸν ἡγούμεθα τῇ λήξει.

§. 27. ἢ συνοικίαν ἢ οἰκίαν. Quod Bekkerus malle se ait ἢ τίν' οἰκίαν omissis ἢ οἰκίαν quae in cod. Ambros. non leguntur: mihi potius ἢ οἰκίαν librario aut glossatori deberi videtur. Nam οἰκίαν relictam esse orator, si quidem verum dicere voluit, negare non potuit. vid. §. 35. Sed haec tam exigui erat pretii, ut invidiam movere non posset; συνοικίαι autem h. e. insulae s. aedes ampliores, quae pluribus habitandae elocabantur, in tanta inquilinorum et peregrinorum multitudine qui Athenas confluebant, non poterant non admodum fructuosae esse. Cf. Ammon. s. v. οἰκία ibiq. Valcken. Jungerm. ad Jul. Poll. IX, 39. Bergl. ad Alciphr. III, 50. Boeckh. de oecon. r. p. Athen. I p. 71. 72. et impr. 154. 155.

ἐπειδὴ τῷ ὀρφανῷ τὸ ἀργύριον ἀπέδωκεν. Hic ὀρφανὸς dubium non est quin unus e Niciae liberis fuerit, quorum §. 9 mentio facta est. Nam quod ibi plures, hic unus commemoratur, facillime aut ita explicari potest ut statuamus, unum filium fuisse, reliquas filias, quarum hic adulta aetate κύριος factus sit, aut maximum natu designari, qui quum vir factus esset, fratrum minorum tutelam susceperit, (sicut apud Lysiam in Theomnest. p. 346 Pantaleonem fratrum suorum tutorem videmus,) aut denique reliquis mortuis unum superstitem fuisse. Ceterum de reddendis a conductore bonis adulto pupillo cf. Demosth. in Aphob. I. p. 832, 2.

§. 28. ὡς δὲ ἔχει. H. e. ὡς δὲ εἴληφε. Cf. §. 33: καὶ ὡς

— ἔχουσιν οὗτοι ἃ ἐγνώσθη αὐτοῖς. §. 35. πλεῖον ἢ δέκα μνῶν χωρίον ἔχων, de ipso illo fundo, de quo nunc dicturus est. Itaque noli quidquam mutandum putare.

τὸ χωρίον ἐπώλει. *Agrum suum venalem proscripsit, vendere voluit.* Ita paullo post οἱ ὠνούμενοι sunt *empturientes.* Cf. Herod. I, 69. et Wessel. ad I, 68. — De ἐπηρεάζειν cf. Duker. ad Thucyd. I, 26.

ἵνα κατόχιμον γένηται καὶ ἀναγκασθῇ τῷ ὀρφανῷ ἀποστῆναι. *Ut ager tamquam pignus detineretur et Menecles eo cedere cogeretur.* Κατόχιμος hoc sensu alibi non reperitur; neque tamen dubia est explicatio. Cf. Moeris p. 220: κατακωχήματα, τὰ κατεσχημένα ἐνέχυρα. Hesych. II p. 206: κατοκώχημα, κάτοχον, ἐνέχυρον. Scilicet moram interponere voluit adversarius, quo cogeretur Menecles, quum pecuniam tempestive expedire non posset, agro cedere, qui dubitari non potest, quin ἀποτίμημα factus sit in illa μισθώσει, de qua §. 9 dictum est.

§. 29. ἠγανάκτει, οἶμαι. H. e. δηλονότι, εἰκότως. Cf. Schaef. Appar. crit. in Demosth. V p. 96.

τῷ Πιτθεῖ. Rectius Πιθεῖ quam Πιτθεῖ scribi quum alii demonstrarunt tum Buttmannus ad Demosth. Mid. p. 41. Tamen quum etiam alteram scripturam satis vetustam esse constet, nihil mutandum putavi. Cf. Boeckh. Inscr. no. 282. p. 389.

διαλύει τὸν ὀρφανόν. Frequentius dicitur διαλύειν συμβόλαιον, δάνεισμα, χρέος et similia, de creditore autem διαλύεσθαι τῷ δανείσαντι v. πρὸς τὸν δανείσαντα. Cf. Schneid. ad Aristot. Polit. III, 1, 14 p. 173. Wyttenbach. ad Plut. Morall. I p. 387 Lips. Tamen etiam apud Demosth. in Phorm. p. 919, 10 legitur: τοὺς δανείσαντας μόλις διαλύσαντα. in Timoth. p. 1192, 24: ἵνα διαλύσῃ τὸν ναύκληρον. pro Phorm. p. 959: διαλύειν οἷς ὤφειλον.

δίκην τῆς ἀποῤῥήσεως. Fuit haec haud dubie δίκη βλάβης, actio de damno, quod propter illam fratris intercessionem accepisset. Cf. Att. Proc. p. 524. — De forma inf. καθιστάνειν in fine hujus §. cf. Foertsch. Comm. crit. de locc. Lys. p. 22.

§. 30. *εἰ μὲν ἐπιτρέποιμεν αὐτοῖς ὥστε τὰ δίκαια διαγνῶναι.* Ad *ἐπιτρέποιμεν* subintelligendum est *διαιτῆσαι* v. *τὴν δίαιταν,* quemadmodum innumeris locis illud verbum absolute ponitur (cf. Reisk. Ind. graec. Demosth. s. v.); *ὥστε* autem est i. q. *ἐφ' ᾧ τε,* ut ap. Demosth. Philipp. II, 68, 12: *ἐξὸν αὐτοῖς τῶν λοιπῶν ἄρχειν Ἑλλήνων ὥστ' αὐτοὺς ὑπακούειν βασιλεῖ.* cf. or. in Neaer. p. 1368, 5: *δίαιταν ἐπιτρέπει τοῖς ἐγγυηταῖς, ὥστε τῆς μὲν ἐγγύης αὐτοὺς ἀφεῖσθαι, τὴν δὲ γραφὴν ἀνελέσθαι τὸν Ἐπαίνετον.* et saepissime apud Thucydidem, ut III, 34. 75. 114. V, 17. 27. 94. VII, 82. Cf. Poppon. Obss. in Thuc. p. 30 et Bremium ad Demosth. l. l. Receperunt ergo hi, in quos compromiserant, arbitrium ea tantum condicione, ut sibi liceret ex aequo et bono potius, quam summo jure sententiam pronunciare.

οὐδὲν γὰρ δεῖσθαι ἀπέχθεσθαι οὐδετέροις ἡμῶν. Nihil se morari h. e. nolle se alterutrum nostrum offendere. Hoc enim sensu *οὐ* v. *οὐδὲν δέομαι* saepissime dicitur. Isocrat. Areop. c. 9: *χαλεπώτερον ἦν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις εὑρεῖν τοὺς βουλομένους ἄρχειν, ἢ τοὺς μηδὲν δεομένους.* Thuc. IV, 130: *καί τινος ἀντειπόντος ὅτι οὐκ ἐπέξεισιν οὐδὲ δέοιτο πολεμεῖν.* Cf. Krüger. ad Dionys. historiogr. p. 19. 20. — Pro *ἀπέχθεσθαι* Bekk. in Add. scribendum suadet *ἀπεχθέσθαι,* cui in re perquam dubia non obsequendum putavi. Vid. Buttm. gr. Gr. tom. 2 p. 141.

§. 31. *ὀμόσαντες ἡμῖν.* Vid. Hudwalcker. de diaetetis p. 181.

πρὸς τῷ βωμῷ τῷ τῆς Ἀφροδίτης Κεφαλῆσι. Hoc potius rescribendum fuit, quam *Κεφαλαίως* cum Tyrwhitto. Vid. Aristoph. Av. v. 476. Pausan. Attic. c. 31, 1. Librorum lectionem e duabus conflatam esse apparet *Κεφαλαίῳ* et *Κεφαλῆσιν.* Erat autem hic pagus tribus Acamantidis. Vid. Harpocr. s. v. Steph. Byz. et Meurs. de popp. Att. Ad aras deorum jurari solitum etiam aliunde satis notum est. Vid. quos citavi de ord. jud. p. 676.

εἰ μὴ μεταλήψονται οὗτοι τῶν ἐκείνου. H. e. *nisi hi,*

adversarius ejusque filius, partem aliquam bonorum Meneclis acciperent, neque omnia adoptivo filio relinquerentur. Hoc ita planum est, ut mirer Conr. Orellium in explicando errare potuisse; vertit enim: — *als wenn künftighin keiner mehr mit dem andern etwas gemeinschaftlich besitze.* Neque Casp. Orellium assequor, qui quum recte loci sententiam caperet, tamen p. 564 ἢ ante εἰ μὴ excidisse putarit.

§. 32. *ἐκ δὲ τοῦ λοιποῦ χρόνου — εὖ ποιεῖν ἀλλήλους καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ.* Similem *διαλλαγῆς* formulam ab arbitris pronunciatam legimus in orat. in Neaer. p. 1360, 22: *καὶ ἐκ τοῦ λοιποῦ χρόνου φίλους εἶναι ἀλλήλοις καὶ μὴ μνησικακεῖν.* — *Ἐκ τοῦ λοιποῦ χρόνου*, vel quod non minus saepe dicitur, *ἐκ τοῦ λοιποῦ*, si propriam locutionis vim spectes, nihil aliud est quam *inde ab initio reliqui temporis.*

κατὰ δύναμιν εἶναι. Ita Plato Politic. p. 300. C. *τὰ παρὰ τῶν εἰδότων εἰς δύναμιν εἶναι γεγραμμένα.* Similia sunt *τὸ ἐπὶ τούτῳ εἶναι, τὸ κατὰ τοῦτον εἶναι* aliaque, de quibus vid. Matth. Gramm. p. 672 et 1071.

§. 33. *τοὺς γνόντας αὐτούς.* H. e. *τοὺς διαιτήσαντας.* Quod autem Casp. Orellius p. 564 *δὲ* post *τοὺς* excidisse suspicatur: apparet eum loci structuram, licet planissimam, non perspexisse. Nempe is *ὡς* pro conj. temporali accepit, eique *εἶτα* oppositum esse credidit. At enim *ὡς* est circumscriptivum, pendentque ab eo haec omnia: *ἐγένετο — ἔχουσιν — ποιοῦσιν*, totum autem hoc membrum cum proximo: *τοὺς γνόντας παρέξομαι μάρτυρας,* ad eum modum conjunctum est, de quo dixi ad or. de Cleon. her. §. 16.

§. 35. *Ὁ θεῖος τοίνυν οὑτοσὶ κτλ.* Pendet oratio longiore *παρενθέτῳ* interrupta, neque quemadmodum inchoata est absolvitur, quum ea ipsa, quae sententiam perficiant: *ζῶντος μὲν τὸ χωρίον — περιεῖλετο, τελευτήσαντα δ' — — ἀνώνυμον βούλεται καταστῆσαι*, secundariae enunciationis constructioni intexta sint.

πλεῖον ἢ δέκα μνῶν χωρίον. De constructione cf. Krüger. comment. de Thucyd. p. 287.

ἥκει τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐξερήμωσων. Ita de Cleon. her. §. 1: *ἀγωνιούμενοι περὶ πάντων ἥκομεν τῶν ὑπαρχόντων.* De Ciron. her. §. 43: *ἥκει τὰ τοῦ πάππου ἡμᾶς ἀποστερήσων.* Lys. pro inval. p. 751: *ἥκει ἀμφισβητήσων.* Similia quaedam Platonis et Xenophontis exempla habet Astius ad Plat. Legg. p. 456. Nam Herodotea afferre nihil attinet. — *Τὸν οἶκον ἐρημοῦν* quid sit, res ipsa satis docet.

§. 36. *τῷ ἐμῷ παιδίῳ ἐθέμην τὸ ὄνομα τὸ ἐκείνου.* Hunc enim honorem avis paternis ac maternis satis constat haberi solitum, ut nomina eorum nepotibus imponerentur, et primogenito quidem paterni, proximo materni. Vid. Demosth. in Boeot. de nom. p. 1002, 18. in Macart. p. 1075, 28. 1076, 1. Atque ab adoptivis quoque hoc observari solitum quum noster locus docet, tum or. de Aristarch. her. §. 4. 5. In univ. cf. Spanhem. ad Aristoph. Nub. v. 65. Taylor. Lectt. Lys. p. 253 sq. Sluiter. Lectt. Andoc. p. 10.

τελευτήσαντα ἔθαψα ἀξίως ἐκείνου. Cf. Schaef. Apparat. crit. II. p. 215.

καὶ ἐπίθημα καλὸν ἐπέθηκα. *Ἐπίθημα*, *signum in sepulcro positum*, aliquoties est apud Pausaniam. Attic. c. 43 extr. Achaic. c. 2, 6. et 17, 4. Altera forma *ἐπίθεμα* quae ab Atticistis improbatur (Thom. Mag. p. 344), apud eundem legitur Attic. c. 2, 3. Etiam *ἐπίστημα* de cippo sepulcrali ex Isaeo citatur a Polluce VIII, 66.

καὶ τὰ ἔνατα καὶ τἄλλα πάντα ἐποίησα τὰ περὶ τὴν ταφὴν —. Pertinent haec ad *τὰ νομιζόμενα*, *justa funebria*, de quibus nonnulla ad or. de Cleon. her. §. 10 dicta sunt. Haec etiam *νόμιμα* vocantur, velut ap. Dinarch. in Aristogit. p. 81: *περιεῖδε τὸν πατέρα — τελευτήσαντα οὐ τυχόντα τῶν νομίμων.* Cf. Lycurg. in Leocr. p. 201: *τοὺς δὲ τετελευτηκότας τῶν νομίμων οὐκ εἴασε τυχεῖν.* Quamquam Lycurgus h. l. non de privato funere, sed de publicis eorum honoribus loquitur, qui in bello pro patria occubuerant, itidem ut p. 189: *τοὺς τετελευτηκότας — τῶν πατρίων νομίμων ἀποστερῶν.* Ita enim ibi

scribendum censeo pro *πατρῴων*. Saepenumero haec a librariis permutantur; neque tamen propterea minus certum est grammaticorum praeceptum, *πατρῷα* esse quae intra gentium aut familiarum fines contineantur, a majoribus ad nepotes propagata; publica autem totius civitatis instituta inde a patrum temporibus servata non *πατρῷα* esse, sed *πάτρια*. Fuerunt tamen qui tali in re judicium suum scribarum potius oscitantia quam unanimi grammaticorum consensu regi mallent, veluti qui nuper apud Lycurgum p. 155 (cap. 8.) *τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα pro πάτρια posita esse* autumavit, quoniam ib. p. 178 (cap. 14.) librariorum errore *τὰ ἱερὰ τὰ πάτρια* scriptum esse videret, aut qui apud Demosth. de coron. p. 274, 27 *πατρῷον* Apollinem pro *πατρίῳ* dictum esse contendit; nam hoc quoque factum memini a quodam Dinarchi editore, qui simili scribarum errore *πάτριον* Apollinem invenisset in Lex. rhetor. p. 292, 3 et 5. pro *πατρῴῳ*. Nam *πατρῷος* Apollo semper dicendus est is, qui non publice ab universa civitate, sed a singulis gentibus v. familiis privatis caerimoniis colitur, quamvis ad omnes cives haec religio pertineat, unde *πατρῷος* est *τῇ πόλει*. Contra recte *πάτριοι θεοὶ* dicuntur ap. Herodot. I, 172, qui publice antiquitus coluntur, quorum caerimoniae opponuntur *ἱροῖς ξεινικοῖς*; recte item apud Thucyd. II, 16 *ἱερὰ πάτρια, ἃ ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας*. Sed haec obiter. — *Τὰ νομιζόμενα* igitur praeter ea, quae ad lavandum, ornandum, lecto imponendum, in vestibulo proponendum mortuum pertinent, de quibus rebus satis est laudare Kirchmannum et Meursium, sunt primum *τὰ τρίτα*, inferiae tertio post sepulturam die oblatae. De his cf. infr. h. or. §. 37: *ἔθαψά τ' ἐγὼ αὐτὸν καὶ τὰ τρίτα — ἐποίησα*. Aristoph. Lysistr. v. 614:

μῶν ἐγκαλεῖς ὅτι οὐχὶ προυθέμεσθά σε;
ἀλλ' ἐς τρίτην γοῦν ἡμέραν σοι πρῷ πάνυ
ἥξει παρ' ἡμῶν τὰ τρίτ' ἐπεσκευασμένα.

Nimirum loquitur Lysistrata quasi nunc ipsum senex

tumulo condatur, qui quum stomachetur, quod non, uti decebat, ante sepulturam in lecto propositus sit, consolatur eum illa, τὰ τρίτα certe solemniter peractum iri pollicens. Add. Pollux VIII, 146. Jure autem mireris Conr. Orellium, τὰ τρίτα apud Thucydidem II, 34 πρότριτα dici opinantem p. 499. Thucydides enim de προθέσει loquitur, tertio ante ἐκφορὰν die, et πρότριτα adverbialiter dicitur ut πρόπεμπτα (Cf. Hesych. II p. 1059 ibiq. interpp.); et solebant vulgo aut pridie aut ante diem tertium quam sepelirentur mortui proponi. Illud in lege est ap. Demosth. in Macart. p. 1071 init. cf. Antiph. de salt. p. 782. §. 34 Bekk. hoc a Platone praecipitur Legg. XII p. 959. A. — Sequuntur τὰ ἔνατα (nam ita potius quam ἔννατα scribendum videtur, vid. Matth. Gr. p. 266.) nono post sepulturam die, de quibus cf. infr. §. 37. de Ciron. her. §. 39. Pollux l. l. Taylor. ad Aeschin. in Ctes. p. 617. — Denique ἡ τριακάς, aut etiam plurali numero αἱ τριακάδες. Harpocr. Suid. Phot. h. v. Lex. Rhet. p. 308, 5. Pollux I, 66. III, 102. VIII, 146. Harpocrationis locum emendarunt Schaeferus ad Gregor. Corinth. p. 498 et Bast. comm. palaeogr. p. 852, pro τοῖς τετελευτηκόσιν ἤγετο ἡ τριακὰς ἡμέρα διὰ θανάτου rescribendum monentes ἡ τριακοστὴ ἡμέρα, alteri vitio διὰ θανάτου Hemsterhusius ad Lucian. Dial. Mort. tom. II. p. 399 Bip. ita mederi conatus est ut rescriberet διὰ τὴν Ἑκάτην. Et sane Hecatae ultimis mensium diebus, quae τριακάδες etiam in cavis mensibus vocantur, sacra facta esse constat ex Athenaeo VII p. 325. A., ejusque numen quantopere cum deorum manium cultu conjunctum fuerit nemo ignorat, et in proverb. app. Vatic. Cent. IV. no. 16 legitur τιμᾶται ἡ τριακὰς ἐν ᾅδου διὰ τὴν Ἑκάτην —; tamen apud Harpocrationem ita hoc nomen corrumpi potuisse parum videtur probabile. Rescripserim ego quidem ἀπὸ τοῦ θανάτου (et articulum suppeditat etiam cod. Vrat.), ut designetur trigesimus post mortem dies, qui τριακὰς v. τριακάδες non minore jure vocari potuit, quam ἑβδομὰς v. ἑβδομάδες vocatur septimus a natali. Vid. Harpocr.

a. v. ἑβδομηκονομένου. Confirmat emendationem Lex. Seguer. p. 268. καθέδραι. ὑποδοχαὶ ἀνθρώπων. τῇ τριακοστῇ γὰρ ἡμέρᾳ τοῦ ἀποθανόντος οἱ προσήκοντες ἅπαντες καὶ ἀναγκαῖοι κοινῇ ἐδείπνουν ἐπὶ τῷ ἀποθανόντι. καὶ τοῦτο καθέδρα ἐκαλεῖτο. Quod his continuo addit ἦσαν δὲ καθέδραι τέσσαρες, significare videtur non semel hoc sed quater, tricenorum intervallis dierum, fieri solitum esse. — Julius quoque Pollux I, 66 quum istas τριακάδας quae in mortuorum honorem agebantur, ἰδίως ab Atticis dictas esse ait, non postremos mensium dies hoc nomine designari ostendit. Hi enim apud omnes Graecos vulgo τριακάδες vocabantur. Neque illud obstat, quod fortassis etiam mensium diebus postremis Hecatae, ut modo vidimus, et Plutoni consecratis (cf. Theodor. Gaza de menss. Att. p. 305.) mortuis inferiae ferri solebant: fortassis, inquam: nam de Graecis hoc diserte testatum non memini; nisi quod in prov. app. Vat. l. l. legitur καὶ τὰ νεκύσια τῇ τριακάδι ἄγεται: de Romanis auctor est Plutarch. Quaest. Rom. XXXIV. — Sed satis dictum est de iis quae proximo post mortem tempore peragi solebant; de annuis solemnibus infra ad §. 46 nonnulla afferentur.

§. 38. ὅτι τοίνυν ὁ Μενεκλῆς κτλ. Revertitur nunc actor ad eum locum, quem jam antea §. 19 attigit, ut neque delirasse Meneclem neque muliebribus artificiis inductum ad se adoptandum demonstret. Hujus rei argumentum inde petit, quod dudum ita secum egerint adversarii, ut qui rite ac legitime adoptatus Meneclis filius ac heres esset. — *Αὐτοὺς τούτους μάρτυρας παρασχέσθαι: His ipsis adversariis meis pro testibus uti volo,* καὶ ἐμοὶ μαρτυροῦντας ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ: *iisque talibus, qui non verbis sed factis testimonium pro me edant.* Nam καὶ idem h. l. significat atque καὶ ταῦτα, *idque, et quidem,* cujus generis sat multa exempla vid. ap. Schaefer. ad Longum p. 351. Ind. ad Gregor. Corinth. p. 985 sq. Fritzsch. Quaest. Luc. p. 9. ἔργῳ μαρτυρεῖν autem saepissime dicuntur ii, ex quorum factis rei alicujus argumenta repetuntur. Cf. v. c. de Pyrrh. her. §. 55.

de Philoctem. her. §. 12. de Ciron. her. §. 14. de Apoll. her. §. 18. Demosth. in Spud. p. 1034 in. et alibi passim *). — Quas autem dicit *διαλύσεις*, pertinent hae ad illam de agro inter Meneclem ejusque fratrem controversiam, de qua narravit §. 31. — Post *ὀμόσαντες ὅρκους* addendum esse *ἐμοί*, res ipsa dubitare non sinit.

§. 41. *προδοῦναι τὸν πατέρα: patrem deserere, officio erga patrem deesse.* Cf. infra §. 43. Monk. ad Eurip. Alcest. v. 203. Sturz. Lex. Xenoph. h. v.

οὗ εἶναι ὠνομάσθην. De hoc usu inf. *εἶναι* cum verbis appellandi praeter Reizium ad Viger. p. 751. cf. Heindorf. ad Plat. Theaet. p. 344. Schweigh. ad Herodot. I, 154. IV, 32.

§. 42. *τῇδε νομίζω. Hac ratione, propter hanc causam;* rarioris exempli locutio.

ἐγυμνασιάρχουν ἐν τῷ δήμῳ. Locus memorabilis, ex quo uno, quod sciam, discamus etiam pagorum gymnasiarchos fuisse, ad procurandos scilicet gymnicos ludos, qui in pagis celebrarentur. cf. ad or. de Ciron. hered. §. 15. Neque minus illud animadvertendum quod sequitur: *ἐστράτευμαι ἐν τῇ φυλῇ τῇ ἐκείνου καὶ ἐν τῷ δήμῳ*, ex quo conjicias, milites sicut secundum tribus ita etiam secundum pagos descriptos in exercitu fuisse. Cf. Lys. pro Mantith. p. 578: *συλλεγέντων τοίνυν τῶν*

---

*) Sed ap. Aeschinem in Timarch. p. 118: *σαφῶς πάνυ καὶ διαῤῥήδην ἔργῳ μαρτυροῦντας ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρέξομαι.* scribendum haud dubie cum Bekk. e plurimis et optimis codicibus *ἐγώ*. Nam Reiskii quidem explicatio, cujus haec est sententia, ut *ἔργῳ* idem fere significet atque *ὡς ἀληθῶς*, tum demum audienda foret, si in superioribus de aliis testibus dictum esset, qui *re vera* testimonium *non* dicerent, id quod non est ita; aliquanto autem deterior Bremii est ratio, *ἔργῳ μαρτυροῦντας* eos esse, qui testimonium ipsi coram dicant. Scilicet hos opponi oporteret iis, qui non coram sed per *ἐκμαρτυρίαν* dicerent, quales nulli commemorantur ab oratore: nec video quo modo in ipso illo *ἔργῳ* talis sententia inesse possit.

δημοτῶν πρὸ τῆς ἐξόδου. Fuisse autem Menecleam Cephalensem (Κεφαλῆθεν) §. 31 verisimile facit.

§. 43. ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνος ἐτελεύτησεν εἰ προδώσω κτλ. Haec quum non minus quam id cui opposita sunt membrum εἰ — ἐγυμνασιάρχουν — ἐφιλοτιμήθην — ἐστράτευμαι protasin faciant ejus apodoseos, quae initio periodi collocata est: δεινὸν τὸ πρᾶγμα νομίζω, tamen suam sibi apodosin adjunctam habent hanc: πῶς οὐκ ἂν δεινὸν — δοκοίη etc.. Similia quaedam duplicis apodoseos exempla tractavit Reisigius Conjectan. p. 314. 315.

§. 44. ὡς ἄν τις δικαιότατα ποιηθῇ. Tueri conjunctivum aliquis ita conetur, ut ἄν pro ἐάν accipiendum dicat: *ut, si quis justissime adoptetur*. Equidem tamen non dubito quin ποιηθείη rescribendum sit, idque Bekkero quoque placuisse video Add. p. 696.

§. 46. ἄπαιδα δὲ τὸν τελευτήσαντα καὶ ἀνώνυμον βούλεται καταστῆσαι. Non admodum dissimilia in re simili leguntur apud Demosth. in Macart. p. 1078, 7: εἰ δ' ἐξερημωθήσεται καὶ ἀνώνυμος ἔσται ὁ οἶκος — —, οὐδὲ κατὰ τοὐλάχιστον πόνον αὐτοῖς ἐμέλησεν. Cf. et supra §. 36 et 37.

ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ, μήτ'*) ἐναγίζῃ αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. Ita πατρῴων ἱερῶν et deorum manium cultus etiam alibi conjunguntur, ut de Astyph. her. §. 7: ἐπὶ τοὺς βωμοὺς τοὺς πατρῴους οὗτος βαδιεῖται, καὶ τελευτήσαντι αὐτῷ καὶ τοῖς ἐκείνου προγόνοις τὰ νομιζόμενα ποιήσει. Cf. ib. §. 36: τοὺς ἐχθίστους Ἀστυφίλου ἐπί τε τὰ μνήματα ἰέναι καὶ ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἐκείνου ποιήσετε. Add. Aeschin. de f. l. p. 317 [§. 152 *Bk.*]; καὶ ἱερῶν καὶ τάφων πατρῴων μετουσίᾳ. Solebant autem quotannis non parentibus solum defunctis, sed omnino majoribus, τοῖς προγόνοις, inferiae, χοαὶ et ἐναγισμοί, a posteris offerri. Vid. supra §. 10. de Cleon. her. §. 10. de Philoct. her. §. 51 et 65. de Apollod. her. §. 30 et 32. cf. Plat. Legg. IV, 717 E. Atque Νεμε-

*) Me invito relictum est in textu μηδ', manifestum vitium et a Bekkero tacite correctum.

σίων v. Νεμεσείων festo has manibus inferias oblatas esse colligas e Demosth. in Spud. p. 1031, 13: εἰσενεγκούσης τῆς ἐμῆς γυναικὸς εἰς τὰ Νεμέσεια τῷ πατρὶ μνᾶν ἀργυρίου. Cf. Harpocrat. h. v. ἑορτή τις ἦν Νεμέσεως, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα. Add. Suid. et Phot. h. v. Lex. rhet. p. 282, 32. Causam rei Reiskius bene perspexisse videtur ad Demosth. l. l. Quippe placandi erant manes a superstitibus, ne succenserent, si forte per imprudentiam aliquid adversus eos deliquissent. Quae autem ab aliis commemorantur Νεκύσια, ab his nomine tantum diversa, re eadem fuisse crediderim. Vid. Pollux III, 102. Fuerunt autem qui γενέσια quoque eadem ac νεκύσια esse dicerent, id quod Hesychius commemorat tom. I p. 815, sed ita ut plerosque aliter statuisse appareat. Et sane τὰ γενέσια natali potius aut etiam emortuali die in defunctorum memoriam celebrata videntur (cf. Lobeck. ad Phryn. p. 104. De sacr. priv. III. p. 4.) ab hominibus religiosioribus. Inferias autem a plerisque non plures sed singulas quotannis oblatas esse illud verisimile facit, quod tam saepe legitur ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. — Ceterum quam conjunctus hic manium cultus cum θεῶν πατρῴων religionibus fuerit, res ipsa demonstrat, quum cujus quis manes coleret, hujus etiam ἱερὰ πατρῷα eum colere oporteret. Utramque enim a parentibus ad liberos propagabatur.

IN ORATIONEM III.

DE PYRRHI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Pyrrhus quidam quum nullos haberet liberos legitimos, moriens Endium, sororis filium, testamento adoptavit, qui quum bona ejus nemine obloquente accepisset et viginti amplius annos possedisset, decessit et ipse liberis nullis relictis. Jam quum hereditas ad Endii matrem, Pyrrhi quippe sororem, cognationis jure perveniret — neque enim fratres Pyrrhi fratrumve liberi fuerunt*) —, extitit Phile quaedam, quae se legitimam Pyrrhi filiam esse diceret eoque nomine hereditatem ut paternam sibi vindicaret. Contradicente autem Pyrrhi sorore Xenocles, Philae maritus, *διαμαρτυρίαν* interponit, non posse hereditatem a sorore peti, quum uxor sua filia sit Pyrrhi legitima. Propter hanc *διαμαρτυρίαν* a Pyrrhi sorore falsi testimonii (*ψευδομαρτυριῶν*) accusatur et ju-

*) Hi enim si fuissent, sororem a fratris hereditate exclusissent. Vid. Bunsen. de jur. her. p. 26. 27. Ne quis autem hereditatem ad mulierem illam tamquam matrem Endii pervenire debuisse credat: matri nullum in filii bona succedendi jus fuisse videtur. Gans. Jus her. I. p. 371 sqq. Neque a fratre hereditas Endii peti potuit, quandoquidem naturalis haec cognatio propter adoptionem Endii jus suum amiserat. Quodsi mater non superstes fuisset, pervenisset quidem ad illum hereditas, neque tamen ut ad fratrem Endii, sed ut ad Pyrrhi sororis filium s. Endii amitinum.

dicio vincitur. Usus autem in hoc falsi testimonii judicio Xenocles erat etiam Nicodemi cujusdam testimonio, Philae avunculi, qui sororem suam, Philae matrem, Pyrrho rite ac legitime a se desponsatam esse testatus erat. Itaque damnato Xenocle huic quoque Nicodemo falsi testimonii actio a Pyrrhi sorore intenditur. Agitur autem causa ab altero hujus mulieris filio, Endii fratre, quippe matris suae *κυρίῳ*, qui etiam priorem illam contra Xenoclem causam egerat.

Hic igitur falsum esse Nicodemi testimonium vel ex eo apparere dicit, quod priore judicio Xenocles damnatus sit, quod sane fieri non potuisse, nisi Nicodemi testimonium de sororis desponsione falsum judicibus visum esset. Sed quum illa causa apud alios judices acta, his autem, qui nunc de Nicodemo judicent, ignota sit, omnem sibi rem de integro exponendam esse. Ac primum quidem non fuisse Nicodemi sororem Pyrrho in matrimonium collocatam vel ex eo intelligi, quod dotem illi neque dictam a fratre neque postea repetitam esse constet; dein mulierem istam quaestum fecisse meretricium, et cum plurimis consuesse, nemini nuptam fuisse neque ex quoquam peperisse. Neque eos fuisse Pyrrhi mores, ut talem mulierem in matrimonium duceret; quumque adversarius unum sibi in desponsione sororis testem affuisse dicat, Pyretidem, tres autem a Pyrrho adhibitos, eosque hujus avunculos, Lysimenem, Chaeronem et Pyladem: ex his unum, Pyretidem, totam rem infitiatum esse; avunculorum autem testimonium falsum esse ex ipsa re intelligi, quum, qui tam turpe matrimonium contraheret, eum consentaneum sit quemvis potius quam propinquos suos hujus rei conscios ac testes facturum fuisse. Atque propter ipsos mulieris mores atque infamiam incredibile videri debere, desponsionem quidem factam, neque tamen dotem constitutam esse, quum, si propter amorem tale matrimonium Pyrrhus contraxisset, Nicodemus haud dubie dotem, etiamsi nullam dedisset, profitendam certe, quasi data esset, in sponsalibus curasset; scilicet ne liberum esset Pyrrho,

si quando animum mutasset, mulierem istam, cui nihil dotis rependendum esset, domo extrudere. Neque minus illud falsum esse apparere, quod iidem avunculi testati sint, affuisse se Philae die nominali. Nam quum Xenocles maritus uxori suae Philae nomen esse diceret, illos contra eam ab avia, Pyrrhi matre, Clitaretam nominatam dixisse; quod plane incredibile esse, ipsi marito uxoris suae verum nomen ignotum fuisse. Porro nunquam sane Nicodemum in sororis suae desponsione commissurum fuisse, ut de dote nihil stipularetur, non solum propterea, quod, ut jam supra dictum est, ita liberum Pyrrho futurum esset, mulierem quandocumque libuisset a se extrudere, sed etiam quod sciret, si improlis mulier decederet — et fuisse eam semper improlem — dotem, quam scripsisset, sibi, fratri mulieris, a Pyrrho numerandam fore; cujus lucri captandi opportunitatem ab illo praetermissam esse, credi prorsus non posse. Denique Nicodemum etiam ξενίας accusatum et tantum non damnatum esse; quo minus verisimile sit, talis viri sororem a Pyrrho in matrimonium ductam esse. —

Haec prima est argumentationis pars, quae nullas inter Pyrrhum et Nicodemi sororem nuptias intercessisse demonstrat; sequitur nunc altera, qua spuriam Philen esse primum ex iis ipsis quae Nicodemus fecerit vel potius fieri passus sit ostenditur. Nam passum eum esse, ut Pyrrhi hereditas ab Endio caperetur sine sorore adoptiva; qua ipsa re hanc spuriam declaratam esse: neque enim adoptari quemquam, neque patris adoptivi hereditatem capere per leges posse, nisi ita ut simul hujus filiam, si qua sit legitima, uxorem ducat. Nicodemum autem non illud solum fieri passum esse, sed etiam, quum sororis suae filiam, quam legitimam esse contendat, ab Endio pro spuria cum dote exigua Xenocli in matrimonium collocari videret, non intercessisse, neque, quod avunculi officium fuisset, actionem κακώσεως propter hanc neptis suae injuriam Endio intendisse. — Porro autem ipsum quoque Xenoclem uxorem suam pro spuria ha-

buisse ex eo intelligi, quod nunquam vivo Endio de uxoris suae hereditate paterna litem intenderit; quum praesertim nunc ne adoptatum quidem a Pyrrho Endium fuisse concedat, eamque ob causam hereditatem non tamquam fraternam, ab Endio relictam, sed tamquam paternam uxori suae petat. Alterutrum enim faciendum fuisse: aut, si legitime adoptatum esse Endium negaret, hoc vivo hereditatem mulieri, ut paternam, aut, si concederet Endium rite adoptatum esse, nunc post mortem ejus ut fraternam petendam fuisse. Quin si legitima Pyrrhi filia mulier esset, ne hoc quidem faciendum fuisse, ut petitionem hereditatis in jure institueret, sed ἐμβατεύσει s. ἐμβατείᾳ potius utendum, ad occupanda scilicet bona paterna, in qua si quis obstitisset mulieremque ejicere conatus esset, hunc vel εἰσαγγελίᾳ poenisque gravissimis obnoxium fuisse. — Jam vero avunculos quoque Pyrrhi, Lysimenem, Chaeronem et Pyladem, si legitima Phile esset, non passuros fuisse, ut a Xenocle in matrimonium duceretur, qui nulla eam cognatione contingeret, sed ipsos potius eam petituros. Neque licere iis praetexere, hoc ideo a se omissum esse, quod adoptatus a Pyrrho Endius foret; quippe quum hanc ipsam adoptionem factam esse negent. Et fuisse adoptionem ipso jure nullam atque irritam, si legitima esset filia, neque hanc adoptivo filio in matrimonium ducendam pater mandasset: quamobrem potuisse eam a propinquis cognationis jure in matrimonium peti; sin mandasset illud pater, non oportuisse avunculos concedere, ut adoptivus hereditate capta filiam repudiaret. Denique si forte haec omnia se insciis gesta ob eamque causam non impedita esse causentur, illud tamen certe nunquam eos concessuros fuisse, ut sororis suae neptem, legitimis nuptiis procreatam, pro spuria Endius Xenocli desponsaret.

Postremo ipsum quoque Pyrrhum, quum Endium adoptaret, Philen spuriam declarasse. Non enim, si legitima esset, ullam illius adoptandi causam fuisse, neque ut hereditas ad sororis suae filios transmitteretur,

neque ut domus sua conservaretur. Nam quum propiores Pyrrho cognati non fuerint quam Endius ejusque frater, fieri non potuisse quin filia, si quidem legitima esset, horum alterutri una cum hereditate adjudicaretur; conservandae autem domui ita facillime consuli potuisse, si mandasset, ut ex nepotibus, quos filia peperisset, unus aliquis filius sibi institueretur. Quod quum adoptaverit Endium, Philen autem in phratriam non induxerit, hanc etiam ipsius patris testimonio spuriam declaratam esse.

In Hypothesin.

Vers. 7. *καὶ ἑάλω ψευδομαρτυριῶν, Νικοδήμου καὶ αὐτοῦ μαρτυρήσαντος —. ὁ Ἐνδίου δὲ ἀδελφὸς — — φησὶν κτλ.* Haec non nimis distincte ac perspicue exposita esse quivis, opinor, concedet. Melius certe in voce *ψευδομαρτυριῶν* finiretur periodus, novaque deinceps ita inciperet: *Νικοδήμου δὲ καὶ αὐτοῦ μαρτ. — — ὁ Ἐνδίου ἀδελφὸς κτλ.,* aut etiam *τούτῳ ἐπισκηψάμενος ὁ Ἐνδ. ἀδ.* Verum scio non librarium sed ipsum grammaticum a me corrigi, qui quod scripsit *ὁ Ἐνδ. δὲ ἀδελφὸς* pro *ὁ δὲ Ἐνδίου ἀδ.,* fecit hoc quidem optimorum scriptorum exemplo. Cf. Popp. Obss. in Thuc. p. 30.

In orationem ipsam.

§. 1. *Ἄνδρες δικασταί.* Statim initio periodi collocatam judicum appellationem, quae plerumque uni aut aliquot verbis subjungi solet, habet etiam fr. or. pro Eumathe §. 1, item Demosth. adv. Leptin. p. 457. adv. Zenothem. p. 882. or. de Haloneso p. 76. Atque his omnibus locis etiam *ὦ* interjectio omissa est, cujus omissionis in media quoque oratione nonnulla sunt ap. oratt. exempla. Cf. Bremi. ad Aesch. in Tim. p. 16. et ad Lys. in Agorat. p. 448 (p. 94 ed. Goth.). Nam in familiari sermone interjectionem minus desideres. Plat. Gorg. p. 489. A. Aeschin. Axioch. p. 36 Fisch.

ἄπαις ὢν γνησίων παίδων. Nam omnino *ἄπαις* non erat, quum filiam haberet e meretrice procreatam; quam-

quam postea §. 15 et 30 ita loquitur orator, ut suspicionem injiciat, hanc ipsam suppositiciam, non veram Pyrrhi filiam fuisse. Qui filios haberet legitimos, adoptare alienum non potuit; qui filias, potuit adoptare, sed ita, ut adoptivo filio unam e filiabus in matrimonium daret. Vid. infr. §. 42. — Paullo post ἔχοντος ἐκείνου dicit, non τούτου, quum de mortuo loquatur; οὐδεὶς ἠμφισβήτησεν ἐκείνῳ pro αὐτῷ, quemadmodum non raro demonstrativa pronomina οὗτος, ἐκεῖνος, pro ἀναφορικῷ poni solent. Cf. Schaef. Appar. crit. II p. 215. et in H. Stephani Thes. c. 3658. D. 3659. A. Heindorf. ad Plat. Phaed. 138.

§. 2. ὑπερβᾶσα τὸν τελευταῖον κληρονόμον. Ὑπερβαίνειν v. παρέρχεσθαι τὸν τελευταῖον κληρονόμον is dicitur, qui hereditatem petit non quasi ab hoc relictam, sed ab illo, cujus hic ipse heres fuit. Atque faciunt hoc ii, qui jus suum non ab hujus sed ab illius propinquitate derivatum volunt. Phile igitur hereditatem petit non ut Endii, fratris adoptivi, sed ut Pyrrhi, patris. Cf. infr. §. 57 et 67.

καὶ κύριος Ξενοκλῆς Κόπριος. Codd. Κύπριος, ut ap. Demosthen. de coron. p. 249, 13: Εὔβουλος Μνησιθέου Κύπριος, quod Vales. et Corsin. in Κυθήριος mutari jusserunt, probante Wolfio ad Demosth. Leptin. p. 245. Et adsciverunt hoc Wunderlich. et Harlesius. Sed quum nuper Κόπρος, Hippothoontidis pagus, ex inscriptionibus innotuerit, dubitari non potest quin utrobique, et apud. Demosth. et ap. Isaeum Κόπριος reponendum sit. Vid. Boeckh. Corp. Inscr. p. 216 et Meier in Ephemm. Hal. 1826 no. 23 c. 193. — Κύριος nunc de marito, ut saepissime. Recte autem ὢν subaudiendum esse Reiskius monet; ne quis articulum addendum fuisse credat.

τρία τάλαντα τίμημα τῷ κλήρῳ ἐπιγραψάμενος. Videlicet ἐν τῇ λήξει, in petitionis libello. Τίμημα est *aestimatio bonorum*, quae a Pyrrho relicta sibi nunc reddenda contenderunt. Demosth. de symmor. p. 183, 5. τὸ τίμημά ἐστι τὸ τῆς χώρας ἑξακισχιλίων ταλάντων. Polyb. II, 62: ἐτιμήσαντο τήν τε χώραν τὴν Ἀττικὴν ἅπασαν καὶ

τὰς οἰκίας, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν οὐσίαν· ἀλλ' ὅμως τὸ σύμπαν τίμημα τῆς ἀξίας ἐνέλιπε τῶν ἑξακισχιλίων διακοσίοις καὶ πεντήκοντα ταλάντοις. Inde Harpocr. h. v. *τίθεται δὲ καὶ ἀντὶ τοῦ οἷον κεφαλαῖον, ὡς ἐν τῷ περὶ τῶν συμμοριῶν Δημοσθένης.* Cum nostro loco conf. Lys. de pecun. publ. p. 594: *ῥᾴδιον δὲ γνῶναι ἐκ τοῦ τιμήματος τοῦ ἐπιγεγραμμένου τοῖς χρήμασιν.* et ib. paullo post: *ὧν δ' ἐγὼ ἀμφισβητῶ, τῷ μὲν πέντε μνᾶς, τῷ δὲ χιλίας δραχμὰς ἐπεγραψάμην.* Alios enim locos, ubi de poenae v. litis aestimatione dicitur, laudare supervacaneum est.

§. 3. *τῆς μητρὸς τῆς ἡμετέρας.* H. e. actoris atque Endii defuncti, fortassis aliorum etiam, qui non nominantur. Sed plures fuisse conjicias e §. 63, ubi, si duo tantum fratres fuerunt, *ἡμῶν μηδέτερον* non *μηδένα* dicendum fuisset.

ὁ κύριος τῆς εἰληχυίας τοῦ κλήρου γυναικός. H. e. Xenocles, qui paullo ante ipse dicebatur *λαχεῖν τὴν λῆξιν.* Etenim Xenocles actionem instituerat, sed uxoris suae nomine, quamobrem haec ipsa *εἰληχυῖα* dicitur, sicut modo legimus *ἀμφισβητούσης τῆς μητρός,* quum non ipsa mater sed ejus nomine filius ageret. Cf. de ord. judic. p. 560 not. 14. Inde etiam paullo post: *ἐπισκηψάμενοι ἡμεῖς: ego cum matre.*

τὸν διαμαρτυρῆσαι τολμήσαντα κατὰ ταῦτα. H. e. *qui διαμαρτυρίαν petitioni nostrae opposuit ejusmodi, ut legitimam Pyrrhi filiam uxorem suam esse contenderet.* Refertur igitur *κατὰ ταῦτα* ad illud: *ὡς οὔσης γνησίας θυγατρὸς Πύῤῥου,* neque mutari debebat a Reiskio.

§. 4. *ἐξελέγξαντες περιφανῶς τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότα.* Ambigas utri verbo adverbium adjunctum sit; nam aeque utrique convenit; nisi tamen collocatum est ita, ut ad *μεμαρτυρηκότα* potius pertinere videatur. Cf. infr. §. 12: *γνώσεσθε ὡς οὗτος περιφανῶς τὰ ψευδῆ μεμαρτύρηκε.* §. 19: *μέγα δὲ τεκμήριον, ὡς περιφανῶς τὰ ψευδῆ μεμαρτύρηκε.* Contra de Menecl. her. §. 17: *περιφανῶς ἀποδέδεικται ἡμῖν, ὦ ἄνδρες, ὁ μάρτυς τἀληθῆ διαμεμαρτυρηκώς.* de Philoct. her. §. 53: *πῶς ἂν τις περιφανέστερον ἐξελεγχθείη τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκώς;* de Ciron. her. §. 17:

ἰσασι δὲ περιφανέστατα καὶ τῶν ἐκείνῳ χρωμένων τινές. Or. in Neaer. p. 1369, 11: τὴν τοίνυν περιφανῶς ἐγνωσμένην ξένην εἶναι. Injuria igitur Reiskius ad Lys. de olea p. 272 dici posse negavit φανερῶς ἐλέγχειν, quum tamen apud eundem or. XXV p. 772 extet: πῶς ἂν φανερώτερον ἢ οὕτω ψευδομένους ἀποδείξαιμι τοὺς κατηγόρους; — et σαφῶς ἐλέγχειν habes infr. h. or. §. 5.

τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην. Citatur hic locus a Meiero de ord. judic. p. 384 not. 52, ut exemplum appositi ante criminis nomen articuli, quem contra vulgarem usum huic imprimis ψευδομαρτυριῶν nomini saepenumero apponi solere dicit. Sed vellem hac de re accuratius disputasset. Nam nostro quidem loco, quum utrumque, et actio, et crimen cujus illa actio instituta erat, definita et ante commemorata sint, articulum additum non mirum esse arbitror, sed legibus sermonis atque oratorum usui consentaneum. Eadem est ratio paullo infra §. 6. Conf. Demosth. in Euerg. p. 1154, 22. ubi est τῇ ἐπισκήψει τῶν ψευδομαρτυριῶν. Add. in Mid. p. 549 extr.: ἔπειθεν ἡμᾶς τὴν γραφὴν τοῦ φόνου παραγράψασθαι. in Nicostr. p. 1252, 5: ἀνακεκριμένου μου — τὴν τῆς ψευδοκλητείας γραφήν. in Conon. p. 1256, 5: ἔλαχον αὐτῷ τὴν δίκην τῆς αἰκίας ταυτηνί. Dinarch. in Aristogit. p. 81, 1. ὅσονπερ ἦν ἐπὶ τῇ τῶν παρανόμων γραφῇ τίμημα ἐπιγεγραμμένον. — Contra ubi non una quaedam ac certa causa, sed universum genus designatur, vel additur recte articulus vel omittitur. Atque omissi quidem exempla afferre nihil attinet; additi haec sunto: Lys. in Theomnest. p. 351: ὅταν τὰς τῶν φόνων δίκας δικάζωνται. Id. de caed. Eratosth. p. 94: τοῦ φόνου τὰς δίκας δικάζειν. Lycurg. in Leocr. p. 140: ὅταν γὰρ τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς δικάζητε. Pollux VIII, 87: εἰσάγουσι καὶ τὰς τῶν παρανόμων γραφάς. ib. 88: καὶ τὰς τῶν ψευδομαρτυριῶν ἐξ Ἀρείου πάγου. ib. 90: καὶ τὰς τοῦ φόνου δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰσάγει. Denique ubi non additur ἡ δίκη v. ἡ γραφή, omitti sane plerumque articulus solet; nonnunquam tamen, et imprimis huic ψευδομαρτυριῶν nomini, contra consuetudinem additur.

Aliquot ejusmodi exempla post Meierum congessit etiam Schaefer. Appar. crit. IV p. 447.

ἀναισχυντότατον τῇ μαρτυρίᾳ ὄντα ταύτῃ. Cf. ad or. de Menecl. her. §. 26, ubi quae contuli similia exempla, tutum hunc locum a Taylori et Reiskii conatibus praestabunt.

§. 5. ἡ τούτου μαρτυρία. *Hujus Nicodemi, qui nunc reus est;* de quo miror a Reiskio vel tantillum ambigi potuisse. Et satis diligenter Nicodemum et Xenoclem per totam orationem distinctos videbis, ut Nicodemus semper sit οὗτος, Xenocles autem ἐκεῖνος, nisi ubi nullo modo de homine errari potuit, ut §. 22; οὗτοι denique, plurali numero, totam adversariorum factionem, Nicodemum, Xenoclem, et cum his nonnunquam etiam Lysimenem, Chaeronem, Pyladem significet. — Paullo post ὁ τόθ' ἑαλωκὼς μάρτυς Xenocles est; nam μάρτυρες etiam ii sunt, qui διαμαρτυρίαν interponunt.

§. 6. τῆς ἀμφισβητούσης γνησίας θυγατρὸς Πύῤῥῳ εἶναι. *Quae se legitimam Pyrrhi filiam esse contendebat.* Rarior sane verbi ἀμφισβητεῖν usus, ut non mirum sit Reiskium offendisse. Nam alias vix unquam cum infinitivo illud verbum constructum invenias, nisi ubi quis rem non esse contendat, adjuncta ad infinitivum negandi particula, ut de Ciron. her. §. 19: τῶν δὲ φρατόρων οὐδεὶς ἀντεῖπεν οὐδ' ἠμφισβήτησε μὴ οὐκ ἀληθῆ ταῦτ' εἶναι. Lys. adv. Pancleon. p. 736: ἀμφισβητῶν μὴ πρὸς τὸν πολέμαρχον εἶναί οἱ τὰς δίκας. Sed affirmandi vim cum ὡς constructum habet etiam ap. Demosth. adv. Phorm. p. 908, 6: ἐὰν δέ τις — ἀμφισβητῇ ὡς πάντα πεποίηκε τὰ συγκείμενα, pro quo dubitari non potest quin etiam ἀμφισβητῇ πάντα πεποιηκέναι dici potuerit. Corrigendum itaque nostrum locum Reiskio non concedemus. — Mox autem in his πότερον ἐξ ἐγγυητῆς ἢ ἐξ ἑταίρας ἡ ἀμφισβητοῦσα τοῦ κλήρου τῷ θείῳ γυναικὸς εἴη. assentior Bekkero in Add. p. 696 γυναικὸς aut tollendum aut cum γυνή mutandum esse. Cf. §. 24 et 45.

τῆς τε ἀντωμοσίας τῆς ἡμετέρας. Eam haud dubie di-

cit, quae in priore ψευδομαρτυριῶν actione contra Xenoclem edita erat. De ἀντωμοσίᾳ vid. de ord. jud. p. 628.

§. 8. ἥντινά ποτε προῖκά φησιν ἐπιδοὺς ἐκδοῦναι. Scilicet ex hoc ipso, quod dos nulla data erat, etiam matrimonium nullum contractum esse argumentatur. Redit ad hanc ipsam argumentationem infra §. 28. 29, qui locus satis demonstrat, dotem non quidem adeo necessariam fuisse, ut sine ea justum matrimonium esse plane non posset, attamen aut raro aut nunquam matrimonium sine dote contrahi solitum. Negantem etiam vidimus in Meneclea §. 5 adversarium, dotem ab actoris sorore Menecli allatam fuisse; neque tamen justum illud matrimonium fuisse negavit. Item apud Demosthenem p. 1014, 23 Boeotus Mantithei matrem ἄπροικον fuisse contendit; legitimam Mantiae uxorem fuisse non negat. Denique apud Lysiam de bon. Aristoph. p. 621. 622 virgines honestissimas in matrimonium posci videmus sine dote. Tamen improbatas vulgo ejusmodi nuptias fuisse vel haec Lesbonici verba ostendunt ap. Plautum Trinumm. III, 2, 62:

Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves,
Sed ut inops infamis ne sim; ne mi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedidisse magis quam in matrimonium.

Ceterum cf. et Meier. de ordin. judic. pag. 415 sq. et pag. XIX.

πότερον — ἀπέλιπε τὸν ἄνδρα ζῶντα κτλ. De his omnibus, quorum hoc loco mentio fit, discidio uxoris a marito, relinquenda defuncti mariti domo, reddenda dote aut usuris pro ea solvendis, quae σῖτος dicuntur, expositum est in lib. de ord. jud. p. 413 et 419 sqq., quae hic repetere non opus. — Paullo post ne quem offendat pluralis numerus: δικάσασθαι ἠξίωσαν, non solus Nicodemus, sed una cum Nicodemo etiam soror, cujus illi causa agenda erat, aut sororis filia ejusque maritus Xenocles designantur.

§. 9 εἰ — προσῆλθεν ἐγκαλῶν. Hoc quoque explicatum videbis in lib. de ord. jud. p. 575.

μηδὲν τούτων γενέσθαι περὶ τῆς ἐγγυητῆς γυναικός. „Περὶ bene, si habet, accipi debet pro ὑπέρ, in causa v. ad emolumentum foeminae. Alias leg. sit: παρὰ v. ὑπέρ.“ *Reisk.* Neque mutandum est περὶ neque plane pro ὑπέρ accipiendum. Nimirum ὑπέρ τινος γίγνεσθαι dicitur, quod in alicujus commodum fit, περί τινος autem id, quod aliquo modo pertinet ad aliquem, in quo alicujus causa agitur: id quod vel damno vel emolumento esse potest; quo fit ut commutari ὑπέρ cum περί non raro possit, quum re tamen ipsa diversum sit. Sed haec longius persequi et ad alias quoque loquutiones traducere, in quibus tenuissimum saepe est utriusque praepositionis discrimen, non est hujus loci; neque de ὑπέρ vice versa pro περί posito nunc disputare attinet. Nostro autem loco περὶ apparet idem esse ac si dicas: *In Sachen der Frau.*

§. 10. ὅσοι — ἐπλησίαζον αὐτῇ. Hoc itidem ut χρῆσθαι de re venerea dici notissimum est. Cf. Schaef. App. crit. IV p. 539 et Baehr. ad Plutarch. Pyrrh. p. 154. — In sequentibus vulg. ἐνδεδώκει dubitari non potest quin depravatum sit. Non *permissam* Nicodemus a se sororem Pyrrho dixerat (hoc enim est ἐνδιδόναι) sed *in matrimonium collocatam;* id nunc cum acerba ironia redarguitur: *scilicet,* ait, *collocavit eam eodem modo, quo jam antea ceteris etiam, qui rem cum ea habere solebant, collocaverat.* Inter ἐκδεδώκει, quod Bekk. e conj. scripsit, et ἐδεδώκει, quod codd. habent, difficilius est dijudicare. Nam etsi ironiae magis accommodatum videtur ἐκδεδώκει, utpote hac in re proprium et ab ipso oratore paullo ante usurpatum, tamen etiam διδόναι de collocandis mulieribus non rarum est. Vid. de Dicaeog. her. §. 26. Demosth. adv. Spud. p. 1028, 23. 1029, 4. Itaque Bekkerum vituperare non possum, imitari, nimis fortasse religiosus, non audeo. — Quod autem Bernhard. Syntax. p. 380 ἐδεδώκει hypothetice dictum et ἄν omissum esse statuit, videtur mihi loci sententiam non perspexisse. Nulla hic est hypothesis, sed ironica, ut dixi, affirmatio.

§. 11. κοινὴν αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι τοῦ βουλομέ-

νου τὴν γυναῖκα, Rescribendum censeo αὐτοὶ pro αὐτήν: nam ut nunc legitur locus, aut τὴν γυναῖκα aut αὐτὴν intolerabiliter abundat.

§. 12. ἀκούσαντες δὲ καὶ ὑμεῖς. H. e. vos et ipsi, qui nunc judices estis, non minus quam illi, qui antea in Xenoclis causa judices erant, quum testimonia illa a me adhiberentur.

§. 13. ὡς μὲν ἑταίρα ἦν. Reiskius οὖν post μὲν inserendum, neque unquam in hujusmodi transitionibus nisi librariorum culpa abesse illam particulam statuit. Abest autem innumeris locis, quos omnes corruptos credere temerarium foret. Cf. or. de Dicaeog. her. §. 39. de Apollod. her. §. 37. Schaef. ad Longum p. 376 sq. et censorem Isocratis Coraiani, quem Bekkerum esse audio, in Diurn. Jenens. 1810. no. 185. p. 274 sq. — Paullo post ὑπὸ τῶν ἄλλων οἰκείων ne quis ad illum modum dici censeat, quo abundare ἄλλων videatur, opponuntur hic οἱ ἄλλοι οἰκεῖοι illis, qui adversariis adsunt, Pyrrhi avunculis. — De κώμοις conferenda utique sunt quae Jacobsius disputavit ad Philostrat. Imagg. p. 205. 208 sqq. Quod autem additur §. 14, matronas neque ad convivia cum viris ire, neque coenare cum alienis solere, notum etiam tironibus e Cornelii Nepotis praefatione, ad quam vid. nott. intt. Add. Thom. Gatak. Advers. p. 503.

§. 15. Ἀνάγνωθι δή. Modo dixerat: ἀναγίνωσκε πάλιν, itemque paullo infra: ἀναγίνωσκε αὐτοῖς. Cf. §. 53. de Apoll. her. §. 21. 22. Demosth. II in Aphob. p. 839: λαβὲ τὰς ἄλλας καὶ ἀναγίνωσκε, sed vers. 9: λαβὲ ἑτέραν καὶ ἀνάγνωθι. Id. adv. Leptin. p. 483, 17: σκοπεῖτε — καὶ λογίσασθε. Hujusmodi exempla Schaeferum permoverunt, ut nihil inter praesentis et aoristi imperativum interesse statueret, Appar. crit. III, p. 185. Sed nullum esse discrimen equidem non dixerim; tenuissimum esse apparet, ut saepenumero pro lubitu aut affectu loquentis variari oratio possit. Nam quid mirum, qui modo lenius jusserat: σκοπεῖτε, eundem statim cum majore quadam vi et quasi intentius flagitan-

tem addere: λογίσασθε? Et plerumque, si non semper, apud pedestres quidem scriptores, in tali diversorum temporum conjunctione, qualis est illa in Demosth. Leptinea, praesentis imperativus antecedit, sequitur aoristus. Nam haec exempla: λαβὲ καὶ ἀναγίνωσκε et similia, ubi non una res, sed duae jubentur, diversi generis sunt: alterum enim, λαβέ, statim ac celeriter peragendum, alterum, ἀναγίνωσκε, aliquid temporis postulat. Quodsi hoc quoque quam celerrime effici velis, ἀνάγνωθι dicendum erit; nunquam vero λάμβανε dicunt, qui scribam tabulas proferre jubent, nunquam ἐπιλάμβανε τὸ ὕδωρ, nunquam ἀναβαίνετε, μάρτυρες.

οὐδ' ἐξ ἑνὸς ἄλλου φαίνεται τεκοῦσα. Miram horum verbb. explicationem Reiskius comminiscitur: meretricem, etiamsi pariat, tamen nemini parere; liberos e scorto natos pro nullis haberi. Οὐ τίκτει, addit graece, ἡ ἑταίρα, ἀλλὰ μόνη ἡ γαμετή. Rectiora vel e §. 36 disci possunt: εἰδὼς τὸν ἅπαντα χρόνον ἄτοκον οὖσαν αὐτήν, cui loco Reiskianam istam rationem adhiberi non posse, omnis illa argumentatio, qua ibi orator utitur, manifesto demonstrat. — Sed quorsum illud nostro loco dictum est? Propterea haud dubie, ut suspicionem obiter injiciat, non modo legitimam, sed ne filiam quidem Pyrrhi Philen esse, suppositam a matre sterili, quo firmioribus vinculis illum sibi devinciret. Eodem etiam illud pertinet §. 30: τῆς θυγατρὸς ἀποφανθείσης εἶναι. Et saepenumero talibus artificiis meretrices usas esse vel e Plautina Truculento novimus. Vid. act. II. sc. 4. v. 35 sqq. Sed obiter tantum hanc suspicionem orator injicit propterea, quod rem probare certis argumentis non poterat, et Pyrrhus ipse Philen suam esse agnoverat.

§. 17. ἐκ τῶν μαρτυριῶν τῶν τούτοις μεμαρτυρημένων h. e. Xenocli et consortibus. Ex ipsa ratione testimoniorum, quibus hi in priore ψευδομαρτυριῶν judicio usi erant, fictam rem demonstrat esse, quam talibus tamque manifesto falsis testimoniis probare conati sint.

§. 18. *καὶ τούτου ἐκμαρτυρίαν — παρέσχοντο.* H. e. non ipsum Pyretidem testem in judicio produxerunt, sed tabulas tantum, quibus inscripta erant, quae illum, quippe aut aegrotum aut peregre profecturum, ut adesse judicii die non posset, intra parietes ipsorum rogatu pro testimonio professum esse dicerent, et quidem coram duobus amicis, Dionysio et Aristolocho (§. 23), qui et ipsi in judicio aderant et Pyretidem se audientibus illa professum esse testabantur. Haec est enim *τῶν ἐκμαρτυριῶν* ratio. Cf. de ord. jud. p. 670. Quid sit *ἀναδέχεσθαι τὴν ἐκμαρτυρίαν*, et per se satis perspicuum est, et explicatur ib. p. 671.

§. 19. *ἐπὶ προδήλους πράξεις.* H. e. quae non subito et inexpectatae incidunt, sed quas praevidimus. Ita *πρόδηλος* legitur etiam or. de Philoct. her. §. 2: *προδήλων ὄντων τῶν κινδύνων.* et de Apollod. her. §. 31: *ἐκείνῳ δὲ πρόδηλον ἦν, ὅτι — ἔρημον ποιήσει τὸν οἶκον.*— *ἃς δεῖ μετὰ μαρτύρων γενέσθαι* pro *ἃς ἂν δέῃ μ. μ. γενέσθαι.* sed indicativum etiam in tali enunciatione, quae universum genus definit, recte et a Graecis et a Latinis usurpari nemo ignorat. Ceterum nihil fere negotii, quod quidem alicujus momenti esset, sine testibus gerebatur, quibus, si quando opus esset, in judicio uterentur. Vid. de ord. jud. p. 665 sq. Quodsi quid subiti incidisset, quoscunque casus obtulerat, testes advocandi erant; hoc enim est *μάρτυρας ποιεῖσθαι*, quod etiam *μαρτύρεσθαι* dicitur; quae autem *πρόδηλα* erant, his amici potissimum et spectatae probitatis viri testes adhibebantur. — Mox pro *ἕκαστοι* conjecerit aliquis *ἑκάστοις:* sed vulgatam quoque lectionem ferri posse apparet.

§. 20. *ἐπὶ μὲν ταῖς μαρτυρίαις αὐταῖς. Ipsa testimonia*, quae proprie dicuntur, quum illos ipsos, qui cujusque rei conscii sunt, testes producimus, opponuntur *ταῖς ἐκμαρτυρίαις* h. e. eorum testimoniis, qui ipsi produci non potuerunt. Apparet igitur nulla verborum transpositióne opus esse, neque audiendum Reiskium, cui haec ita scribenda videbantur: *ἐπὶ μὲν ταῖς μαρ-*

τυρίαις, αὐτοῖς τοῖς παραγενομένοις αὐταῖς, scil. ταῖς ἀδήλοις πράξεσιν. Ceterum ἐπὶ ταῖς μαρτυρίαις, dativo casu, dictum est eodem modo, quo ap. Herodot. II, 170: τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι (*in tali re, ubi de tali re agitur*) ἐξαγορεύειν τοὔνομα. cf. id. III, 14: τωὐτὸ ἐποίησε τὸ καὶ ἐπὶ τῇ θυγατρί, *quod et in filia fecerat*. Plat. Legg. VII, p. 793. E. ταὐτὸν δραστέον καὶ ἐπ' ἐλευθέροισιν. Thuc. VI, 20: ἐπὶ δὲ τῷ παρόντι ἃ γιγνώσκω σημανῶ. Eurip. Iphig. T. v. 456: εὐτρεπίζετε ἃ χρὴ ἐπὶ τοῖς παροῦσι καὶ νομίζεται.

§. 21. ὡς ἂν μετὰ πλείστων. Eadem verborum collocatio est ap. Demosth. de f. l. p. 423, 22: ὡς μετὰ πλείστης συγγνώμης. Id. de cor. p. 321, 26: ὡς παρ' οἰκειοτάτῳ. Thucyd. I, 63: ὡς ἐς ἐλάχιστον χωρίον. III, 46: ὅτι ἐν βραχυτάτῳ. Cf. Poppo Obss. critt. p. 223.

ἵνα τῷ τε ἐκμαρτυρήσαντι μὴ ἐξείη ὕστερον ἐξάρνῳ γενέσθαι τὴν μαρτυρίαν ὑμεῖς τε — πιστεύοιτε μᾶλλον. Μαρτυρίαν pro ἐκμαρτυρίαν dici etiam Reiskius observavit; et γενικὰ pro εἰδικοῖς saepenumero dici nemo ignorat. Sed ἐξείη fortasse aliquis in ἐξῇ, πιστεύοιτε in πιστεύητε mutatum velit, quandoquidem etiam nunc multi Dawesio credunt, particulas hasce finales cum optativo non nisi verbis praeteriti temporis recte subjungi, post praesentia autem et futura postulare conjunctivum. Atque ad hanc normam Brunckius e. g. Aristoph. Ran. v. 24 pro: αὐτὸς βαδίζω καὶ πονῶ, τοῦτον δ' ὀχῶ, ἵνα μὴ ταλαιπωροῖτο μηδ' ἄχθος φέροι; rescripsit contra omnes codices: ταλαιπωρῇ τε μηδ' ἄχθος φέρῃ. Apud Demosthenem autem Olynth. III p. 38 in. vulgatam lectionem: οὐκοῦν σὺ μισθοφορὰν λέγεις; φήσει τις. Καὶ παραχρῆμά γε τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἁπάντων — ἵνα τῶν κοινῶν ἕκαστος τὸ μέρος λαβὼν — χρήσιμον ἑαυτὸν παρέχοι. soloecam Schaeferus pronuntiat propter optativum. Sed Aristophanis quidem locum scite defendit Reisigius Conjectan. p. 212 et ad Oed. Colon. p. 169: *quum irritum Dionysus consilium suum videat, non posse jam illud nisi ita pronuntiari, ut prior consilii cogitatio significetur; qua in re necessarium esse optativum quippe qui vel alius perso-*

nae vel alius temporis consilium indicet. Atque Reisigii rationem etiam ad Demosthenis locum tuendum valere arbitror. Nam sicuti in illo Anthologiae carmine, quod ibidem a viro doctissimo tractatur, Pan interrogatus, *τίπτε — τῷδε κρέκεις δόνακι;* respondet per optativum: *ὄφρα μοι ἐρσήεντα κατ᾽ οὔρεα ταῦτα νέμοιντο πόρτιες,* non *κρέκω* cogitans, sed *ἔκρεκον*, ita Demosthenes quoque non tam *λέγω* quam *ἔλεγον* cogitare putandus est. Atque hinc fieri arbitror, ut in commemorandis legum praescriptionibus Demosthenes aliquoties optativo utatur post tempora praesentia, velut in Androt. p. 596, 19: *διὰ ταῦτα τοῦτον τὸν τρόπον ἔχει ὁ νόμος, ἵνα μηδὲ πεισθῆναι μηδ᾽ ἐξαπατηθῆναι γένοιτο ἐπὶ τῷ δήμῳ,* et in Timocrat. p. 745, 20: *οὗτος ὁ νόμος οὐκ ἐπὶ τοῖς κεκριμένοις κεῖται ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῖς ἀκρίτοις, ἵνα μὴ — χεῖρον ἀναγκάζοιντο ἀγωνίζεσθαι.* Nimirum indicatur consilium, quod illi olim, qui leges sanxerunt, secuti sint. At nostro tamen loco illa ratio adhiberi non potest: quippe qui ita agunt, ut orator exponit, hi neque alienum consilium sequuntur, sed suum, neque alius temporis, sed ejus ipsius, quo illa agunt. Et omnino in consiliis indicandis optativi usus latius patere videtur, quam Reisigius putavit. Nam quum meram rei cogitationem, non expectationem optativus significet, etiam in praesentibus consiliis recte usurpari poterit, ubi id ipsum, quod fieri aut caveri volumus, tanquam incertum ponimus, quod utrum expectandum sit nec ne, in incerto relinquimus. Ita qui testibus mentiendi facultatem praeclusam volunt, sintne re vera illi aliquando mentituri, nesciunt, sed ut, si forte velint, non possint tamen, provident. Atque haec ratio non multum, opinor, discrepat ab Hermanni sententia ad Sophocl. Electr. v. 57.

§. 22. *Βήσαζε μὲν ἰὼν εἰς τὸ ἐργαστήριον τὸ ἡμέτερον εἰς τὰ ἔργα.* Besa pagus fuit tribus Antiochidis in ea Atticae parte, quae auri metalla habebat, quae a Thorico, in orientali litore, usque ad Anaphlystum in occidentali pertinebat. cf. Boeckh. de metall. Lauriot. in Comment. Acad. Boruss. 1814 et 1815. p. 89 et

Müller. in Encyclopaed. VI p. 218. In reliquis explicandis et a Reiskio erratum video et a Platnero, quorum ille in ind. graec. p. 556 εἰς τὰ ἔργα, ait, est: *ad spectandum operas vel opera, sive sunt rustica sive metallica*, Platnerus autem de jud. et act. II p. 294 ἐργαστήριον officinam dicit, quae qualis fuerit, sciri non posse, τὰ ἔργα autem opera ab opificibus ibi confecta. Sed nimirum quum Besa nominetur, hoc ipsum de argentifodinis potissimum cogitare nos jubet, neque de reliqua explicatione dubitare sinit geminus locus apud Demosthenem in Pantaen. p. 967, ubi de metallis eadem sunt verba: ἐδανείσαμεν πέντε καὶ ἑκατὸν μνᾶς — Πανταινέτῳ τούτῳ ἐπ' ἐργαστηρίῳ ἐν τοῖς ἔργοις ἐν Μαρωνείᾳ. Apparet τὰ ἔργα universe vocari omnia illius tractus metalla, ἐργαστήρια autem esse singulas eorum partes, quae a privatis possidebantur.

περὶ τῆς ἐξαγωγῆς. Scilicet Xenocles in metallum illud, utpote a Pyrrho relictum, ἐμβάτευσιν uxoris suae nomine facere instituit, in qua quum fore praevideret ut a possessoribus, Endii matre ac fratre, per ἐξαγωγὴν impediretur, amicos secum adduxit, qui hujus ἐξαγωγῆς testes fierent. Vid. de ord. jud. p. 459. 460. Cf. infr. ad §. 62.

ὃς ἔλεγε τὴν δίκην ὑπὲρ τούτου. H. e. *qui hujus, Xenoclis, in priore ψευδομαρτυριῶν actione patronus* (συνήγορος) *fuit*. Cf. or. in Neaer. p. 1348, 13: καὶ ἔλεγε τὴν δίκην Στέφανος οὑτοσί, ubi Taylorum et Reiskium haec loquutio ita offendit, ut corrigendum esse locum putarent, et Schaefero quoque insolens phrasis visa est. Apponam igitur alia quaedam exempla. Isae. de Aristarch. her. §. 1: ἐγὼ δὲ μὴ ὅτι ὑπὲρ ἄλλου ἀλλ' οὐδὲ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ πώποτε δίκην ἰδίαν εἴρηκα. Dinarch. in Demosth. p. 74: ἀντὶ μὲν λογογράφου καὶ μισθοῦ τὰς δίκας λέγοντος ὑπὲρ Κτησίππου καὶ Φορμίωνος κτλ. Isocr. de permut. p. 14 Orell.: ἵνα δίκας μανθάνῃ λέγειν. His accedat Theogn. v. 696:

Οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι,
Οὔτε δίκην εἰπεῖν· οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Denique Homerus quoque habet hanc loquutionem loco a nonnullis perperam accepto Iliad. XVIII, 507:

Κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα,
Τῷ δόμεν ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.

Neque enim de judicis praemio, qui rectissime sententiam pronuntiasset, sed de quadam quasi sponsione s. *παρακαταβολῇ* cogitandum est, quae cedat ei, qui causam suam apud judices rectissime egisse, h. e. qui justam causam habere visus fuerit.

σταδίους εὐθὺς τριακοσίους. Quod Reiskius *εὐθὺς* significare ait *planissime* vel, ut vulgo usurpant, *plene, rotunde, exacte, praecise; volle* 300 *Stadien:* hunc usum hujus adverbii neque novi neque probari posse credo. Rescribendum censeo *ἐγγὺς, propemodum.* Lys. in Andoc. p. 222: *ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν.*

§. 23. *τῆς τήθης τῶν παίδων τῶν ἑαυτοῦ.* Scilicet Nicodemi soror, quae Pyrrho nupsisse dicebatur, avia erat liberorum a Xenocle e Phile, illius filia, procreatorum. *Τήθη*, non *τηθή* avia dicitur, ut mutandus utique fuerit accentus, quem libri offerunt. Ceterum de hac voce, pro qua sequior graecitas *μάμμην* dicit, vid. Brunck. ad Aristoph. Acharn. v. 49. Lobeck. ad Phrynich. p. 134.

ἐν τῷ ἄστει. Multa ad hunc locum a Reiskio disputantur, quae refutare vix opus sit. Absurditatem enim quaerit, ubi nulla est. Non enim hoc absurdum fuit, quod in ipsa urbe *ἐκμαρτυρίαν* exceperunt a Pyretide, qui aut propter valetudinem aut quia peregre profecturus esset, adesse in judicio ad testimonium dicendum ipse non posset — quid enim aliud facerent? et neque aegrotasse eum neque profecturum fuisse, unde tandem Reiskius rescivit? — sed hoc potius absurdum, quod quum in *ἐμβατεύσει* illa, re multo minoris momenti, tam multos testes magna cum molestia trecenta fere ab urbe stadia secum eduxissent, in *ἐκμαρτυρίᾳ*, negotio longe graviori, cui quam plurimi quamque probatissimi testes et debebant adhiberi et propter loci pro-

pinquitatem, in ipsa urbe, adhiberi facillime poterant, duos tantum eosque non admodum, ut videtur, probatos homines sibi advocaverant. — Quod paullo infra sequitur: ἐν τῷ ἄστει αὐτοῦ, cur Reisk. offenderit, ut αὐτὸν reponeret, non satis perspicio. Nam neque illud mirum videri potuit, quod, quum antea τὴν ἐκμαρτυρίαν ποιήσασθαι unus Xenocles dictus sit, nunc οὗτοι, h. e. Xenocles una cum Nicodemo id fecisse dicuntur, (atque fit hoc item §. 24.) neque vero αὐτοῦ adverbium post ἐν τῷ ἄστει non sine vi additum tam docto tamque acuto viro displicere potuit. Multa ejusmodi exempla, qui requiret, congesta inveniet a Valckenario ad Herodot. IV, 135 et a Schaefero ad Longum p. 371.

§. 24. ᾧγε περὶ αὐτοῦ τούτου ὁ ἀγὼν ἦν. Reiskii conjecturam ᾧγε, etiam a Bekkero receptam, praeferendam duxi Stephanianae ὅτε, quippe quum ᾧγε ad librorum lectionem ὥστε propius accedat et depravari facilius potuerit. Quamquam offendat fortasse aliquem, quod in iis quae proxime praecesserant nullum est verbum, quo illud ᾧγε grammatice referri possit. Plurali enim numero orator usus est: τὴν ἐκμαρτυρίαν φασὶ ποιήσασθαι οὗτοι: *adversarii se testimonium excepisse contendunt*, in quibus etsi est is ipse Xenocles, qui nunc relativo pronomine designatur, tamen solus hic et a ceteris discretus non nisi in remotiore periodo indicatus est. Sed talem sibi libertatem in referendo pronomine ad enunciationem remotiorem non raro Graeci indulgent. Demosth. in Aristogit. p. 631, 16: πῶς οὖν ἄν τις μᾶλλον ἐλεγχθείη παράνομα εἰρηκώς; ἢ πῶς δεινότερ' ἂν γράφων, ἢ τοῦτον τὸν τρόπον; ὃς — ἔλαβες. Nihil hic est in proxima enuntiatione, quo pronomen relativum pertineat; sed pertinet ad σύ in enuntiatione remotiore, quod quum Reiskio durius videretur, inseruit hoc σύ etiam ante τοῦτον τὸν τρόπον, unde rectissime a Bekkero rursus expulsum est, probante Schaefero App. crit. IV p. 37. Cf. Thucyd. I, 140 ad fin.: τὸ γὰρ βραχύ τι τοῦτο πᾶσαν ὑμῶν ἔχει τὴν βεβαίωσιν καὶ πεῖραν τῆς γνώμης, οἷς εἰ ξυγχωρήσετε, καὶ ἄλλο τι μεῖζον εὐθὺς

ἐπιταχθήσετε. *Οἷς* refertur ad Peloponnesios in priore capitis parte designatos. Id. II, 44: *χαλεπὸν μὲν οὖν οἶδα πείθειν ὄν, ὧν καὶ πολλάκις ἕξετε ὑπομνήματα.* Pronomine designantur milites illi defuncti, de quibus ante hanc periodum dixit. Id. IV, 26: *ἀθυμίαν τε πλείστην ὁ χρόνος παρεῖχε παρὰ λόγον ἐπιγιγνόμενος, οὓς ᾤοντο ἡμερῶν ὀλίγων ἐκπολιορκήσειν.* Hic quoque qui designantur Peloponnesii longe ante nominati sunt. Id. VIII, 76: *βραχύ τέ τι εἶναι καὶ οὐδενὸς ἄξιον, ὃ πρὸς τὸ περιγενέσθαι τῶν πολεμίων ἡ πόλις σφίσι χρήσιμος ἦν, οἵ γε μήτε ἀργύριον ἔτι εἶχον πέμπειν* —, ubi *οἵ γε* refertur ad *τὴν πόλιν* h. e. *τοὺς ἐν τῇ πόλει.* — Quod autem nostro loco is ipse, qui pronomine designatus est, statim etiam nomine suo appellatur, *ὃν Ξενοκλῆς ἔφευγεν*, non mirum videbitur iis, qui meminerint, quam saepe Graeci propria nomina ponere soleant, ubi aut pronomen sufficiat ad designandum quem volunt, aut ne hoc quidem opus esse videatur. Thucyd. V, 18: *ἢν δὲ Ἀθηναῖοι πείθωσι τὰς πόλεις, βουλομένας ταύτας ἐξέστω ξυμμάχους ποιεῖσθαι αὐτοὺς Ἀθηναίοις.* ib. c. 32: *ἐκέλευον οἱ Κορίνθιοι τοὺς Βοιωτοὺς — καὶ σφίσι ποιῆσαι (σπονδὰς) ὥσπερ Βοιωτοὶ εἶχον.* ib. c. 36: *καὶ πειρᾶσθαι Βοιωτοὺς — αὖθις μετὰ Βοιωτῶν Ἀργείους Λακεδαιμονίοις ποιῆσαι ξυμμάχους.* Id. VI, 105: *ἐδῄωσαν τῆς γῆς* (scil. *οἱ Ἀθηναῖοι*, de quibus toto hoc capite narratum est.) *καὶ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἤδη εὐπροφάσιστον μᾶλλον τὴν αἰτίαν ἐς τοὺς Ἀθηναίους τοῦ ἀμύνεσθαι ἐποίησαν.* Conf. et Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 27 et 134.

ἢ ἐξ ἑταίρας ἢ ἐξ ἐγγυητῆς τὴν γυναῖκα εἶναι. Pro: *πότερον — ἡ γυνὴ εἴη*, quemadmodum §. 6 loquutus est. Infinitivum in simili structura habet etiam Euripid. Med. v. 230: *κἂν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος, ἢ κακὸν λαβεῖν ἢ χρηστόν* h. e. *πότερον λάβωμεν.* Herodot. IX, 60: *ἀγῶνος μεγίστου προκειμένου, ἐλευθέρην εἶναι ἢ δεδουλωμένην τὴν Ἑλλάδα.* Hom. Iliad. X, 147: *βουλὰς βουλεύειν ἢ φευγέμεν ἠὲ μάχεσθαι.*

§. 25. *ὡς ἔγωγε ᾤμην.* Imperfectum quodammodo pro praesenti positum videri possit. Sed inest tamen in

imperfecto significatio quaedam, rem ipsam aliter evenisse, quam putares. Lysias in Eratosth. p. 407: ἐγὼ τοίνυν, ὦ ἄνδρες, ἠξίουν ἱκανὰ εἶναι τὰ κατηγορημένα, ubi optime Reiskius: „sequi debebat," inquit, „aliquid huic respondens —— ἀλλ' οὐκ ἐᾷ με ἐνταῦθα παύσασθαι. Fatebor equidem expressis verbis haec non legi; verum insequentia idem indicant quoad sententiam." Cf. etiam exempla ad or. de Menecl. her. §. 1 indicata; neque illud ἐβουλόμην diversi generis est, de quo vid. ad or. de Aristarch. her. §. 1. — Quae sequuntur structuram habent paullo inconcinniorem. Nam quum alterum participium παρακαλέσας applicetur verbis ἐγγυῆσαί φησι, alterum ἐκμαρτυρησάμενος e protasi verbum φαίνεται repeti postulat.

πρὸς τοὺς ἐπιτυχόντας δύο ἐκμαρτυρήσαμενος τὴν μαρτυρίαν. Ἐκμαρτυρεῖσθαι τὴν μ. apparet idem esse atque ποιεῖσθαι τὴν ἐκμαρτυρίαν. Cf. de ord. jud. p. 670. Πρὸς autem praepositio verti quidem commode potest *coram*, re tamen vera hoc significat, ad istos duos homines conversum Xenoclem Pyretidis testimonium excepisse, ita ut hos audire et animadvertere juberet ac fortasse ipsas quoque tabulas, quibus inscriptum erat testimonium, servandas iis traderet. Ita non diversum hunc praepositionis usum apparet ab illo frequentissimo κατηγορεῖν τινος πρός τινα, ἀγωνίζεσθαι πρὸς τοὺς δικαστάς et similia, quemadmodum legimus de Hagn. her. §. 19: ἀντιδικῆσαι τῷ παιδὶ — πρὸς ὑμᾶς, h. e. apud vos judices, et Lys. in Euandr. p. 799: ἔστι δὲ τούτοις μὲν πρὸς ὑμᾶς ἀγών, ὑμῖν δὲ πρὸς ἅπασαν τὴν πόλιν, ubi apparet πρὸς non esse *adversus*, neque recte a Reiskio verti: *his vobiscum certamen est, vobis cum universa civitate;* sed hic potius est sensus: *his vos judices sedetis, apud quos certent, vobis autem universi cives pro judicibus sunt.*

§. 28. περὶ ἐκείνου θαυμάζω. H. e. ἐκεῖνο θαυμάζω. Sed ut θαυμάζειν περί τινος, neque id raro, dicitur etiam nullo adjuncto accusativo εἰδέναι περί τινος, de Ciron. her. §. 4. Lys. in Alcib. p. 535. Demosth. in Macart. p. 1054, 5. γιγνώσκειν περί τινος, nostr. orat. §. 40.

δηλοῦν περί τινος, Demosth. in Spud. p. 1028, 16. *ἐπιδεικνύναι περί τινος*, Isae. de Philoct. her. §. 65. *ἐξετάζειν περί τινος*, de Nicostr. her. §. 2 et 11. *ἀποδέχεσθαι περί τινος*, Lys. in Agorat. p. 507. *διδάσκειν*, *μανθάνειν περί τινος* aliaque similia multa.

μήθ' ὁ διδοὺς μηθ' ὁ λαμβάνων διωμολογήσαντο ἔξειν. De plurali post *μήτε—μήτε* vid. Matth. ad Eurip. Hecub. v. 84. *Διομολογεῖσθαι* autem de paciscentibus dicitur, sive quis pollicetur aliquid alteri, sive quid sibi pollicendum aut profitendum curat, quemadmodum paullo post: *κἂν ἀργύριον διωμολογήσατο ἔχειν αὐτόν*, *Nicodemus professionem dotis acceptae sibi dari curasset á Pyrrho, licet re vera nullam hic accepisset.* In universum conf. de Ciron. her. §. 23. 24. de Astyph. her. §. 24. de Hagn. her. §. 20.

εἰ δι' ἐπιθυμίαν τὴν ἐγγύην ὁ θεῖος — ἐποιεῖτο. Post *ἐγγύην* Reiskio videtur *ἄπροικον* deesse; mihi non item. Res enim ipsa satis docet, quomodo haec intelligenda sint: scilicet qui propter amorem matrimonium contrahit, is dotem nihil curat.

ἀπαλλάττεσθαι ὁπότε βούλοιτο. Quippe quum nulla dotis reddendae necessitas eum a divortio revocare posset. Cf. infr. §. 36. et Platner. de jud. et act. II p. 271 sq.

§. 29. *τὸν ἐγγυῶντα παρακαλεῖν.* Debebat scribi: *ὁ ἐγγυῶν* (*ἂν*) *παρεκάλει*, ut concinna evaderet constructio, quae nunc variatur: *δῆλον ὅτι κἂν — διωμολογήσατο*, —— *καὶ παρακαλεῖν.* Sed hujusmodi exempla non rara esse norunt omnes. Neque *ἂν* infinitivo addi necesse est, quandoquidem etiam imperfectum *παρεκάλει* sine *ἂν* dici potuisset, qua de re post Reisigium de *ἂν* particula p. 137 sq. disputare nihil attinet.

μετὰ ἑνὸς μάρτυρος. Quippe Nicodemus unum tantum Pyretidem testem a se adductum esse dixerat §. 26; tres reliqui a Pyrrho adhibiti perhibebantur.

§. 30. *ἐν τῇ δεκάτῃ. Die nominali.* Decimo enim die, nonnunquam tamen etiam septimo, nomina infantibus imponi solebant. Cf. Demosth. in Boeot. p. 1000. et

1016. 1017. Harpocr. in ἑβδομευομένου. Suid. in δεκάτη. Lex. rhetor. p. 237, 26. Add. Intt. ad Aristoph. Avv. v. 494 et 922, Petit. LL. AA. p. 220, et qui nuper accuratissime hanc rem tractavit Böttiger. Amalth. I p. 55 sqq.

τῆς θυγατρὸς ἀποφανθείσης εἶναι: *Ejus quae filia esse perhibebatur.* Hoc quo pertineat dixi ad §. 15. Cf. et §. 34. 73. 79, et de constructione c. infin. vid. Reiz. ad Viger. p. 751.

οὐδ' ὁ θεῖος αὐτός. *Ne ipse quidem avunculus*, cujus tantopere interesse debebat, legitimam videri sororis suae filiam, pro qua testimonium dicturus erat. Neque igitur opus est αὐτὸς cum R. in αὐτῆς, neque in αὐτῷ cum cod. Vrat. mutari.

§. 32. τίνος ἕνεκα; ἢ — ἵνα ἄκληρον καταστήσειεν. *Quam ob rem? Nempe ut etiam nominis a patre impositi hereditatem ei eriperet?* Ita enim saepenumero ad nostram ipsi interrogationem respondemus quodammodo, nova interrogatione per ἢ addita, quum significamus, vix opus fuisse illud interrogari, siquidem, quid responderi possit, sciamus ipsi. Hoc est enim, quod Heindorfius ait ad Platon. Parmenid. p. 221: praecedentem interrogationem retractari quodammodo ac corrigi. Atque fit hoc nonnunquam cum acerba quadam ironia, quum, quod responderi posse significamus, absurdum est et ejus, quem interrogamus, causae adversatur, veluti apud Lucianum Dial. Deor. XIII. Aesculapio, locum sibi supra Herculem deberi contendenti, Hercules respondet: *Κατὰ τί, ὦ ἐμβρόντητε; ἢ διότι σε ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσεν;* Eandem autem nostri loci rationem esse quilibet intelligit. Ceterum de toto hoc interrogationum genere, in quo saepissime etiam illud ἢ δῆλον ὅτι usurpatur, cf. praeter Heind. l. l. etiam idem Hd. et Ast. ad Platon. Phaedr. p. 188 et 218. Ast. ad Legg. p. 340. Vid. etiam infr. §. 41. — ἄκληρον καταστήσειεν εἶναι, ut ποιήσειεν εἶναι, de quo vid. Matth. Gramm. p. 768. cf. Herod. V, 25: καταστήσας τὸν ἀδελφεὸν ὕπαρχον εἶναι. ib. extr.: ἀπέδεξε δικαστὴν εἶναι. c. 99: στρατηγοὺς ἄλλους

ἀπέδειξε — εἶναι. c. 94: κατέστησε τύραννον εἶναι. VII, 154: ἀπεδέχθη εἶναι ἵππαρχος.

§. 33. πολλῷ πλέον τῆς λήξεως — σύγκειται αὐτοῖς. Quae hoc loco sententia requiratur manifestum est. In petitione hereditatis Xenocles uxorem suam Philen dixerat; postea autem in ψευδομαρτυριῶν judicio Lysimenes ejusque fratres Clitaretam eam a patre appellatam professi erant. Id confictum esse orator demonstrat, et quidem post institutam hereditatis petitionem; alioquin Xenocles etiam in libello non Philen eam sed Clitaretam vocasset. Itaque si sufficeret loco sanando id reponere, quod sensus requirit, πολλῷ ὕστερον scribendum esse cum Reiskio contenderem. Nam quod Bernhardyus Syntax. p. 138 πολλῷ τῆς λήξεως interpretari videtur *multo post λῆξιν tempore*, vereor ut probari possit. Et quid fiet comparativo πλέον? quem Reiskius loco suo motum et infr. §. 36 verbis τί γὰρ ἔμελλεν εἶναι inserendum putavit, ubi nunc quidem ex optimis duobus codicibus ὄφελος insertum est. Corruptum igitur locum nostrum esse manifestum est; ὕστερον a librariis in πλέον depravatum esse vix credibile videtur, ut etiamsi illud reponas, nondum tamen persanatum vulnus haberi possit. — Σύγκειται idem esse ac πέπλασται vix opus est monere. Cf. Lys. adv. Simon. p. 149. in Eratosth. p. 416.

§. 34. οἱ δ' οἰκειότατοι — — — — τῆς αὐτοῦ. Haec et durius constructa, neque satis considerate dicta videntur. Quamquam enim ᾔδει singulari numero, quum plures ante dicti sint, neminem jure offendat (cf. ad or. de Hagn. her. §. 10.), hoc tamen durum, quod τῆς αὐτοῦ additur, pronomine non, ut par erat, ad proximum verbi subjectum, ad matrem, sed ad patrem, omnium remotissimum, relato. Ipsum autem patrem injuria hic commemorari censeo. Hic enim ante annos amplius viginti decesserat, Phile autem octo fere ante hanc litem annis nupserat, duodecimo igitur post illius obitum anno, quamobrem Xenocles a patre quidem uxoris suae nomen resciscere nullo modo potuit, neque

ulla proinde probabilis causa est, ut patri quoque filiae nomen ignotum fuisse videri dicatur. Sed talia non pauca sunt apud oratores, auditoribus scripta, qui ad amussim omnia examinare neque velint neque possint. Ceterum ὥς φασι ex optimis codd. restitui, quum horum auctoritate permotus, tum quod pluralis h. l. sua sponte praestare videbatur singulari, cui quid subjectum sit ambigas, Philene an mater an adversarius; nam de patre cogitare res ipsa vetat.

περὶ μὲν τούτων καὶ ὕστερον —. Non de *his rebus* — neque enim ad hanc de nomine quaestionem usquam posthac revertitur —, sed de *his hominibus* qui Clitaretam mulieri nomen impositum, seque die nominali affuisse omninoque legitimam esse Philen testati erant. Ad hos enim redarguendos redit infra §. 63.

§. 35. *ἐάν τίς τι ἀτίμητον δῷ.* H. e. *μὴ ἐν προικὶ τετιμημένον*, ut Demosthenes loquitur ctr. Euerg. p. 1156, 15. Quidquid non dotis nomine datum est, neque igitur aestimatum, ut *ἀποτίμημα* a marito constitueretur, reposci soluto matrimonio non potest. Vid. Bunsen. de jur. her. p. 43. Meier. de ord. jud. p. 417. Platner. II p. 163. Apparet autem *δοῦναι ἕνεκα τοῦ γάμου* longe aliud esse, quam *donare propter nuptias* apud ICtos Romanos.

§. 36. *γινομένης εἰς αὐτόν.* Frequentissima apud oratores loquutio *γίγνεσθαι εἴς τινα* v. *τινί*, *devenire ad aliquem, alicui ex jure deberi.* Cf. infr. §. 38. de Hagn. hered. §. 10. 13. 22. 49. Andocid. de myst. p. 58 extr.

§. 37. *ὀλιγώρως οὕτως.* Postpositum adjectivo vel adverbio suo *οὕτως* non raro legitur. Cf. or. de Aristarch. her. §. 18: *πολὺν οὕτως.* de Hagn. her. §. 23: *ἀντικρὺς οὑτωσί.* Demosth. in Mid. p. 536, 3: *θρασὺς οὕτω καὶ πλούσιος.* ib. p. 544, 8: *φανερῶς οὕτω.* p. 546 extr.: *ἁπλῶς οὕτως.* p. 556, 21: *ἀσελγὴς οὕτω καὶ βίαιος.* in Aphob. I p. 822, 26: *φανερῶς οὕτως.* Plura congessit Baehr. ad Plutarch. Philopoem. p. 48.

ξενίας φεύγων ὑπὸ ἑνὸς τῶν φρατόρων. Non phratriae jussu, ut opinor, sed privato accusatoris consilio. Nam

si universa phratria hanc accusationem suo nomine instituendam mandasset, hoc, utpote gravissimum, commemorare orator sane non praetermisisset. Aliter tamen statuere videtur Platnerus Symbol. ad I, A. p. 125. — *ὑπὸ ἑνὸς τῶν φρ.* pro *ὑπό τινος*. Frequentior tamen hic usus apud recentiores quam apud veteres scriptores. Exempla congesserunt Zeune ad Xenoph. Memm. III. 3, 12, Bergler. ad Alciphron. I, 3. Schaefer. ad Long. p. 399. — Loquutionem *παρὰ τέτταρας ψήφους μετέσχε τῆς πόλεως* tractavit Valckenarius ad Herodot. IX, 33, multique alii quos laudare nihil attinet, ac nuperrime Bernhardy Syntax. p. 258, ita tamen ut vim ejus non assequutus videatur. Conf. Schaef. Appar. crit. II p. 310 et Buttmann. ad Demosth. Mid. p. 181.

§. 39. *δοκεῖ ἂν ὑμῖν οὕτως ὀλιγώρως ἔχειν.* Eandem *ἂν* particulae collocationem vid. §. 43. 51 bis, de Ciron. her. §. 20. de Astyph. her. §. 31; quo pertineat monere supervacaneum est.

οἱ ἐπὶ παλλακίᾳ διδόντες τὰς ἑαυτῶν. Certissimam hanc et facillimam Bekkeri emendationem non dudum ab aliis inventam esse jure mireris, quum in vetere lectione oratio pariter ac res ipsa attentum lectorem offendere debeant. Singularem quidem numerum *ἐπὶ παλλακίδι*, pro quo Reiskius *ἐπὶ παλλακίσι* repositum malebat, facile defendas Elmsleji observatione ad Eurip. Med. v. 994 et 1077; sed *ἐπὶ παλλακίδι τι δοῦναι* pro *ἐπιδοῦναι παλλακίδι* prorsus est contra usum loquendi, et pellicibus aliquid dotis instar dari solitum credi nullo modo potest; ut taceam paullo post non *περὶ τῶν δοθησομένων* sed potius *περὶ τῶν ἀποδοθησομένων* scribendum fuisse.

μόνον τὸ κατὰ τοὺς νόμους κτλ. *Hoc unum egit, ut sororem suam rite ac legitime desponderet, dotis restitutionem aut alimenta sorori praebenda nihil curavit.* Quod sequitur: *ὃς ἐπ᾽ ὀλίγῳ ἀργυρίῳ — σφόδρα βούλεται πονηρὸς εἶναι*, significat Nicodemum testimonium suum non gratis dixisse, sed mercedem ei a Xenocle, si vicisset, promissam esse.

§. 41. *νόθην καθισταμένην*. H. e. *spuriam declarari*, ut §. 75: *ἐκ δὲ τοῦ μὴ εἰσαγαγεῖν τὴν μὲν νόθην καὶ ἄκληρον κατέστησε.* — De forma *ᾔδεις* cf. Lobeck. ad Phryn. p. 237.

ὁπότε γάρ τις ἐπεδικάζετο. Pronomen a Reiskio uncinis includitur ut supervacaneum et ab hoc loco alienum. Nam si *τις* retineatur, ut in generali sententia, non *ἐπεδικάζετο* sed *ἐπιδικάζεται* neque *καθίστη* sed *καθίστησι* requiri. Sed non meminit vir doctissimus, Graecos saepenumero, etiamsi de certa quadam ac finita persona cogitent, infinito tamen pronomine uti, idque tum praecipue, ubi ad ipsam rem nihil interest, hic an alius aliquid faciat vel fecerit, ut nostro loco. Nam sive Endius sive quis alius hereditatem sibi adjudicari postulabat, perinde Philen spuriam esse declarabat. Itaque uncinos Bekkerus recte amovit. Cf. Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 38.

§. 42. *οὔτε γὰρ διαθέσθαι οὔτε δοῦναι — ἔξεστι.* De hac lege vid. infr. §. 68: *μετὰ τῶν θυγατέρων ἔστι δοῦναι καὶ διαθέσθαι τὰ ἑαυτοῦ· ἄνευ δὲ τῶν γνησίων θυγατέρων οὐχ οἷόντε οὔτε ποιήσασθαι οὔτε δοῦναι οὐδενὶ οὐδὲν τῶν ἑαυτοῦ.* (Cf. Platner. Symbol. ad I. A. p. 137. Meier. de ord. jud. p. 468 et 439.) Vides autem hoc loco *ποιήσασθαι* et *δοῦναι* eodem modo discreta, quo *διαθέσθαι* et *δοῦναι* eo quem nunc in manibus habemus. Et videtur sane inter haec verba hoc discriminis esse, ut *διαθέσθαι* proprie is dicatur, qui aliquem heredem simul et filium instituit (cf. Bunsen. p. 55.), *δοῦναι* autem universe significet: alicui bona sua aut partem bonorum relinquere, sive is filius instituatur, sive non instituatur. Ita fit ut *διδόναι* modo oppositum sit *τῷ διαθέσθαι* et legatum v. donationem mortis causa significet, modo etiam de eo dicatur, qui proprie *διαθέσθαι* dicendus fuerit, ut de Astyph. her. §. 35: *ἀπέδειξα ὑμῖν ὡς οὐδενὶ ἐκεῖνος δέδωκε τὰ ἑαυτοῦ*, quum ante dictum esset §. 34: *υἱὸν εἰσποιηθῆναι καὶ ταῦτ' ἐκείνῳ διαθέσθαι.* cf. de Aristarch. her. §. 8. 9. 13. et alibi passim, sicuti etiam *δόσις* dicitur non de legato, sed

de eo quod filio adoptivo relictum est, ut in hac nostra oratione §. 60: *τὰ δοθέντα*. Sed etiam *διαθέσθαι* et substantivum *διαθήκη* haud raro improprie dicitur de omni testamento, etiamsi non filius aliquis institutus, sed legata tantum pecunia est, ut ap. Demosth. in Stephan. p. 1133. adv. Aphob. p. 857. Nostro autem loco propriam verborum vim tenendam, mentemque oratoris non aliam esse apparet, quam: non licere neque filium instituere neque legare pecuniam nisi cum filiabus h. e. ita ut qui filius instituatur quique legatum capiat, hi etiam filias defuncti in matrimonium ducant. Neque causam video cur hoc oratorem mentitum esse credamus. Nam etiam ab eo, qui filios haberet legitimos, legari aliis pecuniam per leges quidem non licere Demosthenes contendit in Stephan. p. 1133, eoque nomine Pasionis testamentum ab Apollodoro filio impugnatur. Quodsi qua afferuntur ejusmodi legatorum exempla, non eo haec valere possunt, ut per leges haec licita fuisse demonstrent, sed eo tantum, ut nonnunquam defunctorum voluntatem, etiamsi non propter leges, at propter pietatem heredum, ratam fuisse credamus. Sed de hac omni quaestione conferendi sunt Bunsen. de jur. her. §. 59. Platner. de jud. et act. II p. 324. Gans. de jur. her. I p. 389.

§. 43. *καὶ οὐκ ἂν διαμαρτυρῆσαι οὐκ ἐπίδικον — τὸν κλῆρον εἶναι.* Corruptam esse negationem ante *ἐπίδικον* manifestum est; lex enim et usus loquendi aut *διαμαρτυρεῖν μὴ εἶναι* dici postulat, aut *διαμαρτυρεῖν ὡς οὐκ ἔστι*, quod discrimen etiam ab Harpocratione servatur in *διαμαρτυρία: ἐξῆν τῷ βουλομένῳ διαμαρτυρῆσαι ὡς εἰσαγώγιμός ἐστιν ἡ δίκη ἢ οὐκ εἰσαγώγιμος.* et paullo post: *προσαγαγεῖν τινα μαρτυροῦντα μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην* —, neque ab oratoribus unquam negligitur. Cf. de Dicaeog. her. §. 16. de Philoct. hered. §. 4. ibid. §. 52. Demosth. ctr. Leoch. p. 1094, 4. Lys. in Pancleon. p. 736., eodemque modo *προβάλλεσθαι μάρτυρας ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἦν ἡ δίκη* ap. Isocr. ctr. Callim. cap. 5. sed *μάρτυρας προβάλλεσθαι μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον* ap. Isaeum de

Apollod. her. §. 3. Atque in ceteris quoque negandi formulis eandem apud probatos quidem scriptores rationem obtinere Schaeferus aliquoties inculcavit Apparat. crit. I p. 591. II p. 433 et 492. IV p. 164. Peccatum autem esse a librariis in his particulis quarum ipsi discrimen non perspicerent, neque mirum est et certis exemplis apparet. Vid. varr. lectt. ad or. de Dicaeog. her. §. 14 et Baehr. ad Plutarch. Flamin. c. 5 p. 90. Nostro autem loco post οὐ διαμαρτυρῆσαι scriptum fuisse videtur μὴ οὐκ ἐπίδικον εἶναι, quo facilius errari potuit.

§. 44. Νικόδημος. Ad hunc enim ut avunculum Philae hoc officium pertinebat, quandoquidem Xenocli haec illo tempore nondum nupserat, sed post duodecim demum annos, ut dictum est ad §. 33. Quodsi quis rationem ipse inire velit, conferat inter se §. 1. 2. 9. 31.

§. 45. Περὶ μὲν οὖν τῆς διαδικασίας. Imo ἐπιδικασίας, ut recte monuit Meierus de ord. jud. p. 465; et Reiskius quoque hoc reponendum suspicatus est. Est autem plane necessarium; nam neminem extitisse, qui Endio de capienda hereditate controversiam moveret — nullam proinde διαδικασίαν sed solam ac meram ἐπιδικασίαν fuisse — vel ex initio orationis manifestum est. — De sponsione Philae ab Endio facta vid. de ord. jud. p. 410. et Platner. Symbol. p. 117.

§. 46. καὶ οὐκ ἂν εἰσήγγειλας πρὸς τὸν ἄρχοντα. Vid. de ord. jud. p. 269 et 290.

§. 47. οὔτε γὰρ ἐπιτίμιον — ἔπεστιν. Significat notissimam illam mille drachmarum mulctam, quae in ceteris causis publicis exigebatur ab accusatore, qui non quintam saltem suffragiorum partem habuisset; qua de re cf. de ord. jud. p. 734. Ἐπιτίμιον generatim dicitur de quovis poenarum genere. Cf. ibid. p. 739. et Valcken. ad Ammon. h. v. Bergl. et Wagn. ad Alciphr. III, 32. De πρυτανείοις et παραστάσει vid. de ord. jud. p. 612 sqq. — Ceterum pro οὐδ' ἐὰν οὐδεμίαν τῶν ψήφων — μεταλάβωσιν utique rescribendum fuit μηδεμίαν. Soloece oratorem loquutum esse nemo

credet, neque excusari soloecismus potest tali ratione, qualem adhibuit Hermannus Opusc. I p. 315 huic Homerico: *μή σε, γέρον, οὐδ' αὐτὸν ἐνὶ κλισίῃσιν ἐάσω.*

ἔσχαται τιμωρίαι—ἔπεισιν. Nimirum ἀτίμητος hic ἀγὼν fuisse videtur, in quo possent ab accusatore etiam gravissimae poenae irrogari. Vid. de ord. jud. p. 292. Sed articulo carere hic locus vix posse videtur: non enim designantur *poenae quaedam gravissimae*, sed potius *genus poenarum gravissimum, gravissimae quaeque poenae.*

§. 48. *ἔπειτα — — — ἐγγυήσαντος αὐτήν.* Quod hic eadem quae modo dicta sunt verbis paene iisdem repetuntur, Reiskium et Bekkerum adeo offendit, ut uncinis totum hunc locum includerent, in quo haud scio utrum librariorum an ipsius oratoris vitium notare voluerint. Nam librarios quidem quid permovere potuerit, haec ut interponerent, nemo facile exputabit; oratori autem equidem hanc repetitionem si non laudi, certe non vitio vertendam esse existimo. Scilicet superiora illa Nicodemo dicta sunt; nunc ab hoc ad judices orationem convertit eosque alloquens interrogat quodammodo quid sentiant ipsi: convictusne adversarius videri debeat tali argumento, tam gravi tamque manifesto, quod quo magis erat ad convincendum adversarium idoneum, eo rectius etiam judicibus denuo ante oculos ponitur; dein subito ad Nicodemum revertitur eique instat interrogando: *ἢ — προσποιήσει; οὐδ' — ᾔσθου;* iterumque ab hoc ad judices: *εἶτ' ἐπὶ τούτοις οὐκ — εἰσήγγειλεν ἄν;* omnisque haec orationis conformatio mirifice exprimit vividiorem dicentis spiritum et acerrimum confutandi adversarii studium. — Atque etiam §. 39 repetita legimus, quae jam §. 37 dicta erant, neque cuiquam hoc offensioni fuit.

§. 49. *τρισχιλίας δραχμὰς προῖκα ἐπιδούς.* Indignum sane tam exiguam paternae hereditatis partem legitimae filiae ab adoptivo concessam. Sed tamen ipsum hoc *τρισχιλίας* Reiskius non temere in *χιλίας* mutandum censet propter §. 51: *μηδὲ τὸ δέκατον μέρος ἐπιδούς.* Nam trium talentorum, quot a Pyrrho relicta adversarii con-

tendebant, non decima sed sexta pars sunt ter mille drachmae; actor autem ne decimam quidem datam esse ait. Quodsi quis hoc oratorium putet, ne decimam quidem partem dici, ubi sexta dicenda fuit, hanc ego hyperbolam ineptam hoc loco existimo, quippe quae fallere neminem plane potuerit. Et quo magis Reiskio assentiar efficit etiam Harpocratio, qui haec habet: *Νοθεῖα τὰ τοῖς νόθοις ἐκ τῶν πατρῴων διδόμενα —. ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν.* Dederat igitur Endius, quantum plurimum spuriis dari moris erat. Quod autem Schol. ad Aristoph. Avv. v. 1663 quinque ad summum minas h. e. quingentas drachmas dari solitas ait: utri potius credendum sit, ambigi non potest.

§. 50. *ἀκριβῶς γὰρ ᾔδει διότι* —. Rarior hic hujus particulae usus apud oratores. Cf. Lys. pro Mantith. p. 574. Or. in Neaer. p. 1333 extr. et 1336, 3. Dinarch. in Dem. p. 4 extr. Isocr. Archid. c. 5. — Quod sequitur de hereditate avi materni a nepotibus capienda tractavit Bunsen. de jur. hered. p. 18. Gans. I p. 339. Platner. II p. 254.

§. 51. *μηδὲ — — τῶν πατρῴων.* Durior videri possit verborum transpositio; verum ars oratoris etiam hic agnosci debet. Nimirum post *ἐκδοῦναι* dicentis vox paullulum subsistit, dein reliqua cum majore indignationis vi pronuntiat.

§. 53. *ἀναγνώσεται — — πάλιν.* Nam supra jam idem hoc testimonium recitatum est §. 44. — Quas autem leges recitari jubent, sunt de jure *τῶν ἐπικλήρων.* Nicodemi autem testimonium illud ipsum est, cujus causa hic nunc accusatur.

§. 54. *πῶς οὖν τις σαφέστερον ἐξελέγχοι.* Librorum lectionem *ἐξελέγχει* a me spretam esse nemo mirabitur; sed erunt quibus aut *ἐξελέγξει*, quod Bekkerus suasit, reponendum, aut optativo *ἂν* particula adjungenda fuisse videatur. Et sunt sane loci huic nostro ad speciem simillimi, in quibus et ipse particulam plane necessariam atque etiam contra codicum auctoritatem inserendam esse censeam, veluti de Nicostr. hered. §. 19: *πῶς οὐκ [ἂν]*

ἀνοσιώτατος εἴη; et de Apollod. her. §. 36: *τίς [ἂν] ἀμφισβητήσειε;* Sed nostro tamen loco Aldi lectionem defendi posse statuo. Nimirum *πῶς ἄν τις ἐξελέγχοι* qui dicit, nihil aliud nisi negat, ullo modo fieri posse, ut certius adversarius convincatur; qui omissa particula solo optativo utitur, *ambigit et quaerit*, quid faciat aliquis, quo magis ille convincatur (*quid putas faciendum?*), id quod a nostro loco non alienum esse apparet. Illud est: *wie kann man — wie ist es möglich?* hoc autem: *wie soll man?* Multa de hoc optativi usu subtiliter disputata sunt a Reisigio de *ἂν* particula p. 132 sqq. quibus nihil addere opus est. — *ἐκ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς τούτοις* apparet esse *ὑπ' αὐτῶν τούτων.*

περὶ μὲν οὖν τούτου. H. e. de Nicodemo, cui opponitur *ὁ ἔχων τὴν ἀδελφιδῆν.* Transit enim ad novam argumentationis partem et sicut antea spuriam esse Philen ex iis demonstravit, quae Nicodemus egerat, ita nunc idem ex iis, quae a Xenocle facta erant, demonstrare aggreditur.

§. 55. *ἐπιδέδεικται καὶ μεμαρτύρηται.* Supra §. 53. *ὡς δ' ἀληθὴς ἡ μαρτυρία ἐστὶν —— ἀληθῆ ταῦτα μεμαρτύρηκε.* Uncinis a Reiskio et Bekkero inclusa sunt haec *ἀληθῆ ταῦτα*, quae me quidem non offendunt. Neque enim abhorret talis repetitio ab Isaei consuetudine. Cf. §. 19: *ὅταν ἐπὶ προδήλους πράξεις ἴωμεν —— τούτους παραλαμβάνειν εἰώθαμεν ἐπὶ τὰς πράξεις τὰς τοιαύτας.* De Aristarch. her. §. 22: *οἶμαι δεῖν κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας ἃς ἂν ἕκαστος διαθῆται περὶ τῶν ἑαυτοῦ, περὶ μέντοι τῶν ἀλλοτρίων οὐ κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας, ὥσπερ ἃς ἂν ἕκαστος περὶ τῶν αὑτοῦ διαθῆται.* Praeterea de constructione tenendum est, *ὡς ἀληθὴς ἡ μαρτυρία ἐστὶν αὕτη* non conjungenda esse cum verbo *μεμαρτύρηκε*, sed absolute dici: *quod attinet ad veritatem hujus testimonii;* qua de re dictum est ad or. de Cleonym. hered. §. 16.

§. 56. *ὡς δὴ οὐχ ὁμολογῶν πως ἐπεσκήπτετο* —. Enclitica *πως* verbis *οὐχ ὁμολογῶν* addita cum irrisione quadam et contemptu haec dici significat: *infitiatus est nescio*

quomodo, argumentis nescio quibus. Revocandam igitur Aldinam lectionem censui, ut quae commode explicari posse videretur. Quodsi quis πῶς scribendum et interrogationem hanc esse existimet: *quomodo accusavit testes, h. e. qui factum est, ut testes accusaret?* absurdissima erit sententia. Nam qui adoptionem factam esse negat, ab eo etiam testes accusari non mirum est; hoc potius mirum foret, si non accusasset. Atque fui ego aliquando in hac sententia, ut πῶς οὐκ ἐπεσκήπτετο scribendum putarem; quod si fieret, etiam §. 66 haec: εἰ ὁμολογοῦντες τὴν τοῦ Ἐνδίου ποίησιν ὑπὸ τοῦ Πύῤῥου γενέσθαι ἐπεσκημμένοι εἰσὶ τοῖς μεμαρτυρηκόσι ταῦτα, corrigi deberent, id quod neque fieri facile potest et, si posset, parum tamen probabiliter fieret; nunc autem meliore, ut spero, judicio utrumque locum sanum esse statuo.

§. 57. ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνό γε δῆλον. Universa loci sententia haec est: „*Negat adversarius adoptatum a Pyrrho Endium fuisse, testesque ejus rei falsi testimonii accusavit. Sed quo cognoscatis, testimoniis adoptionem probatam esse, ipsa vobis testimonia proponam.*“ Jam testimoniis propositis ita pergit: „*Atqui (non hoc solum constat, probatam esse testimoniis adoptionem, verum) illud quoque, quod dixi, negari eam ab adversario, ipsa illa hereditatis petitio, qua usus est, manifestum facit.*“ Malim tamen δῆλον in δηλοῖ mutari, ut κἀκεῖνο significet *hoc quod nunc dicturus sum,* pertineatque ad haec: οὐ γὰρ ἂν — ἠξίωσαν οὗτοι. Scilicet negari ab adversario Endii adoptionem jam ex eo patet, quod testes accusavit; sed nunc aliud etiam argumentum affertur, ex quo idem appareat.

ὡς οὐχ ὁμολογοῦσι τὴν τοῦ Ἐνδίου ποίησιν. Negationem Reiskius sententiae repugnare et aut plane delendam aut cum οὗτοι mutandam esse ratus cancellis circumdedit, quos Bekkerus quoque servavit; atque idem etiam Jonesii judicium fuisse conversio ejus demonstrat. Scilicet nesciverunt hi quid esset ὑπερβαίνειν τὸν τελευταῖον κληρονόμον, sed de eo dici putarunt, qui alterum, ut Reiskii verbis utar ad §. 1., hereditatem cernere atque

possidere patiatur neque obloquendo et protestando intercedat; quae si vera esset interpretatio, delendam negationem apparet. Nam quod Endium adversarii hereditatem sine controversia et capere et tam diu possidere passi erant, potuit sane actor hoc argumento non aliter uti, nisi ut demonstraret, justam ipsis hanc possessionem veramque proinde Endii adoptionem visam esse, quam nunc, secum ipsi scilicet pugnantes, negare conentur. At vero ὑπερβαίνειν τὸν τελευταῖον κληρονόμον is potius dicitur, qui hereditatem petit non tamquam a postremo possessore sed ab eo, cujus hic ipse heres fuit, relictam. (Vid. ad §. 1.) id quod Xenocles fecit, quum Pyrrhi non Endii hereditatem peteret. Et veram hanc esse interpretationem satis opinor ostendunt haec quae sequuntur: ὑπερβάντες τὸν τελευταῖον κληρονόμον — τοῦ Πύῤῥου [ἀλλ' οὐ τοῦ Ἐνδίου] κλήρου λαχεῖν τὴν λῆξιν ἠξίωσαν, coll. §. 1 et 67, et §. 58: προσῆκε — — τῶν τοῦ ἀδελφοῦ τὴν ἐπιδικασίαν ποιεῖσθαι [ἀλλὰ μὴ τῶν τοῦ πατρός.] Igitur argumentatio procedit hoc modo: *Non agnosci ab adversariis Endii adoptionem inde patet, quod hereditatem non ut fraternam Philae petunt, sed ut paternam. Nam si adoptatum esse Endium concederent, hereditatem quoque ab eo jure possessam negare non possent; proinde nunc eam non Pyrrhi, sed Endii hereditatem dici, ut a fratre, non ut a patre relictam mulieri peti oporteret.* Quae quum ita sint, vulgatam lectionem unice veram esse apparet.

§. 58. πέντε ἐτῶν — ἐπειδὰν τελευτήσῃ ὁ κληρονόμος. Hereditatis petitio contra ipsum heredem quoad viveret institui potuit, si quis sibi potius quam illi hereditatem deberi putaret; mortuo autem herede praescriptio erat quinque annorum, intra quos petere quis posset ab iis, ad quos illius bona pervenissent. Vid. de ord. jud. p. 636. Reiskii conjecturam κληροδότης pro κληρονόμος, qua admissa in diversam plane sententiam hic locus distorquetur, recte a Bunsenio repudiatam de j. h. p. 94, temere amplexus est Platnerus tom. II p. 327. Quaerendum erat enim ante omnia, quis unquam non modo

orator, sed Atticus scriptor κληροδότης dixerit; dein etiamsi non alienum esset hoc vocabulum ab Atticorum consuetudine, ab hoc certe loco alienum esse apparet. Nam quum κληροδότης non possit nisi eum significare, qui testamento alteri hereditatem reliquerit, aut statuendum erit Platnero, illam quinque annorum praescriptionem in eis tantum hereditatibus locum habuisse, quae ex testamento, non quae ab intestato delatae essent; id quod nolle virum doctissimum certo scio, aut fatendum non κληροδότης dicendum fuisse, sed ὁ καταλιπὼν τὸν κλῆρον vel οὗ ἦν ὁ κλῆρος, quemadmodum alias semper oratores loqui solent. Quod autem librorum lectionem κληρονόμος non aptam esse dicit hujus loci sententiae, parum se oratoris mentem perspexisse ostendit. Non enim is peti omnino Pyrrhi hereditatem tam longo post hujus mortem tempore per leges posse negat, sed ita potius argumentatur: Quum vivo Endio per annos amplius viginti nullam de hereditate controversiam moverint adversarii, quid erat, quod post ejus mortem tam subito hereditatis petitionem instituerent, quum praesertim tanta festinatione nihil opus esset, sed tantummodo intra quintum ab Endii morte annum petitionem institui leges juberent? Scilicet vivo Endio causam obtineri posse desperabant; post ejus mortem cupidissime statim hereditatem invadunt, faciliorem nunc victoriam fore sperantes; in quo sibi ipsi repugnant eo, quod nunc eum, cui dum viveret nullam controversiam movere ausi erant, tamen injuria hereditatem possedisse contendunt, bonaque non tamquam ab hoc sed tamquam a Pyrrho relicta sibi adjudicari postulant. Etenim si injuria ille possedit, cur tam diu possidere passi sunt? sin jure, qui licet nunc non fraternam hereditatem sorori sed paternam filiae peti? — Ceterum plura de ista, quam Platnerus confinxit, praescriptione quinquennii in *omni* hereditatis petitione dicentur in prooem. ad orat. de Aristarchi hereditate.

§. 59. Non hoc solum vitiosum est in adversariorum petitione, quod Pyrrhi, non Endii hereditatem pe-

tiverunt, sed illud etiam, quod ἐπιδικασίαν instituerunt, quum ἐμβατείᾳ potius utendum fuisset. Nam quum hereditas tamquam paterna petatur, consentaneum erat et legitimum, hanc per ἐμβατείαν occupari a filia; ἐπιδικασίαν autem in fraternis et cognatorum hereditatibus fieri par est. Conf. de ord. jud. p. 459 sqq. — Ceterum quod §. 62 adversarii ἐμβατείᾳ usi esse negantur, pugnat hoc quodammodo cum iis, quae supra §. 22 narrata sunt; verum conciliari haec inter se facillime possunt. Scilicet conati quidem erant, antequam ἐπιδικασίαν instituerent, ἐμβατείᾳ uti et partem aliquam bonorum a Pyrrho relictorum, metallum Besaeum, occupare coeperant, sed repulsi a possessoribus, Endii matre ac fratribus, non perstiterant in conatu et abjecto ἐμβατείας consilio ἐπιδικασίαν instituere maluerant.

ὅτῳ δὲ γόνῳ γεγόνασι γνήσιοι παῖδες, οὐδενὶ ἐπιδικάζεσθαι—προσήκει. Liberior verborum structura, quum protasis cum apodosi nullo constructionis vinculo conjuncta sit. Potuit quidem ita: *εἰ δέ τινι γόνῳ γεγόνασι γνήσιοι παῖδες, τούτων οὐδενὶ προσήκει κτλ.*; neque tamen ὅτῳ pro εἴ τινι dictum videri debet, sed absolutae potius orationis genus agnosci, quasi dicas: *quod attinet autem ad eum, qui legitimos liberos reliquit, horum neminem decet etc.* Eandem enunciationis conformationem habemus infr. §. 60: *ὅσοι καταλίπωσι γνησίους παῖδας —, οὐ προσήκει τοῖς παισὶν ἐπιδικάσασθαι.* Lycurg. in Leocrat. p. 142: *ὅσα μὲν γὰρ τῶν ἀδικημάτων νόμος τις διώρικε, ῥᾴδιον τούτῳ κανόνι χρωμένους κολάζειν τοὺς παρανομοῦντας.* Thucyd. I, 70: *καὶ ἃ μὲν ἂν ἐπινοήσαντες μὴ ἐπεξέλθωσιν, οἰκείων στέρεσθαι ἡγοῦνται.*

ἅπαντες γὰρ, ὑμεῖς καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται, ἀνεπίδικα ἔχουσι. Ita interpungi res ipsa jubere videbatur, ut ὑμεῖς καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται pro epexegesi sit adjectivi ἅπαντες, cui dein ἔχουσι recte accommodatum est. Quamquam etiam inconcinnioris illius structurae: ὑμεῖς καὶ οἱ ἄλλοι ἔχουσι, exempla non desunt. Thucyd. V cap. 100: *ὑμεῖς τε — καὶ οἱ δουλεύοντες — — ποιοῦνται.* Sed

tamen hujus loci paullo alia est ratio. Cf. et Matthiae Gramm. p. 598.

§. 60. ὅσοι μὲν καταλίπωσι. Pro ὅσοι μὲν ἂν καταλ. Vid. ad orat. de Menecl. her. §. 8.

§. 61. ἵνα οὖν μὴ παρὰ τοῦ ἐντυχόντος τῶν κλήρων αἱ λήξεις τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις γίγνωνται. Hujus loci et structura impeditior et sententia, meo quidem judicio, manifesto falsa est. Quid enim? eamne ob causam ἐπιδικασίαι instituendae erant, ut alii quicumque a petenda hereditate prohiberentur? Imo provocabantur potius omnes a praecone, si quis contendere vellet cum eo, qui primus hereditatem petivisset. Demosth. in Macart. p. 1051, 21: καὶ τοῦ κήρυκος κηρύττοντος, εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται. et neminem plane a petendis hereditatibus prohiberi posse Isaeus ipse testatur de Nicostr. her. §. 11: ἅπασι καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἁπάντων, καθ᾽ ὅ τι ἄν τις βούληται, ἀμφισβητεῖν ἔξεστι. itemque Demosth. in Olympiod. p. 1170, 7: οἱ γὰρ νόμοι κελεύουσι τὸν βουλόμενον ἀμφισβητεῖν. Conf. de ord. jud. p. 463. Itaque illud μὴ tolerari non posse, sed aut ejiciendum aut, quod equidem malim, cum καὶ commutandum esse apparet, ut opponatur ὁ ἐντυχὼν iis qui paullo ante dicti sunt τοῖς κατὰ γένος προσήκουσιν. Jam vero τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις non potest dictum esse pro: πρὸς τοὺς ἀμφισβητεῖν βουλομένους. Ita enim non alios hoc loco designatos haberemus, nisi illos, de quibus haec omnia dicuntur, filios adoptivos, qui ἐπιδικασίαν instituant. Hos vero non recte ita opponi τῷ ἐντυχόντι, a quo λῆξις instituatur, satis apparet, quum hic et ipse non minus sit ἀμφισβητεῖν βουλόμενος. Praeterea nusquam alias λῆξίν τινι γενέσθαι dicunt de actione adversus aliquem instituta, sed aut de actione ab aliquo vel in alicujus commodum instituta, aut de ea, cujus alicui facultas data est. Atque hunc etiam nostro loco sensum agnoscendum esse censeo: *ut a quolibet* [*etiam extraneo*] *instituendae actionis* [λήξεως] *facultas fiat omnibus, quicumque contendere velint*, quamquam habet hoc haud dubie aliquid duri, quod post παρὰ τοῦ ἐντυχόντος

dativus ille pluralis adjungitur, quum facilior haec foret constructio: *ἵνα οὖν καὶ τοῖς ἐντυχοῦσι — τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις —*, aut: *καὶ παρὰ τοῦ ἐντυχόντος — τοῦ ἀμφισβ. βουλομένου.* Ceterum Platnerus in Symbol. ad I. A. p. 136 haec verba *τοῖς ἀμφισβ. βουλομένοις* uncinis inclusit; Reiskius et Ionesius quid de structura loci statuerint, non satis apparet.

καὶ μὴ ὡς ἐρήμων τῶν κλήρων ἐπιδικάζεσθαί τινες τολμῶσι. Ἔρημοι κλῆροι dubitari non potest quin eodem sensu dicantur, quo *οἶκοι ἔρημοι*, *quum nullus neque naturalis neque adoptivus filius relictus sit.* Igitur *ἐπιδικασίαν* ab adoptivis instituendam ait non solum propterea, ut cuilibet contra se experiendi facultas fiat, sed etiam ne forte ipsi, omissa *ἐπιδικασίᾳ*, repudiare hereditatem videantur eamque, utpote vacuam, alii sibi adjudicandam curent.

οἱ εἰσποίητοι πάντες. Conf. tamen Meier. de ord. jud. p. 462. et not. ad or. de Astyph. her. §. 3.

§. 62. *ἐξῆγεν ἂν ἐκ τῶν πατρῴων.* Scil. *τὴν γυναῖκα ὁ βιαζόμενος*, ut recte monuit Meierus l. l. p. 460.

εἰσαγγελθεὶς εἰς τὸν ἄρχοντα. Reiskius *ὡς* aut *πρὸς τὸν ἄρχ.* reponi jubet. Sed vid. ad orat. de Apollod. her. §. 15.

περὶ τοῦ σώματος. Conf. de Hagn. her. §. 35. Quippe aut ipsa *ἀτιμία* irrogari poterat, aut multa tam grandis, cui solvendae imparem reum aerarii debitorem ac proinde *ἄτιμον* fieri oporteret. Nam *περὶ τοῦ σώματος* idem est h. l. atque *περὶ τῆς ἐπιτιμίας.* Vid. de comitt. Ath. p. 75. 76 et Meier. de bon. damn. p. 143.

§. 64. *ἦ δεινόν γ' ἂν εἴη τὰς μὲν — — ὁ νόμος κελεύει —.* Variis modis legitima structura interrupta et mutata est. Primum post *δεινὸν ἂν εἴη* expectabamus aut *εἰ — ὁ νόμος κελεύει* aut *τὸν νόμον κελεύειν.* Sed similem nostri loci structuram habet etiam Lys. in Andoc. p. 212: *δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι· ἂν μέν τις ἀνδρὸς σῶμα τρώσῃ — φεύξεται τὴν τοῦ ἀδικηθέντος πόλιν· ἐὰν δέ τις ἀδικήσῃ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν — οὐ τιμωρήσεσθε; —*

Dein quum interrupta sit orationis series interrogatione interposita: περὶ ὧν τίς — — ἂν βουλεύσαιτο; redintegratur, ut fieri solet post parentheta, repetenda notione ante parenthesin designata: καὶ τὰς οὕτω δοθείσας, quae verba Reiskium adeo offenderunt, ut mutari jubeat in καὶ τὰς οὔπω ἐκδοθείσας, quo filiabus jam a patre collocatis adjungantur nunc eae, quae nondum, patris morte, elocatae sint. At vero nihil est hac mutatione magis vel supervacaneum vel a loci sententia alienum, quippe cujus omnis vis in eo sit, ut etiam contra patrum voluntatem cognationis jura valere ostendat; neque δοθείσας pro ἐκδοθείσας offendere Reiskium debuit (vid. ad §. 10.) nec denique καὶ particula, quam intensivam h. l., non copulativam esse apparet. — Jam vero iterum universa sententia verbis paullulum immutatis repetitur §. 65: εἶτα — — προσήκει, atque nunc demum sequitur antapodosis, et quidem per figuram interrogationis, ut in Lysiae loco paullo ante adscripto. Cf. id. in Eratosth. p. 407: οὐκοῦν δεινὸν, εἰ τοὺς μὲν στρατηγοὺς — — θανάτῳ ἐζημιώσατε —, τούτους δὲ δὴ — οὐκ ἄρα χρὴ αὐτοὺς — ταῖς ἐσχάταις ζημίαις κολάζεσθαι; — Ceterum etiam nuptas mulieres, si ἐπίκληροι relictae essent, maritis per cognatorum ἐπιδικασίαν eripi potuisse ostendit etiam or. de Aristarch. hered. §. 19.

§. 65. τοσαύτης οὐσίας τοῦτον καταστῆναι κληρονόμον ἀνθ' ἑαυτῶν. Apparet ex his verbis, si qua ἐπίκληρος patruo majori aut avunculo majori nuberet, etiam hereditatem ad hos, non ad alios cognatos pervenisse; idem igitur etiam si patris aut matris fratri nuberet factum esse statuendum erit, id quod temere negavit Gans. de jur. her. I. p. 378.

§. 66. ἐὰν οὖν προφασίζωνται κτλ. Argumentatur orator hoc modo: Pugnant ipsi secum adversarii h. e. Pyrrhi avunculi, siquidem propter Endii adoptionem ab ἐπιδικασίᾳ mulieris se prohibitos esse causantur, quasi vere illum a Pyrrho adoptatum fuisse concedant, quum tamen hanc ipsam adoptionem factam esse negent propterea que et testes, qui se adfuisse, quum adoptaretur,

professi erant, in jus vocaverint et hereditatem non Endii sed Pyrrhi petiverint. Atqui non ab avunculis, sed a Xenocle et testes accusati erant et hereditas petita. Verum eadem nunc est utrorumque causa, et callide orator iis, quae ab uno facta erant, etiam ad reliquos coarguendos utitur.

§. 68. ὁ γὰρ νόμος κτλ. Cf. supra §. 42.

§. 69. ἄλλως τε εἰ καὶ —. Cf. Demosth. ctr. Spud. p. 1033, 7. et Schaeferi ad hunc locum annotationem App. crit. V p. 56.

§. 70. ἀλλ' ὦ 'γαθέ. Cf. Bernhard. Syntax. p. 72.

τοῦτο μὲν καὶ λαθεῖν —. H. e. τὴν τοῦ Ἐνδίου ἐπιδικασίαν. Cf. supra §. 45.

§. 71. τουτὶ γὰρ τὸ δεινόν ἐστι. *Hoc est illud, quod vere* δεινὸν *dici debeat.* Noli igitur superlativum reponere.

§. 73. εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγαγόντι. Vid. Platner. Symbol. p. 113. — καὶ ἐπισκῆψαι — — εἰσαγαγεῖν υἱὸν ἑαυτῷ. Mandare potuit, ut e nepotibus, si qui ex filia nascerentur (τῶν γιγνομένων est εἴ τινες γίγνοιντο), unus aliquis sibi institueretur filii loco, ne οἶκος suus interiret. Εἰσαγαγεῖν scil. εἰς τοὺς φράτορας: alias dicitur εἰσποιεῖν τινι υἱόν. Atque solebant hoc religiosi heredes etiam sua sponte facere, ut de liberis suis aliquem defuncto filium darent et domum ejus interire non paterentur. Vid. de Apollod. her. §. 31. Demosth. in Macart. p. 1077, 7 sqq.

§. 76. οὔτε γαμηλίαν εἰσήνεγκεν. Scil. ὑπὲρ τῆς Νικοδήμου ἀδελφῆς. Cf. §. 79. Erat enim hoc mariti officium, ut novam nuptam in phratriam, cujus et ipsa jam particeps futura erat, induceret, sacrificio simul oblato et phratoribus epulo exceptis. Atque haec erat γαμηλία, quam proinde Didymus ap. Harpocr. h. v. explicat: τὴν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγωγὴν τῶν γυναικῶν, Pollux III, 42: θυσίαν ἐν τοῖς φράτερσι, Hesych. I p. 798: δεῖπνον ὃ τοῖς φράτερσιν ἐποίει ὁ γαμῶν. Plura vid. ap. Taylorum praef. ad Demosth. or. in Eubul. in Schaef. App. crit. V p. 431 et Platner. Symbol. p. 153.

ἀναγνώσεται δὲ ὑμῖν —. Nihil hic esse apparet, cui *δὲ* conjunctio opponatur, quamobrem Reiskius ante haec verba excidisse putat *αὐτοὶ* (sc. *οἱ φράτορες*) *μεμαρτυρήκασιν*. Et sane quum *ὥς γε* praecesserit, requiritur aliquid quo suspensa oratio concludatur, quale est Reiskianum illud supplementum, aut, quod amicus quidam proposuit, *οὐδ᾽ οὗτοι ἀρνοῦνται*, cui dein *ἀναγνώσεται δὲ* recte sit oppositum. Nescio tamen an nihil hic a librariis commissum sit, sed ipse orator *ἀνακολούθως* dixisse videri debeat. Nam si *δὲ* omisisset, haec ipsa *ἀναγνώσεται — τὴν μαρτυρίαν* inchoatam periodum concluderent; nunc quasi haec jam conclusa sit, oblitus scilicet conjunctionis *ὡς*, novam de integro et liberam enunciationem exorditur, quam debebat prioris apodosin facere.

§. 77. *τῶν αὐτοῦ τοῦ θείου ἐκμαρτυριῶν*. Improprie *ἐκμαρτυρίας* dicit avunculi defuncti actiones, quibus ille testimonium quodammodo ediderit, filiam suam non esse legitimam; quemadmodum saepenumero etiam *ἔργῳ μαρτυρεῖν* aliquis dicitur, de quo vid. ad or. de Menecl. her. §. 38.

§. 78. *πρὸς ὁποῖον ἄρχοντα ἀπέλιπε* —. Brevius dictum pro eo quod est apud Demosthenem in Onetor. I p. 868, 17. *πρὸς ὁποῖον ἄρχοντα ἀπεγράψατο τὴν ἀπόλειψιν*. Ad archontem enim, et quidem ab ipsa muliere, deferendum erat *τὸ τῆς ἀπολείψεως γράμμα*, ut ait Plutarch. vit. Alcib. cap. 8. Ceterum cf. de ord. jud. p. 414. et supra §. 8.

ἐκομίσατο scil. *οὗτος, ὁ Νικόδημος*.

§. 79. *περὶ τῆς τοῖς φράτορσι γαμηλίας*. Plane similiter Euripid. Iphig. Taur. v. 387: *τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα*. Demosth. Olynth. I p. 15, 24: *τὰ τῆς τροφῆς τοῖς ξένοις*. cf. id. in Nicostr. p. 1255, 16. Thucyd. 1, 5. Demosth. Olynth. III p. 34, 10: *ἐφόδια τοῖς στρατευομένοις*. in Callipp. p. 1243, 13: *δωρεὰ τῇ πόλει*. Sed plura notissimi usus exempla congerere putidum sit. Vid. Matthiae Gramm. p. 715.

καὶ ἔν τε τῷ δήμῳ — H. e. *atque etiam in pago.* Vid. Boeckh. praef. ad Corp. Inscript. p. XXII sq. Nimirum post ea, quae in phratria facienda fuerint, adduntur nunc etiam, quae in pago. Neque offendere in Isaeo hoc potest, quod illud ipsum *ἐν τῷ δήμῳ* paullo post repetitur, non magis quam quod *ὑπὲρ τῆς γυναικός* breviore etiam intervallo post *ὑπὲρ τῆς γαμετῆς γυναικός* repetitum legitur, aut §. 30: *λαγχάνων ὑπὲρ τῆς γυναικὸς — Φίλην ὄνομα εἶναι ἐπεγράψατο τῇ γυναικί.* Cf. etiam not. ad §. 55. Itaque uncinis haec verba liberanda duxi, quibus circumdata erant a Reiskio et Bekkero.

θεσμοφόρια ἑστιᾶν τὰς γυναῖκας. Non alia hoc ratione dictum quam *γάμους ἑστιᾶν* de Ciron. her. §. 9. 18. 20. *τὴν δεκάτην ἑστιᾶν* Demosth. in Boeot. p. 1017, 7. *τὰ ἐπινίκια ἑστιᾶν* or. in Neaer. p. 1356, 8 et 17, aliaque ejus generis plurima, quae per brachylogiam quandam (*θεσμοφ. ἄγειν ἑστιῶντα*) explicanda esse apparet. — Ceterum in celebrandis Thesmophoriis mulieres *κατὰ δήμους* discretas et binas cujusque pagi praesides fuisse, ceterarum suffragiis creatas, discimus ex or. de Ciron. her. §. 19. Fuerintne eaedem, quae pagi sui mulieres epulis exciperent, an aliae, non liquet. Negat Platnerus Symbol. p. 206, ait du Theil in diss. de Thesmoph. (sur les Thesmophories) quae e Commentt. Acad. Inscriptt. tom. XXXIX repetita est in Dindorfii Comm. in Aristoph. tom. VI. p. 531, et qui nuper de Thesmophoriis erudite disseruit Wellauer. p. 28, quamquam uterque falso tribus dicunt, qui pagi (*δῆμοι*) dicendi erant.

§. 80. Titulum *Μαρτυρία*, quem apud Demosthenem in simili orationum exitu (in Euerg. p. 1164, in Polycl. p. 1227, in Callicl. p. 1281) et editiones et codices plurimi atque optimi habent, hic quoque addendum censui, itidemque in fine orat. de Ciron. hered.

IN ORATIONEM IV.
DE NICOSTRATI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Nicostratus quidam Thrasymachi filius peregre militans mortem obiit relicta duorum talentorum hereditate, quae quum per leges ad proximos cognatos, Hagnonem ejusque fratrem Hagnotheum, Nicostrati patrueles, pertineret, his a multis controversia mota est, quorum alii aliis causis praetextis hereditatem sibi deberi contenderent. His autem omnibus facile repulsis postremo Chariades quidam *παρακαταβολὴν* posuit hereditatemque ex testamento petiit*). Hoc in certamine Hagnoni et Hagnotheo affuit amicus quidam, quem Graecus argumenti scriptor Isaeum ipsum fuisse autumat, qui postquam illi contra Chariadem perorarunt, *ἐπίλογον* dicit**), argumentaque in priore oratione proposita partim denuo breviter percenset, partim etiam magis illustrat. Nam pleraque omnia illinc repetita esse vel ex eo satis apparet, quod nihil omnino eorum, quae in nostra oratione proferuntur, testibus productis probatum videmus, cujus rei non alia causa esse potuit, quam quod testimonia omnia jam ante judicibus proposita erant.***) Summa autem totius orationis haec est.

---

*) De *παρακαταβολῇ* vid. de ord. jud. p. 617. sqq.

**) Vid. ibid. p. 708.

***) Cf. §. 18 extr. et 20 in.

Primum calliditatem et malitiam adversarii accusat, qui in libello suo Nicostratum non Thrasymachi sed Smicri filium dixerit. Scilicet si verum patris nomen scripsisset, praevidisse fore ut facile Hagno et Hagnotheus se proximos illi cognatos esse probarent, neque quidquam in disceptationem veniret, nisi testatusne ille decessisset an intestatus; sin vero etiam de patre controversiam moveret, causam multo obscuriorem magisque intricatam fore, difficilioremque adversariis juris sui probationem.

Porro Chariadem initio quidem, quum alii permulti hereditatem peterent, quietum fuisse; postea autem non solum sibi, et cognationis quidem jure (vid. not. ad §. 10.) hereditatem petiisse, sed etiam puerum quendam e meretrice natum filium defuncto instituere conatum esse; postremo, quum hoc modo nihil proficeret, testamentum falsum protulisse.

Esse autem in hereditatum controversiis testibus, qui se testamento condendo adhibitos testarentur, minus quam argumentis credendum. Testium enim fidem incertam et nimis saepe corruptam esse; argumentorum pondus a judicibus certissime aestimari posse. Neque ipsa testamenta semper valere, sed ita demum, si legitime facta sint, qua de re difficillimum fere judicium esse; de cognationibus autem earumque jure facillime semper judicari posse. Huc accedere, quod Chariades non modo cognatus sed ne amicus quidem Nicostrati fuerit, quid quod ne mortuo quidem justa funebria persolverit. Neque verum esse quod dicat, societatem quandam inter ipsos fuisse pecuniamque ejus a se administratam.

Nihil autem frequentius fieri solere, quam ut eorum, qui peregre obiissent, hereditates etiam ab alienissimis petantur. Quippe impunem cuivis esse talem petitionem, magnam autem spem judicum fallendorum. Judices autem aequum esse ut, si de testamento non certo ac liquido constet, cognatis potius hereditatem adjudicent. Nam quod Chariadis amici non Hagnonem

et Hagnotheum, sed se ipsos Nicostrati cognatos esse contendant, manifesto eos mentiri. Ipsos enim sibi potius hereditatem petituros, quam Chariadi auxilium laturos fuisse. Ceterum si cognati essent Nicostrati, etiam ipsis magis expedire, si Hagnoni et Hagnotheo, quam si Chariadi hereditas adjudicetur; hoc enim si fiat, comprobato a judicibus testamento, nullum jam petendi locum cognatis relinqui; sin illi nunc hereditatem accipiant, licere ipsis etiam postea eam petere, si se propiores cognatione ostendere possint.

Denique etiam digniores esse Hagnonem et Hagnotheum, quam Chariadem. Illos enim et publice et privatim honestissime semper vixisse, omnibus muneribus a re publica injunctis impigre functos; hunc autem hominem esse impurum, multis facinoribus infamem diuque propter poenae metum patria extorrem et nunc demum post Nicostrati mortem reversum.

Quo tempore haec causa acta sit licet nullo certo indicio cognosci possit, non tamen silentio praetermittendam duxi quandam Jonesii conjecturam. Nam quum §. 28 legamus Chariadem cum aliis quibusdam maleficis e carcere dimissum esse ab Undecimviris, eosque omnes postea populi jussu interfectos, Jonesius fieri potuisse negat, ut, si quando totum illud XI virorum collegium morte mulctatum sit, tam insignis rei nulla apud alios scriptores mentio injiceretur. Videri itaque illos non alios esse quam eos, qui quum, oppressa a Peloponnesiis populi libertate, triginta tyrannorum adjutores ac ministri fuissent, postea, recuperata libertate, una cum triginta viris ac decemviris in Piraeeo constitutis ab amnestia exclusi sint*), ut verisimile sit, eos postea supplicio esse affectos. Quodsi hos ipsos hoc loco designari statuamus, dimissum esse e carcere Cha-

*) De his cf. Xenoph. Hellen. III. 4, 38. Andoc. de myst. p. 43, 17. Meier. de bon. damn. p. 189.

riadem Ol. XCIV, 1; hoc enim anno triginti viri urbem tenebant. Quod autem Chariadem postea rursus propter maleficia apud senatum accusatum esse legimus, id proximo post anno factum videri posse. Ab hoc tempore per septemdecim annos ab urbe afuit; reversus est post Nicostrati mortem; mox hereditatem petiit, causaque in judicium deducta est biennio fortasse post Nicostrati obitum, vigesimo primo anno ab Euclide archonte. — Sed haec omnia quam lubrica et incerta sint, nemo non videt, fateturque ipse Jonesius: *after all, how incertain are these conjectures upon conjectures.* Neque opus esse arbitror, quae contra moneri possint, singillatim persequi.

In Hypothesin.

Vers. 4. *Ἰσαῖος οὖν ὁ ῥήτωρ* —. Nullum est in ipsa oratione vestigium, ex quo grammaticus eam ab ipso Isaeo habitam colligere potuerit; quamobrem nisi temere id ab eo fictum putare volumus, alium quempiam auctorem habuerit necesse est, hodie ignotum, Didymum fortasse, cujus commentarii in Isaeum laudantur ab Harpocratione in *γαμηλία*.

In orationem ipsam.

§. 1. *ἐν τῇ ὑπερορίᾳ.* H. e. in illa expeditione in qua mortuus est Nicostratus. Huic autem etiam Chariadem interfuisse apparet e §. 18 et 26; ibique haud dubie testamentum ab illo scriptum esse contenderat.

τοὺς ἀντιδίκους. H. e. Chariadem et qui huic in judicio adsunt, *τοὺς συνδικοῦντας αὐτῷ*, ut est §. 3. Nam *οἱ συνδικοῦντες* sunt *οἱ συνήγοροι*, qui et *σύνδικοι* et *συναγωνιζόμενοι* dicuntur. Vid. de ord. jud. p. 708. Verum autem adversarium unum fuisse Chariadem, multi orationis loci demonstrant.

μηδέτερον τούτων. Neque Hagnonem neque Hagnotheum. *Οὗτοι* enim v. *οἵδε* in *συνηγόρων* orationibus non minus *pro quibus*, quam *contra quos* dicitur, significat.

κατὰ τὴν δόσιν. Cf. §. 15: τοὺς μὲν οὖν κατὰ τὴν δόσιν ἀμφισβητοῦντας. Utroque loco articulum nemo desideraret.

§. 2. περὶ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐπιγραφῆς. H. e. quomodo ab utrisque in petitionis libello (ἐν τῇ λήξει) Nicostrati nomen editum sit. Ἐπιγράφεσθαι, quod paullo infra legitur, de simili re dicitur etiam or. de Pyrrhi her. §. 32. Cf. ib. §. 2 c. not. et infr. §. 4. Lys. in Agor. p. 494: γραφὰς τὰς ἐξ ἀνθρώπων ἐγράφετο, ἐπιγραφόμενος Ἀναγυράσιος εἶναι. — De constructione ἐξετάζειν περί τινος cf. ad or. de Pyrrh. her. §. 28.

§. 3. Σμίκρου. Nomen non infrequens, etiam in inscriptionibus, (vid. Boeckh. C. I. no. 165 c. 3. v. 56. 167 v. 17. cf. ib. p. 303.) restitutumque etiam a Bekkero ap. Demosth. in Mid. p. 578, 17. De accentu dubitari nequit propter similium nominum analogiam. οὐδὲ προσποιοῦνται ἐκείνου τοῦ ὀνόματος, οὔτε γιγνώσκειν οὔτε προσήκειν αὐτοῖς. Infinitivi liberius adjuncti, pro οὔτε γινώσκειν προσποιοῦνται τοῦτο τὸ ὄνομα κτλ. Ita Homerus Il. VII, 409: οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων γίγνεται . . πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα. Hymn. in Cer. 282: μνήσατο παιδὸς — ἀπὸ δαπέδου ἀνελέσθαι. Thuc. I, 138: τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐλπίδα ἣν ὑπετίθει αὐτῷ δουλώσασθαι. V, 15: ἐπιθυμία τῶν ἀνδρῶν κομίσασθαι. ib. 63: περὶ Ὀρχομενοῦ ἠγγέλλετο ἑαλωκέναι. Plat. Crit. c. 14: ἐπιθυμία ἄλλης πόλεως — εἰδέναι. Demosth. in Aristocr. p. 690, 1: τῷ κυρίῳ τῶν φόρων τάξαι. His conf. quae Porsonus et Schaeferus congesserunt ad Eurip. Med. v. 1396. — Jam vero τὸ ὄνομα alterius infinitivi objectum, alterius subjectum esse apparet, quemadmodum or. in Neaer. p. 1385, 19: [ἐρούσιν] οὐ γυναῖκα εἶναι αὐτοῦ, ἀλλὰ παλλάκην ἔχειν ἔνδον. Ejusdem generis sunt quae congesserunt Heindorf. ad Plat. Gorg. §. 140. Theaet. §. 15. Euthyd. §. 10. Schaef. ad Demosth. V p. 49. et quae omnium frequentissima sunt, ubi relativum pronomen alteri verbo objectum, ad alterum subjecti casu subintelligendum est, aut vice versa, qualia

vid. ap. Ruhnken. ad H. in Cer. v. 151 et Schaefer. ad Longum p. 397 sqq.

§. 4. *εἰ τὸ ὄνομα πατρόθεν τὸ αὐτὸ ὡμολόγουν εἶναι*: *Si nomen a patre idem esse faterentur.* Nam paterno demum nomine adjecto plenum hominis ac totum nomen designari videtur, unde est apud Herodotum *ἀναγράφειν τινὰ πατρόθεν*, *inscribere alicujus nomen patris nomine addito*, VIII, 90. cf. II, 14, et frequentissima illa formula *πατρόθεν ὀνομάζειν*, de qua vid. Buttmann. Mus. Antiqu. Stud. Tom. II p. 380. Herodot. III, 1. VI, 14.

οὐδὲν — — ἀλλ' εἴ τι διέθετο. H. e. *πλὴν* v. *ἢ εἴ τι διέθ.*, quemadmodum saepius *ἀλλὰ* ponitur post *οὐδὲν ἄλλο*. Vid. Hoogev. de partic. ed. Schütz. p. 2 et H. Stephan. Thesaur. c. 1842. B.

§. 5. *ἐπήρεια καὶ παρασκευή*. *Malitia et machinatio.* Nam *ἐπήρεια* et *ἐπηρεάζειν*, quibus verbis nihil est apud oratores frequentius, ut a Polluce VIII, 31 recte numerentur in *τοῖς ἐν δικαστηρίοις ὀνόμασι*, significant malitiosam vexandi et nocendi cupiditatem; cf. de Menecl. her. §. 28. de Philoct. her. §. 22. Reisk. Ind. graec. Demosth. h. v. et Duker. ad Thucyd. I, 26. *Παρασκευὴ* autem et *παρασκευάζεσθαι*, quae non minore jure forensia vocabula dixeris cum Jacobsio ad Achill. Tat. p. 893, omne artificiorum et machinationum genus significant. Cf. de Hagn. her. §. 31. de Aristarch. her. §. 1. Andocid. de myst. p. 1. Lys. de bon. Aristoph. p. 614. Aeschin. in Ctesiph. p. 381 ibiq. Taylor. et Brem. Add. Reisk. Ind. gr. Demosth. et ad Lys. p. 562.

§. 6. *λόγον ἐμβεβλήκασι*. Dicendi necessitatem imposuerunt v. materiam praebuerunt. Cf. de hac loquutione Sturz. Lex. Xenoph. II p. 145. Schaef. ad Long. p. 339.

§. 7. *ὅτι ἄλλοι τινές εἰσιν* —. Haec artificia ejusmodi sunt, ut ab ipso Chariade structa videri vix possint, sed ab aliis subministrata; quandoquidem etiam ante Chariadem multi fuerunt, qui Nicostrati bona invadere conarentur, quorum aliquis nunc Chariadem instigasse videtur.

ἐπειδὴ τὼ δύο ταλάντω ἑξάκις ἤλθετον; Corrupta haec esse apparet. Nam quod Reiskius εἰς κρίσιν subintelligendum esse ratus, ita haec interpretatur: *quandoquidem hereditas ab eo relicta, quae duum est talentum, a sex competitoribus fuit petita* —; neque ἔρχεσθαι unquam sic nude dictum invenitur de re, quae in judicium venit, neque ἐπειδὴ h. l. significare *quandoquidem* satis, arbitror, manifestum est. Jam vero hoc quoque apparet, non tum demum luctum a competitoribus sumptum esse, postquam petere coepissent, sed quum petituri essent: ὡς διὰ τὸ πένθος κληρονομήσαντες τῆς οὐσίας. — Neque Valckenarii conjectura ἐξ Ἄκης quidquam proficimus. Etiamsi enim fieri potuisse concedamus, ut Nicostratus in illo Phoeniciae oppido (vid. Harpocr. in Ἄκη) mortem obierit; quamquam hoc ipsum parum est verisimile: cui tandem credibile videbitur illum, ad bellum scilicet proficiscentem, bona sua omnia Acen secum portasse, unde post ejus mortem Athenas relata sint? Mihi quidem Isaeus scripsisse videtur: ἐπειδὴ τὼ δύο ταλάντω ἐξέκεισθον; quod quum priores duae syllabae in ἑξάκις v. ἑξάκις depravatae essent, illud —σθον, quod reliquum erat, non potuit non pro terminatione verbi agnosci, idque prein a corrector aliquo pro capitu suo restitutum est. Notum est autem, quum alias λήξεις omnes, tum etiam hereditatum petitiones a magistratibus in tabula publica proponi solitas esse (vid. de ord. jud. p. 604 sq.) atque hac de re ἐκκεῖσθαι usurpatur etiam or. in Theocr. p. 1324, 10: ἐξέκειτο δὲ πολὺν χρόνον ἔμπροσθεν τοῦ συνεδρίου ἡ φάσις. cf. Demosth. in Mid. p. 548, 2. Neque illud quemquam offendet, quod τὼ δύο ταλάντω dicuntur pro libello, in quo duo talenta, quae petebantur, scripta erant. Quae autem designatur λῆξις duorum talentorum, Hagnonis erat et Hagnothei, qui primi ἐπιδικασίαν instituerunt. Hac publice proposita et in comitiis quoque renuntiata (vid. de ord. jud. p. 463.), res vulgo innotuit multique ad petendum allecti sunt. — De tonsura in luctu non opus est dicere. Vid. Wyttenbach. ad Platon. Phaed. p. 235.

ἐφόρεσεν. De hac forma vid. Schaefer. Appar. crit. III p. 309, de significatione Lobeck. ad Phryn. parerg. p. 585.

υἱεῖς. Scilicet qui se adoptatos dicerent, id quod res ipsa docet.

§. 8. Δημοσθένης μέν γε. H. e. μὲν γάρ, Thucyd. I, 40 extr. Demosth. in Aristocr. p. 657, 7. Lys. in Agorat. p. 462 in. Elmsl. ad Eur. Med. v. 1062. Conf. et Hoogev. Schützii p. 152 no. XIV.

υἱὸν πρὸς τὸν ἄρχοντα ἧκεν ἄγων —. Scilicet ut pupilli curam archonti commendaret bonaque ejus elocanda curaret. Haec enim ad archontis officium pertinebant. Cf. Demosth. in Lacrit. p. 940, 10. in Macart. p. 1076, 14. Pollux VIII, 89. Quod autem Meierus de ord. jud. p. 37 de adoptione haec accipienda putat, mihi contra videtur. Nam si adoptandum puerum per archontem curare Aminiades voluit, nihil ad rem pertinebat, quam diu Nicostratus Athenis afuisset; poterat enim hic etiam absens adoptionem pueri se absente nati curandam amico mandare. Sed id demum absurdum, puerum triennem ejus filium naturalem dicere, qui undecim annos absens fuisset.

§. 9. Πύῤῥος δὲ ὁ Λαμπτρεὺς —. Ita scribendum, non Λαμπρεύς, recte Taylorus monuit ap. Reiskium. Quamvis enim saepe Λαμπρεὺς in codicibus extet, vitiosam tamen esse hanc scripturam dubitari non potest propter inscriptiones, in quibus quum frequentissimum sit hoc nomen, nunquam non Λαμπτρεὺς scriptum invenitur, praeter unam, quae habet Λαμπτεύς, manifesto, ut arbitror, lapicidae errore. Est autem haec apud Boeckhium C. I. no. 137 v. 6. Reliquae sunt no. 125, 11. 150 A, 13. 190, 34. 196 b, 3. (in Addend. p. 908) 200, 9. 270, 14. 15. 19. 284 col. d. vers. 18. 290, 5. 293, 6. 353, 9. 14. 670, 3. 671, 3. 672, 3. 673, 3. 674, 3. 675, 3. 676, 3. 703 b, 5. in Addend. p. 917.

τῇ Ἀθηνᾷ — καθιερῶσθαι. Consecratae a morientibus pecuniae exemplum est etiam ap. Lysiam de bon. Aristoph. p. 639. Cf. et Demosth. in Timoth. p. 1204, 12.

Non autem universam bonorum substantiam, sed partem tantummodo Minervae a Nicostrato consecratam, reliqua sibi legata Pyrrhum contendisse credo; quamquam consulto orator ita loquitur, ut quam absurdissima videatur ejus petitio. Nam quod Bunsenius de jur. hered. p. 65 not. 39 Pyrrhum sacerdotem fuisse statuit, cui tradita sit bonorum consecratorum administratio; meminisse debebat non a sacerdotibus, sed a *ταμίαις* annuis deorum pecunias administrari. Vid. Boeckh. de oeconom. rei publ. Ath. I p. 172 sqq. Corp. Inscr. I p. 176.

Κτῆσις. Haec vulgaris forma fuisse videtur pro *Κτησίας,* ut *Νῖκις* pro *Νικίας, Σῶσις* pro *Σωσίας;* neque absimilia sunt *Σίβυρτις* pro *Σιβύρτιος, Διόνυσις* pro *Διονύσιος, Δήμητρις* pro *Δημήτριος, Ἕλλαδις* pro *Ἑλλάδιος.* Vid. Boeckh. Corp. Inscript. p. 367. Welcker. Syllog. epigr. p. 18. Schneider. ad Xenoph. Anab. I, 2, 9.

ἀπελεύθερον — προσεποιήσαντο εἶναι. Notabilis locus qui doceat libertinorum, si improles decessissent, bona ad patronos, a quibus manumissi essent, devenisse. Meminisse hujus loci debebamus Meierus et ego, quum de patronorum juribus loqueremur de ord. jud. p. 474.

§. 10. *οὐ μόνον αὐτὸς* — „Subaudi e prioribus *ἀμφισβητῶν τοῦ κλήρου.*“ *Reisk.* Potest sane hoc suppleri, potest *ἠμφισβήτησεν,* potest etiam omni supplemento supersederi; sed arbitror tamen aliquid hic excidisse. Ex iis enim, quae sequuntur, *ὅτι περὶ τοῦ γένους ἐλεγχθήσοιτο,* apparet priorem hanc Chariadis *ἀμφισβήτησιν κατὰ γένος* fuisse, neque videtur hoc ab oratore silentio praetermissum fuisse, quum ceterorum omnium petitiones quo titulo institutae essent commemorasset, et huic ipsi Chariadis petitioni postea opponat alteram *κατὰ δόσιν.* Itaque scripsit fortasse: *οὐ μόνον αὐτὸς συγγενὴς εἶναι φάσκων, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκ τῆς ἑταίρας παιδίον εἰσποιῶν ἦλθε.* Hoc autem *εἰσποιῶν* de conatu accipiendum esse non est quod moneam. Puer ille utrum Nicostrati fuerit an Chariadis, discerni non potest; peregrina autem matre — et solebant plerumque peregrinae meretrices esse (vid. Platner. Symbol. p. 110) — natum esse apparet ex his:

ἢ τὸ παιδίον ἀστὸν ποιήσοντι. Nam si civis mater esset, filium quoque, licet spurium, civem tamen esse oportebat. Vid. de ord. jud. p. 429 sq. Platner. l. l. p. 114 sq. Videtur igitur Chariades, quum Nicostrati hunc filium esse diceret, matris condicione dissimulata, hujusmodi petitione usus esse, ut simul adoptandum (legitimandum) puerum, simul se, ut proximum cognatum, tutorem ei dandum esse contenderet, qua ratione alterutrum certe se assequuturum sperabat, aut ut puer ille adoptaretur, quo facto hic et civis futurus esset et bonorum Nicostrati heres, aut, non adoptato puero, ut hereditas ipsi, proximo quippe cognato, ex legibus adjudicaretur. Re vera itaque non suo, sed pueri nomine petitionem illam instituit; idque ita esse etiam ex eo apparet, quod statim infra ἡ τοῦ παιδίου ἀμφισβήτησις haec dicitur, h. e. petitio pueri, scil. per tutorem — ad eum modum, de quo dictum est ad or. de Pyrrh. her. §. 3.

τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ —. Haec quoque corrupta esse apparet, sed sanari sine codicibus nulla certa ratione possunt, quamobrem conjecturis abstinendum puto. Ceterum nihil desideraremus, si his verbis plane omissis legeretur: ὡς ἢ — κληρονομήσων, ἢ — ποιήσων.

§. 11. κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι. Dubitari non potest, quin ipsa παρακαταβολὴ his verbis designetur. Erat enim haec quasi quaedam sponsio, quum deponeretur a petitore pecunia, quae peracto judicio victori cessisse videtur. Haec major minorve erat pro quantitate ejus rei, de qua certabatur; in hereditatum litibus decima pars erat hereditatis, quam quis petebat. Vid. de ord. jud. p. 616 — 621. Atque propter hoc ipsum, qui παρακαταβολῇ mulctatur, κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι dicitur; quandoquidem τέλος in universum significat praefinitum quendam et statutum modum, sicut ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος apud Demosth. in Macart. p. 1076, 18 magistratus dicuntur, h. e. intra eum modum, intra quem mulctare iis licet. Cf. de ord. jud. p. 34. Sed alio sensu τὰ πρυτανεῖα quoque τέλη esse

dicit Scholiastes ad Aristoph. Vesp. v. 679 Inv., quoniam haec aerario cedebant; quamquam quod ait τὰ πρυτανεῖα fuisse δεκάτας, cum hac ipsa παρακαταβολῇ ea permutasse videri possit. — Ceterum nostrum locum recte etiam Platnerus intellexit, de jud. et act. II p. 326, refutatis Jonesii et Bunsenii opinionibus.

οὐδ' οἱ νόμοι κατεφρονοῦντο —. Pro οὔτ' ἂν οἱ ν. κ. Vid. Reisig. de ἂν part. p. 137 sq. Bernhardy Syntax. p. 374 sq. Matthiae ad Eurip. Alcest. v. 923. et gr. Gr. p. 968. — Quod autem sequitur τὰ γένη, sunt οἱ συγγενεῖς. Conf. Demosth. in Leochar. p. 1084, 27: τὸν νόμον τὸν τοῖς τε γένεσι καὶ τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν τὰς κληρονομίας ἀποδιδόντα. ib. p. 1089, 1: τὸ ὁμολογούμενον γένος ἐξελαύνων. p. 1099, 5: τοῖς γένεσιν ἀποδιδόναι τὰς κληρονομίας. — Ὑβρίζειν autem saepissime dicitur de iis, qui alterius jura contemptim et petulanter laedere conantur. Cf. de Menecl. hered. §. 33. de Ciron. her. §. 1. Demosth. in Macart. p. 1079, 8. — Denique καταψεύδεται τῶν τεθνεώτων qui testamenta, quae illi non scripserunt, supponit. Cf. de Astyph. her. §. 23. 26.

§. 12. περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων συμβολαίων —. Συμβολαίοις testamenta annumerat etiam Plato Legg. XI c. 6. p. 922. B. Cf. Gans. de jur. her. I p. 384.

οὐ πάνυ χαλεπὸν —. Non tollit negatio vim adverbii, sed adverbium negationem intendit, quasi dicas πάνυ οὐ χαλεπόν, h. e. πάνυ ῥᾴδιον, οὐδαμῶς χαλεπόν. Cf. Schaefer. App. crit. I p. 297, Krüger. ad Xenoph. Anab. I, 8, 14 et de simili οὐ μάλα id. ad II, 6, 14. Similiter autem transponitur negatio etiam in οὐ πρὸ πολλοῦ, οὐ μετὰ πολύ, οὐχ ὡς δεῖ aliisque non paucis.

τὰ διαφέροντα. H. e. nisi permagnum sit discrimen, quo verum a falso facilius internosci possit.

§. 13. οὐδὲ λέγουσι — ὅ τι διατίθενται. Conf. Demosth. in Steph. II p. 1137, 21. Herald. animadvers. p. 103.

τοῦ συμβαίνοντός ἐστιν —. H. e. πολλάκις συμβαίνει. Rarior loquutio, cujus aliud exemplum non est in promptu.

§. 14. ἐὰν εὖ φρονῶν —. Legem aliquoties jam in superioribus orationibus commemoratam vid. ap. Bunsen. p. 55.

§. 16. οἱ περὶ τῶν γενῶν —. τὰ γένη non solum τοὺς συγγενεῖς significat, ut §. 11. sed etiam gradus propinquitatis. Cf. §. 23: κατὰ γὰρ τὸ αὐτὸ γένος ἂν ἠμφισβήτει. de Astyphil. her. §. 32: τὸ γένος παρατιθέντες, ὅτι ἀνεψιὸς ἦν. de Hagn. her. §. 2: τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν. Demosth. in Macart. p. 1056, 9: ὄντες ἐν ταὐτῷ γένει Θεοπόμπῳ.

δοῦναι — οὐδενὶ ἐᾷ τὰ ἑαυτοῦ —. Cur Bekkerus ante οὐδενὶ contra omnes libros οὐδένα inserendum putaverit, non perspicio. Saepissime enim in hujusmodi enuntiatione generali subjectum apud infinitivum omittitur, etiamsi sequatur verbum finitum. Cf. or. de Philoct. her. §. 44: ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἐᾷ ἐπανιέναι, ἐὰν μὴ υἱὸν καταλίπῃ γνήσιον. Add. de Aristarch. her. §. 2 et 13.

§. 17. οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε. Non judices has leges tulerunt, sed populus, cujus pars sunt judices; neque hic, qui nunc est populus, sed majores. Nimirum, ut Wolfius ait ad Demosth. Lept. p. 230, haec est consuetudo oratorum solennis, populum tamquam perennem aut perpetuam personam alloqui, eique ut ab ipso facta tribuere, quaecumque prioribus temporibus publice acta essent. Cum nostro loco conf. or. de Astyphil. her. §. 34: τοὺς νόμους, οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε, βεβαιώσατέ μοι. de Philoct. her. §. 49: ταυτὶ τὰ γράμματα ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε. Demosth. adv. Phaenipp. p. 1044, 11: ὑμεῖς δ᾽ ἴστε, ὦ ἄνδρες δικασταί, (ὑμεῖς γὰρ ἔθεσθε,) τὸν νόμον.

§. 18. τὸ μὲν ἀκριβὲς οὐδ᾽ ἂν οὕτως —. *Accuratius examinanti ne sic quidem sed magis tamen probabile esset, verum judicari testamentum.* Τὸ ἀκριβὲς quodammodo adverbialiter dictum, eodem modo, quo τὸ ἀληθὲς apud Platonem de re publ. IV p. 443. C: τὸ δέ γε ἀληθὲς τοιοῦτον μέν τι ἦν — ἡ δικαιοσύνη. Timae. p. 86. D: τὸ δὲ ἀληθὲς ἡ περὶ τὰ ἀφροδίσια ἀκολασία — νόσος ψυχῆς

ponendum aio aut ἐστὶν aut ἔξεστιν." *Reisk.* Subintelligendum ἐστὶν, non nego, interponendum non arbitror, non magis quam in sequentibus: μικρὸς ὁ κίνδυνος. Nimirum infinitivus cum dativo haud ita raro usurpatur de rebus, quae alicui eventurae aut faciendae esse dicuntur, ubi aut ἐστὶ aut γίγνεται aut δεῖ suppleri possit. Nonnulla hujus generis exempla vid. apud Bernhardyum Syntax. p. 358 sq.

τοῦτο γὰρ οἵ τε νόμοι ἡγοῦνται. H. e. ὑφηγοῦνται, quamquam hoc ipsum reponi malim.

§. 23. ἀνεψιὸς ὢν αὐτοῖς ἐκ πατραδέλφων. Fratres patrueles ἀνεψιοὶ dicuntur ἐκ πατραδέλφων, h. e. e patruis prognati, quum unusquisque ἀνεψιὸς patrem habeat alterius patruum, patruum autem hujus patrem, patruorum igitur invicem filii sint ἀνεψιοί. Quodsi unus tantum designatur, hic alterius ἀνεψιὸς ἐκ πατραδέλφου rectius quam ἐκ πατραδέλφων dicetur; sed invaluit tamen haec formula, ut ἀνεψιὸς ἐκ πατραδέλφων dicatur, pluralis numeri significatione plane obliterata. Conf. Demosth. adv. Macart. p. 1061, 4 et 26. ib. p. 1064, 2. et magis etiam mirifice apud eundem or. adv. Leoch. p. 1084, 17 patruus dicitur θεῖος ἐκ πατραδέλφων, quum θεῖος ipse sit πατράδελφος (vid. Pollux III, 22), nisi quis hoc ita accipere malit, ut sit *e numero* πατραδέλφων. Sed veriorem judico illam rationem, ut ἐκ πατραδέλφων, propria significatione obscurata, nihil nisi πρὸς πατρὸς designare videatur. Apparet autem ex eadem formula etiam infra hui. or. §. 26 Hagnonem et Hagnotheum Nicostrati ἀνεψιοὺς ἐκ πατραδέλφων dici. Nam quum fratres essent uno patre geniti (vid. §. 1.) verius sane ἀνεψιοὶ ἐκ πατραδέλφου dicerentur, quemadmodum in graeca hypothesi Bekkerus scripsit, e codicibus haud dubie. Sed singularis hujus vocabuli numerus nusquam apud oratores reperitur, neque pluralis aliter nisi in hac ipsa formula; ut hactenus vere Lobeckius ad Phrynich. p. 306 πατράδελφος in iis nominibus numeret, quae Attici oratores longe seposita habuerint. Quod autem Bunsenius p. 8 eumque sequutus

Gansius I p. 329 *πατράδελφον* etiam fratrem *ὁμοπάτριον*, *μητράδελφον* autem *ὁμομήτριον* dictum autumant, plane commenticium est.

§. 24. *οὐκ ἔστιν ὁ Ἅγνων οὐδ' ὁ Ἁγνόθεος — συγγενεῖς*. Ita Lys. in Eratosth. p. 392: *ἐπιτυγχάνει Μηλόβιός τε καὶ Μνησιθείδης ἐκ τοῦ ἐργαστηρίου ἀπιόντες*. Plat. Legg. V c. 2. p. 729. E. *δύναται δὲ διαφερόντως ὁ ξένιος ἑκάστων δαίμων καὶ θεὸς τῷ ξενίῳ ξυνεπόμενοι Διΐ*. Alia hujus generis vid. ap. Bernhard. Syntax. p. 416 sq.

ἀλλ' ἕτεροι. Non raro apud Atticos *ἕτερος* pro *ἄλλος* dici dudum a multis observatum est. Vid. Schol. ad Aristoph. Pac. v. 11. Eustath. ad Odyss. VII p. 276. Philem. Lex. techn. p. 61 Osann. Schaefer. Appar. crit. IV p. 67. V p. 117. Sed tamen hoc loco *ἕτεροι* in *αὐτοὶ* mutandum esse mihi quidem manifestum videtur. Sunt enim *οἱ ἀντίδικοι* Chariadis advocati et *συνήγοροι*, qui simul testimonium pro eo dixerunt (vid. de ord. judic. p. 669), in eoque testimonio non Hagnonem et Hagnotheum sed se ipsos Nicostrati cognatos esse professi sunt. Id enim apparet ex his: *ἔπειτα — αὐτοὶ κατὰ τὸ γένος οὐκ ἀμφισβητοῦσιν* et §. 25: *ἐξέσται καὶ τούτοις — κατὰ τὸ γένος λαχοῦσιν ἐπιδεῖξαι ὡς αὐτοὶ ἐγγυτέρω ἦσαν τοῦ Νικοστράτου*.

τούσδε τοῖς συγγενέσιν αὐτοῖς —, H. e. *τοῖς συγγ. αὐτοῖς μᾶλλον συμφέρει τούσδε (Ἅγνωνα καὶ Ἁγνόθεον) ἐπιδικάσασθαι τῶν Νικοστράτου, ἢ Χαριάδην* scil. *ἐπιδικάσασθαι αὐτῶν*. Hoc qua ratione dicatur, orator ipse in seqq. satis explicat.

§. 26. *ὡς ἔθαψαν Νικόστρατον*. Atqui supra §. 19 Nicostratum combustum ossaque ejus lecta esse dixit ab hominibus prorsus alienis; id quod Reiskius cum nostro loco non aliter conciliari posse credidit, nisi ut *θάπτειν* h. l. significare contenderet *alteri, qui aliquem humasset, sumptus in humationem factos refundere*. Sed hoc interpretandi artificio non opus est, neque pugnat alter locus cum altero. Moris enim fuit, ut peregre defunctorum ossa ac cineres in patriam referrentur ibique justo funere

sepelirentur. Vid. or. de Astyph. hered. §. 4. Itaque peregre combustus Nicostratus ossaque lecta erant ab alienis, Athenis ossa ac cineres sepulti a cognatis.

ἐπὶ στρατεύματι. Ne quis articulum addendum fuisse existimet conf. Schaefer. Appar. crit. V p. 269.

§. 27. *ὅποι ἂν μὴ ὑμεῖς προστάξητε.* Pro *ὅποι μὴ ὑμεῖς προστάξαιτε.* Ita Lys. in Andoc. p. 201: *βασιλέας πολλοὺς κεκολάκευκεν ᾧ ἂν συγγένηται.* Demosth. Philipp. I p. 50, 3: *οὔτε ταῦτα ἠδύνασθε κωλύειν οὔτ' εἰς τοὺς χρόνους, οὓς ἂν προθῆσθε, βοηθεῖν.* ib. p. 54, 27: *οὔτ' ἄλλοτε πώποτε προειλόμην λέγειν ὅ τι ἂν μὴ καὶ συνοίσειν ὑμῖν πεπεισμένος ὦ.* Cf. Poppon. prolegg. ad Thucyd. I p. 142. Pro *οὐδαμῇ* ut rescribatur *οὐδαμοῖ*, quod Bekkero placuit Add. p. 697, causa nulla esse videtur. Conf., ut alios nunc mittam, Stallbaum. ad Plat. Euthyphr. p. 94. 95.

§. 28. *κατὰ δόσιν* —. H. e. etiamsi non cognati essent Nicostrati, sed sicut adversarius *κατὰ δόσιν* peterent hereditatem, tamen propter virtutem et egregios mores multo justiorem eorum petitionem videri oporteret.

ὡς κλέπτης ὢν ἐπ' αὐτοφώρῳ ἀπήχθη. De hac *ἀπαγωγῇ* vid. de ord. jud. p. 227 sqq.

οὓς δημοσίᾳ ἅπαντας ὑμεῖς ἀπεκτείνατε. Quosnam? illosne qui modo commemorati sunt, quos una cum Chariade undecimviri e carcere dimiserant, an vero totum illud undecimvirorum collegium? Hos potius, opinor; illos enim si designare voluisset, non dubito quin alia verborum collocatione usus esset: *ἀφεθεὶς ὑπὸ τῶν ἕνδεκα μεθ' ἑτέρων τινῶν, οὓς κτλ.* — *Δημοσίᾳ ἀποκτείνειν* ut *δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν* dicitur de iis, qui populi vel judicum sententia ad extremum supplicium damnati sunt. Vid. F. A. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 362. Schaef. Appar. crit. III p. 262.

ἀπογραφεὶς —. H. e. aut *εἰσαγγελθεὶς* aut *μηνυθείς*. Vid. de ord. jud. p. 254 not. 31. De comit. p. 222 not. 11. *Κακοῦργοι* autem qui vocentur vid. de ord. jud. p. 76.

§. 30. ὑπὲρ τοῦ σώματος. *De capite*, h. e. aut de vita aut de ἐπιτιμίᾳ. Vid. de comit. p. 75 sq. Meier. de bon. damn. p. 142 sq.

§. 31. ἤδη τι ἐκεῖνον εὐεργετηκότας. Videtur hoc non alio nisi ad justa funebria pertinere, a petitoribus Nicostrato persoluta. Certe aliorum beneficiorum nulla per totam orationem mentio facta est, et §. 26 nihil nisi οὐδεπώποτε ἐκείνῳ διάφοροι fuisse dicuntur.

IN ORATIONEM V.

DE DICAEOGENIS HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Dicaeogenes Menexeni filius quum in pugna navali apud Cnidum insulam interemptus esset, Proxenus, ejus cognatus, testamentum protulit, quo ipsius filius, cui et ipsi Dicaeogeni nomen erat, ab illo adoptabatur et heres ex triente instituebatur, reliqua autem pecunia quattuor testatoris sororibus relinquebatur. Ex hoc testamento divisa hereditate suam quisque partem per duodecim annos sine controversia possedit, quum repente a Dicaeogene aliud affertur testamentum, quo ipse ex asse heres institutus erat. Res in judicium venit: judices, falsis testimoniis decepti, totam hereditatem Dicaeogeni adjudicant: hic praeda sua per decennium fere fruitur. Tandem mulierum illarum filii, qui interim adoleverant, injuriam suam ulcisci parant. Primum igitur testibus, quibus Dicaeogenes usus erat, falsi testimonii actionem intendunt, unumque ex his, Lyconem, qui primus in judicium deductus est, vincunt. Tum vero Dicaeogenes rebus suis diffisus ne totam praedam restituere cogatur, aliud artificium comminiscitur: Menexenum, qui causam contra Lyconem egerat, aggreditur, maternam portionem ei se restiturum pollicetur, persuadet denique ut consobrinos suos deserat reliquosque testes, quos in jus vocaverat, missos faciat.

Reliqui Dicaeogenis adversarii primo quidem nova re perculsi quiescunt: postea vero quum reputarent Lycone damnato jam eo rem deductam esse, ut neu-


trum illorum testamentorum, de quibus supra dictum est, amplius valere posset, quum prius illud, quod a Proxeno prolatum fuerat, ab ipso Dicaeogene impugnatum et judicum sententia irritum factum esset, alterum autem, quod Dicaeogenes protulerat, Lyconis testimonio confirmatum, teste damnato et ipsum falsum videri deberet, ideoque Dicaeogenem non amplius pro adoptivo veteris illius Dicaeogenis filio habendum, omniaque hujus bona ad sorores, suas matres, cognationis jure delata esse: hoc illi reputantes de omni hereditate litem Dicaeogeni intendunt. Hic *διαμαρτυρίαν* opponit per Leocharem: non posse hereditatem ab iis peti, quum filius extet defuncti adoptivus. Impugnant hanc *διαμαρτυρίαν* consobrini, falsique testimonii Leocharem postulant. Jam in hoc falsi testimonii judicio, quum appareret Leocharem damnatum iri, Dicaeogenes ipseque Leochares multis precibus tandem ab adversariis impetrarunt, ut suffragiis judicum non dinumeratis paciscerentur secum his condicionibus: retineret Dicaeogenes trientem suum, reliqua adversariis redderet *ἀναμφισβήτητα* h. e. libera et vacua nullique aliorum controversiae obnoxia. Hujus pactionis fidejussores fiunt Leochares et Mnesiptolemus. Tamen neque Dicaeogenes praestitit quae promiserat, et Leochares talis se pactionis fidejussorem factum esse negavit. Hanc ob causam Leochari actionem ex stipulatu, *δίκην ἐγγύης*, intendunt. Causam agit unus e consobrinis, Polyarti filius.

Statum apparet esse conjecturalem. Quaeritur enim pactine sint quod actor asseverat, ejusque rei fidejussor factus sit Leochares, nec ne. Atque haec quidem quaestio brevius tractatur. Nam pactum fuisse Dicaeogenem de reddendo hereditatis besse, fidejussorem autem factum Leocharem testibus productis demonstratur. Quod autem contendunt adversarii factum a se quod fieri ex pacto oportuerit, brevissime ita ab actore redarguitur, ut indicem bonorum a Dicaeogene relictorum judicibus proponat, quem illis, si verum esse negent, testimoniis refutandum, sin omnia a se restituta contendant, hoc

item testimoniis probandum esse. Sed quum adversarii etiam de universa hereditatis controversia dicturi sint, sibi quoque quae hac de re acta sint a principio exponenda esse, qua in narratione magna orationis pars a §. 9 ad §. 15 consumitur. Hac absoluta redit unde digressus est, ut quod jam ante testimoniis probatum erat, nunc argumentis ex ipsa re desumptis comprobetur, Dicaeogenem se omnia ἀναμφισβήτητα restituturum promisisse. Quippe alioquin plane inutilem actoribus illam pactionem futuram fuisse, quum majorem bonorum partem Dicaeogenes aut vendiderit aut oppigneraverit, cujus ipsius rei causa fidejussores se sibi dari curasse. Reddita autem esse perpauca: de nonnullis etiam lites sibi exortas esse cum iis, qui nunc ea possiderent, quibus quum se auctorem fore Dicaeogenes negasset, tamen in hac quoque re fidem fefellisse et auctoritatem illis praestitisse, quamobrem se, actorem, judicio victum atque insuper etiam epobelia mulctatum esse. Neque se solum, sed etiam Protarchiden Potamium, qui in eadem secum causa sit, eodem modo deceptum esse. Quod autem Dicaeogenes causetur pecuniam a se insumptam esse in balnei restitutionem aliaque aedificia, quam sibi adversarios, quum reddere polliciti essent, non reddidisse, proptereaque se non potuisse creditoribus, quibus illa oppignerata essent, satisfacere, hoc quoque actor falsum esse contendit. Denique qualis sit utrorumque causa, vel inde aestimari posse, quod, quum ante quam judicio experirentur, quattuor arbitris ex compromisso rem cognoscendam commisissent, quorum duos ipsi, duos Dicaeogenes ac Leochares nominassent, hi quos ipsi cepissent, vel jurati vel injurati sententiam dicere parati fuissent, qui autem ab adversariis nominati essent, quum his et familiaritate conjuncti essent et affinitate, sibi autem inimici, tamen pronuntiare noluissent.

Postremo indignum esse Dicaeogenem, cui judices faveant, quippe hominem impurum, avarum, qui neque rei publicae unquam inservierit, et privatim foedissimis

Ad. pag. 2



Isäus ed.

flagitiis indulgeat; se contra majoresque suos optime de re publica meritos esse.

Proposito orationis argumento paucis etiam de stemmate dicendum est, quod facilioris intellectus causa adjiciendum putavi. Descriptum ejusmodi stemma habemus etiam a Reiskio et Jonesio; sed ab utroque erratum est in eo, quod Proxenum, Dicaeogenis tertii patrem, fratrem fecerunt Menexeni primi, patruum itaque secundi Dicaeogenis. Sed Reiskius quidem errorem suum ipse agnovit in notis ad p. 117, §. 47 nostr. ed., et Jonesius quoque dubitat certe de stemmatis sui veritate. Leguntur enim §. 47 haec verba: *πρῶτον μὲν γὰρ εἵλου* (quem alloquitur orator, Dicaeogenes tertius est) *ἀντὶ τῆς ἐκείνων* (h. e. *τῶν σῶν προγόνων*) *δόξης τὴν ἡμετέραν οὐσίαν κτήσασθαι, καὶ ἐβουλήθης μᾶλλον Δικαιογένους* (secundi Dicaeogenis) *καλεῖσθαι υἱὸς ἢ Ἁρμοδίου* [*ἀπόγονος*]—, quae manifesto demonstrant, Dicaeogenis tertii ac Proxeni stirpem ab Harmodio illo Hipparchi interfectore originem traxisse, Dicaeogenis secundi autem et Menexeni stirpem non fuisse ab Harmodio oriundam: quamobrem fratres esse non potuerunt Proxenus et Menexenus. Probabilior itaque est haec Reiskii conjectura, Proxenum in matrimonio habuisse Menexeni sororem, Dicaeogenis secundi amitam, ut proinde Dicaeogenes tertius hujus patris sui adoptivi naturali cognatione amitinus fuerit. Haec etiam Platneri sententia esse videtur, qui de lit. et act. II p. 278 Dicaeogenem tertium consobrinum (*Geschwisterkind*) vocat ejus mulieris, quae mater erat Cephisodoti, soror autem Dicaeogenis secundi. Non enim alio sensu consobrinum eum dixisse censeo, quam ut amitinum significaret. In ipsa tamen oratione nullum est certum talis cognationis indicium. Nam quod §. 10 Dicaeogenes tertius *ἐγγυτάτω γένους* dicitur Cephisodoto, incertum est utrum materna an paterna cognatio designetur; et §. 14 ita loquitur orator, ut appareat, per cognationem nullum huic Dicaeogeni jus fuisse in bona cognominis sui; ex quo tamen nihil nisi hoc efficitur, remotiorem fuisse illum, quam actorem ejus-

que matrem et ceteras Dicaeogenis secundi sorores sororumque liberos. Nam plane alienum nullaque secum cognatione junctum a Dicaeogene secundo adoptatum esse minus est verisimile. — Deinde omissa est in Reiskii et Jonesii stemmate Cephisophontis filia, Menexeni secundi soror, quam addidi e §. 9. — Postremo etiam Cephisodoto aut unum aut etiam plures vel fratres vel sorores fuisse apparet e §. 10, ubi plurali nomine designantur ὀρφανοὶ γενόμενοι, et paullo post: ἃ ὁ πατὴρ αὐτοῖς κατέλιπεν — et §. 11: τὴν οἰκίαν αὐτῶν τὴν πατρῴαν παίδων ὄντων τούτων —. Quid? quod etiam actori soror addenda fuit, si vera esset Reiskii de emendanda lectione §. 26 conjectura. Ibi enim haec leguntur: Πρωταρχίδῃ γὰρ τῷ Ποταμίῳ ἔδωκε Δικαιογένης τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ —. ταύτῃ δὲ τῇ γυναικὶ — προσήκει τοῦ κλήρου μέρος ὅσονπερ τῇ μητρὶ τῇ ἐμῇ. Pronomen ἑαυτοῦ corruptum esse non est quod dubites. Nam si ipsi Dicaeogeni tertio ex cognatione nulla pars hereditatis debebatur (vid. §. 14.), apparet non magis sorori ejus quidquam deberi potuisse. Itaque Reiskius τὴν ἐμαυτοῦ reponendum suasit, eaque conjectura et Jonesio probata est et Bunsenio, qui quidem de jur. her. p. 28 ita correcto loco utitur etiam ad demonstrandum, sorores defuncti non modo cum aliarum sororum, sed etiam cum suis ipsarum liberis hereditatem in capita divisisse. At ut vera sit haec Bunsenii sententia — qua de re statim dicetur — Reiskii tamen correctionem probare non possum. Quo enim jure actoris sororem Dicaeogenem tertium despondisse credamus? Ut tutorem, inquit. Factum igitur hoc esse oportet ante quam actor ipse adultus esset; alioquin enim hic ipse, non Dicaeogenes, mulierem illam despondisset. Quodsi sororis, etiam ipsius actoris tutorem Dicaeogenem fuisse oportet. At vero §. 10 ita loquitur ille, ut, meo quidem judicio, neque ipse sub Dicaeogenis tutela fuisse videri possit, neque alius quisquam de hujus adversariis praeter Cephisodotum ceterosque Theopompi liberos. Itaque quum neque ἑαυτοῦ retineri, neque ἐμαυτοῦ probari posse videatur, mihi

quidem verisimile fit, ἑαυτοῦ aut in τοῦ mutandum esse, ut nomen fratris excidisse statuatur, aut etiam in τούτου, ut designetur Cephisodotus, qui actori astare putandus est. cf. §. 2. Κηφισόδοτος οὑτοσί. §. 12. Κηφισοδότου τούτου. §. 11. παίδων ὄντων τούτων. Sorores enim una cum fratribus hereditatis avunculi participes fuisse, et per se ipsum consentaneum est, et apparet ex eo, quod §. 12 Menexeno, Cephisophontis filio, §. 9 autem Menexeni sorori suam utrique partem tribui videmus. Illud certe manifestum est, mulierem illam, cujus §. 26 mentio fit, non potuisse nisi aut ipsius Dicaeogenis secundi sororem fuisse, aut sororis filiam. Alioquin enim nullum in hujus bona jus habere potuit. Quodsi soror fuerit, possit fortasse Democlis vidua videri, quam §. 9 orator designat τὴν Δημοκλέους γενομένην γυναῖκα, atque existimet aliquis §. 26 scriptum ab Isaeo fuisse τὴν Δικαιογένους, a librariis autem, qui non intelligerent, secundum Dicaeogenem designari, sed eundem putarent, qui modo nominatus erat, Dicaeogenem tertium, nomen proprium mutatum esse in pronomen reflexivum. Mihi tamen hoc non admodum probabile videtur, neque ita nude Dicaeogenis sororem designari potuisse credo, quum non haec una esset, sed tres praeterea illius sorores, ex quibus quaenam esset illa, de qua loqueretur, paullo disertius haud dubie significandum fuisset. Tenebimus igitur sororis filiam illam fuisse, sive Cephisodotum sive alium quempiam fratrem habuerit; quamquam Cephisodotum equidem maluerim, quum, ut dixi, ceteri sororum liberi non videantur sub Dicaeogenis tertii tutela fuisse. Haec itaque mulier, quum fratrem haberet, tamen partem hereditatis accepit non minorem, quam actoris mater. Atqui si in stirpes dividenda fuisset hereditas, fieri nullo modo potuit, ut tantundem acciperet, quantum soror defuncti. Itaque in capita divisam esse oportet. Sed an etiam superstitis sororis liberi una cum matre in partem hereditatis avunculi venerint, id quod Bunsenius statuit, certo affirmari non

potest. Nam quod §. 12 actorem, cujus mater superstes erat, de sua portione loquentem videmus (προσῆκον αὐτῷ — τῷ Μενεξένῳ — τοῦ κλήρου μέρος ὅσονπερ ἐμοί.), nihil obstat, quo minus suam partem dicat, quae proprie matris erat, quippe cujus ipse κύριος esset. Apparet tamen ita etiam hoc loco, in capita divisam esse hereditatem inter sorores et aliarum sororum liberos, quum et soror Menexeni partem acceperit (§. 9), et ipsius Menexeni pars non minor fuerit, quam quae matri actoris — si quidem matris est pars, quam suam dicit — obvenit. — Neque vero ex iis quae §. 9 extr. dicuntur: ἀφείλετο δὲ καὶ τὴν Κηφισοδότου μητέρα καὶ αὐτὸν τοῦτον ἅπαντα, suam utrique portionem, matri ac filio, obvenisse certo colligas. Sed quum postea §. 26 mulieri illi, quam ego Cephisodoti sororem puto, tantundem deberi dicatur, quantum actoris matri; statuere licet, quo tempore Dicaeogenes in judicium vocatus et bessem restituere coactus est, mortuam fuisse Cephisodoti matrem, ac proinde Cephisodoto ceterisque illius liberis tantundem, quantum materterae, obvenisse. — Quamquam incertam hanc esse conjecturam intelligo, neque falsam esse Bunsenii sententiam contenderim; hoc unum dico, rem ex nostra quidem oratione certo demonstrari non posse. Quod autem aliud ex oratione de Philoctemonis hereditate argumentum Bunsenius petivit, hoc quo jure fecerit, suo loco videbimus.

Restat ut exponamus, quo tempore haec causa acta videri debeat, qua in re dissentiendum mihi est a Krügeri sententia, qui ad Clinton. Fast. Hell. p. 113 orationem nostram nonagesima nona Olympiade habitam esse statuit propterea quod a pugna Cnidia, in qua Dicaeogenes II obiisse dicitur §. 6, amplius duodecim anni praeterierint, quum haec adversus Dicaeogenem III causa ageretur (vid. §. 7), necdum finitum fuerit bellum Olynthium (§. 46). At vero non animadvertit vir doctissimus quae leguntur §. 35: non enim duodecim sed duo et viginti amplius annos ab illo proelio, in quo Dicaeogenes cecidit, praeteriisse intellexisset. Nam quum

post hujus mortem divisa inter filium adoptivum et quattuor sorores defuncti bona per duodecim annos ab his possessa essent, post hoc tempus totam hereditatem solus cepit Dicaeogenes III, posseditque per decennium, donec tandem a sororum illarum filiis in jus vocatus est. Itaque si in nobili illa ad Cnidum pugna Ol. 96, 3, a. C. 394 Dicaeogenes II mortuus est, hanc nostram causam non Ol. 99 sed circiter Ol. 102 ineunte, a. C. 372 actam esse oportebit, septem post finitum bellum Olynthium annis. Contra si recte ex §. 46 colligitur bellum Olynthium, quum haec oratio haberetur, nondum finitum fuisse, Dicaeogenem, qui viginti duobus minimum annis ante obierit, mortuum esse oportebit inter a. 404 et 401, decem aut septem ante pugnam Cnidiam annis. Itaque aut illud falsum esse apparet, quod §. 7 nobilis illa Cnidia pugna anni 394, aut illud, quod §. 46 bellum Olynthium a. 382 — 379 gestum significari creditur. Ego vero utrumque falsum esse, h. e. neque priore loco illam Cnidiam pugnam, neque altero Olynthium bellum designari affirmo. Etenim possidebatur a Dicaeogene III tota patris adoptivi hereditas illo ipso temporis spatio, quo bellum Corinthium gestum est, h. e. inter ann. 395 — 387. Id manifestum fit primum §. 37, ubi exprobratur illi, quod tam opima hereditate potitus nihil tamen in rei publicae usum erogare sustinuerit praeterquam semel post captum Lechaeum h. e. a. 393; dein §. 11, ubi Cephisodotum materna hereditatis portione spoliatum pro calone cum fratre suo Harmodio Corinthum ad exercitum miserit. Igitur etiamsi eodem demum anno, quo captum est Lechaeum, Dicaeogeni totam hereditatem adjudicatam sumas, decennii tamen illius, quo possedit, extremus annus erit 384, biennio ante belli Olynthii finem; Dicaeogenes II autem occubuisse dicendus erit circ. 405, undecim ante pugnam Cnidiam annis. — Jam vero accepisse hereditatem Dicaeogenes III dicitur δυστυχησάσης τῆς πόλεως καὶ στάσεως γενομένης κἀγῶνος, §. 7, quale tempus intra decem ante captum Lechaeum annos non aliud inveniri posse puto

quam post captas a Lysandro Athenas institutamque XXX virorum dominationem. Jam si hoc fere tempore h. e. circ. 403 totam hereditatem cepit, id quum duodecim post Dicaeogenis II mortem annis factum sit, hunc circ. 415 obiisse oportet. At enim nulla hoc anno pugna apud Cnidum ab historicis commemoratur. Possim equidem reponere tali argumento nihil effici, nisi quis forte vincat omnes etiam levissimas dimicationes, quales permultas per bellicosum illud tempus accidisse consentaneum est, ab historicis memoriae mandari oportuisse. Ante tamen quam tali defensione utar, videamus num forte alia rei expediendae via relicta sit. Et monuerunt jam Augerius et Jonesius apud Thucydidem VIII, 42 mentionem fieri pugnae navalis prope Cnidum commissae a. 412, eamque ipsam esse statuerunt in qua Dicaeogenes occubuerit; quod si recte statuerunt, tempus illud, quum tota hereditate Dicaeogenes III potitus est, incidet circ. in a. 400. Atqui in hoc tempus non quadrare videntur quae §. 11 de urbis calamitate et discordia civium ac seditione dicuntur. Nempe haec oratoria magis quam historica fide ab adversario dicta sunt, qui quo majorem Dicaeogeni invidiam conflaret, adjutum eum esse criminatur ab hominibus seditiosis et publicae calamitatis opportunitate ad opprimendos coheredes usum, licet re vera illo tempore, quum hereditatem auferret, quies jam esset restituta. Hanc sententiam si amplectamur — et videtur mihi quidem non improbabilis — orationem nostram circ. a. 390, Ol. 97, 3, aut paullo post habitam esse oportet, durante etiamtum bello Corinthio.

Quid autem fiet Olynthiis istis, Athenarum propugnatoribus, §. 46? Concedent mihi, opinor, omnes pro Atheniensibus Olynthios non magis illo tempore propugnasse quam postea, quum adversus Spartanos bellum illud gererent, quod Olynthium vocari solet, ab a. 372 ad 369. Quid multa? Exturbandos eos hoc loco non dubito, revocandosque Corinthios, Atheniensium socios, qui prima nominis litera mutilati dein li-

brariorum errore in Olynthios mutati sunt. Corinthios autem illo tempore pro Atheniensibus pugnasse orator sine ulla dubitatione dicere potuit.

---

§. 1. *διεφερόμεθα*. Duae erant controversiae, altera de hereditate, quae quidem pactione terminata est, altera dein pactionis condicionibus non impletis exorta. Ex his priorem nunc designari manifestum est, quamobrem non *διαφερόμεθα* sed *διεφερόμεθα* scribendum cum optimo codice Crippsiano. Ceterum constructio haec est: *τὰ ὡμολογημένα περὶ ὧν διεφερόμεθα* —, neque igitur ante *τὰ ὡμολ.* interpungendum. *Ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου* autem est *coram judicibus*, quemadmodum infra §. 19: *ὁμολογήσας ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου*, quod paullo post dicitur *ἐναντίον τῶν δικαστῶν*, et fragm. pro Euphilet. §. 9: *ὅρκον ὀμόσαι ἐπὶ τοῦ διαιτητοῦ*, ibidemque §. 11: *μάρτυρας καὶ ἐπὶ τοῦ διαιτητοῦ καὶ ἐφ' ὑμῶν παρεχόμεθα.* Cf. Wessel. ad Diodor. XVI, 93. Schaefer. Melett. critt. p. 105. Quamquam satis hoc quidem vulgare; sed dativum quoque nonnunquam hoc sensu cum praepositione conjungi observat idem Schaeferus ad Longum p. 428. Cf. Fritzsch. Quaestt. Luciann. p. 139.

ἀναμφισβήτητα —. H. e. de quibus a nemine nobis controversia moveri, quae a nemine, v. c. pro pignore, vindicari possent, *καθαρὰ καὶ ἀνέπαφα*, ut explicat graeca hypothesis; quemadmodum *ἀνέπαφα* dicit Demosth. adv. Lacrit. p. 926, 12. in Dionysod. p. 1294, 8. 15. 28, et *ἐλεύθερα* adv. Lacr. p. 930, 4. adv. Phaenipp. p. 1044, 23.

ὥσπερ ἀντωμόσαμεν. Ut modo professi sumus in *ἀντωμοσίᾳ*, de qua vid. de ord. jud. p. 624 sq. Fallitur igitur Reiskius *ὥνπερ* rescribendum esse censens, quippe illud jusjurandum designari ratus, quo pactio inter Dicaeogenem et adversarios confirmata sit.

§. 2. *Κηφισόδοτος οὑτοσί*. Cf. §. 5 extr.

§. 3. *οὐδ' ἂν αὐτὸν οἶμαι* —. Grammaticorum de discrimine inter *οἶμαι* et *οἴομαι* praeceptum rectissime Buttmannus tutatus est Gramm. max. II p. 195, hoc

ipso loco usus. Verum ut οἶμαι nunquam pro οἴομαι dici facile credo, ita οἴομαι tamen pro οἶμαι dictum, h. e. de certa persuasione non de incerta opinione positum, damnare equidem non ausim. Ita e. c. orat. de Nicostr. her. §. 20 οἶμαι dici potuisse nemo neget; neque tamen οἴομαι vitiosum puto. Quamquam proclivem in tam tenui unius literae discrimine librariorum lapsum fuisse et res ipsa ostendit, et exemplis apparet. Cf. var. lect. ad or. de Ciron. her. §. 28. Sed οἴομαι pro οἶμαι legitur etiam apud Demosth. ctr. Aphob. III p. 853, 6. Xenoph. Oecon. 16, 2. Aliter autem de his formis statuit Schaeferus App. crit. IV p. 102. [et *Engelhardt.* Annott. critt. in Demosth. oratt. p. 22 sq.]

τὴν ἐξεγγύην ὅτι ἀπέδωκεν. Apparet ἐξεγγύην h. l. dici pro simplici ἐγγύην, quod est in hac ipsa loquutione ap. Demosth. adv. Nicostr. p. 1255, 2: μὴ ἀποδιδῷ τὴν ἐγγύην. Cf. id. adv. Apatur. p. 900, 17. 26. Alias autem ἐξεγγύη et ἐξεγγυᾶσθαι proprie dicitur de eo, qui fidejubendo alterum vinculis liberat. Cf. de ord. jud. p. 521. — ὅτι conjunctio post ὡς illata plane est ex usu optimorum quorumque scriptorum, cujus aliquot exempla nuper congessit Car. Foertschius Obss. critt. in Lys. p. 45 sq.

ἃ ἔλαβε. Scil. οὗτος, Dicaeogenes III. Sed tam subitam subjecti mutationem, ubi nihil obscuritatis et ambiguitatis existere potest, non refugiunt oratores. cf. de Philoctem. her. §. 5. de Cir. her. §. 36. Demosth. ctr. Phorm. p. 912, 7: ὃς οὐκ ἔφασκεν οὔτε τὰ χρήματα ἐντεθεῖσθαι τοῦτον, οὔτε τὸ χρυσίον ἀπειληφέναι. scil. αὐτός. Id. pro Phorm. p. 945, 6: ταῦτα πάντα πεποιηκὼς Φορμίων — — ἐπειδὴ φέρειν οὐκέτι τοῦτον οἷός τ' ἐστι, δίκην λαχὼν αὐτῷ ταύτην συκοφαντεῖ. sc. οὗτος, Ἀπολλόδωρος. Id. adv. Spud. p. 1031, 21: αἰτιάσεται δὲ Πολύευκτον καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ φήσει ταῦτα πάνθ' ὑπ' ἐμοῦ πεισθέντας καταχαρίσασθαι — καὶ μεγάλα βλάπτεσθαι. sc. αὐτός. Or. in Neaer. p. 1384, 23: τῶν νόμων αὐτῶν ἀκούετε — τί κελεύουσι καὶ τί παραβεβήκασι. sc. οὗτοι, οἱ ἀντίδικοι. Ibid. p. 1385, 19: ἀλλ' οὐ γυναῖκα εἶναι

αὐτόῦ, ἀλλὰ παλλακὴν ἔχειν ἔνδον sc. ἐκεῖνον αὐτήν. Ib. p. 1356 in.: ἐκώμαζέ τ' ἀεὶ μετ' αὐτοῦ (sc. ἡ Νέαιρα) συνῆν τ' ἐμφανῶς (sc. ὁ Φρυνίων) ὁπότε βουληθείη, φιλοτιμίαν τὴν ἐξουσίαν πρὸς τοὺς ὁρῶντας ποιούμενος. Cf. et or. in Timocr. p. 721, 8. ctr. Zenoth. p. 887, 20. et, quem Schaeferus laudat App. crit. V p. 49, Heindorf. ad Plat. Euthydem. p. 318. Phaedon. p. 72. Protag. p. 382. — Ceterum post ἔλαβε dubitari non potest quin exciderit titulus hujusmodi: Ἀπογραφὴ τῶν ὑπὸ Δικαιογένους καταλειφθέντων χρημάτων. Simile vitium apud Lysiam de bon. Aristoph. p. 631 extr. animadversum a Marklando sustulit Bekkerus. Cf. ib. p. 657 §. 57 Bekk.

§. 4. μάρτυρας παρεξόμεθα. „Imo vero παρεσχόμεθα vel παρεσχήμεθα.“ *Reisk.* Scilicet quia non statim citantur hi testes. At citantur postea §. 18, licet etiam supra §. 2 citati sint. Etiam ἀντωμοσία, quae modo recitata est, nunc iterum recitatur, id quod Jonesium adeo offendit, ut ἀπογραφὴν pro ἀντωμοσίαν scriptum mallet.

§. 5. Λεωχάρης ἢ Δικαιογένης. Hunc illi συνήγορον affuisse consentaneum est. Reus enim nunc non est nisi Leochares. De plurali verbi ἔμελλον, quum non copulentur subjecta, sed disjungantur ἢ particula, vid. Matth. ad Eurip. Hecub. 84. Schaefer. et Brem. ad Demosth. I adv. Aphob. p. 817, 11. — Paullo infra Πολυάρατος scripsit Reiskius pro Πολύαρτος, eique obsequutus est etiam Jonesius: et sane Πολύαρτος nomen alibi me legere non memini, quum alterum illud longe frequentissimum sit. Non tamen deserendam duxi omnium codicum lectionem, quum praesertim, si corrupta sit, quod affirmare nemo ausit, incerta tamen sit correctio, neque minore probabilitatis specie Πολύαρχος rescribi possit quam Πολυάρατος. Vid. ad or. de Cleonym. her. §. 5.

§. 6. τριήραρχος ἐκπλεύσας τῆς παράλου. Harpocratio: Πάραλος. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς (or. de Cherson. p. 97, 8.). μία τῶν παρ' Ἀθηναίων πρὸς τὰς δημοσίας χρείας διαπεμπομένων τριήρων, ἀπό τινος ἥρωος τοὔνομα

λαβοῦσα *Παράλου*. οἱ δὲ ἐπιβεβηκότες αὐτῆς ἐκαλοῦντο *Πάραλοι* (et *Παραλῖται*. Pollux VIII, 116). Plura de hac Paralo vid. ap. Suid. Phot. Lex. rhet. Bekk. p. 267, 21. 293, 3. 294, 1. Schol. ad Aristoph. Av. 147. 1207. Ran. 1103. Meurs. Lectt. Att. II, 7, et qui unus est instar omnium Boeckh. de oecon. rei publ. Ath. I p. 258, qui et de altera sacra triremi, quae Delia v. Salaminia vocabatur, et de iis, quae post accesserunt, Ammonide, Antigonide, Demetriade, Ptolemaide diligenter exposuit. Proeliorum non immunes Salaminiam et Paralum fuisse demonstrat etiam Thucydides III, 77.

μάρτυρας παρέξομαι. Hic quoque titulum *ΜΑΡΤΥΡΕΣ* excidisse apparet, monuitque jam Marklandus ad Lys. adv. Simon. p. 144.

§. 7. οὐσῶν δικῶν. H. e. quum aut nullum aut certe non perpetuum esset justitium. Nam belli tempore judicia, privata imprimis, cessare nonnunquam solebant. Vid. de ord. jud. p. 154.

ὑπὸ *Μέλανος* τοῦ *Αἰγυπτίου*. Aegyptius si fuit hic Melas, inquilinum (μέτοικον) Athenis fuisse oportet; et constat inquilinos a patria cognominari solitos esse, ut Hippiam Thasium, Xenophontem Icarium, Thrasybulum Calydonium, Apollodorum Megarensem, quorum mentio fit apud Lysiam in Agorat. p. 477 et 492: itemque Cleonymum Cretensem, qui nominatur infra §. 37, pro inquilino Reiskius habet, rectius, opinor, quam quod idem postea ad Demosth. de coron. p. 249, 13 hunc Cleonymum Atheniensem fuisse autumat ac civem, quo quis optimo jure, sed Cretensem vulgo dictum propterea, quod in Creta plurimum aetatis egisset, sicut T. Pomponius ab Athenis cognomen accepit. Quamquam in tali re quidquam affirmare quis ausit? Illud certe non verendum, ne quis corrupta haec cognomina credat et pro *Αἰγυπτίου* v. c. *Αἰγιλιέως* aut *Ἀγνουσίου*, pro *Κρὴς* autem *Κριωεὺς* rescribendum suadeat.

ἐφ᾽ ὅλῃ —. Si vera est lectio — et veram esse censeo — ἐφ᾽ ὅλῃ (sc. οὐσίᾳ) ποιεῖσθαι ex formula dictum videtur, quamquam alterum hujus exemplum, quod

quidem ego sciam, haud extat. — De loquutione *μαίνεσθαι τῇ λήξει* cf. ad or. de Menecl. her. §. 26.

§. 8. *ἠδικήθημεν, οὐχ ὑπὸ τῶν δικαστῶν* —. Cum eadem cauta verecundia de injusta judicum sententia loquitur etiam auctor orat. in Neaer. p. 1347 in.: *τῷ οὖν ἐξαπατήσαντι τῷ λόγῳ τοὺς δικαστὰς δίκαιον ὀργίζεσθαι, οὐ τοῖς ἐξαπατηθεῖσι.*

§. 10. *τούτων τε ἅμα καὶ ἐπίτροπος καὶ κύριος* —. Recte Reiskius ad h. l. et Platnerus de lit. et act. II p. 276 *κύριον* potissimum mulierum, *ἐπίτροπον* pupillorum respectu dici statuunt; quamquam etiam pupillorum *κυρίους* dici vidimus ad or. de Cleonymi her. §. 10. Neque tamen cum Reiskio *κύριον* h. l. ad solam Cephisodoti matrem pertinere contenderim; quin fieri potest, ut ad hanc omnino non pertineat. Certum est enim etiam alios praeter Cephisodotum fuisse Theopompi liberos, in quibus filias quoque fuisse credo. Vid. prooem. Quis igitur neget, pronomine *τούτων* solos liberos, exclusa matre, designari posse? quemadmodum etiam infra *ὀρφανοὶ* sunt soli liberi, et reliqua, quae hac §. sequuntur, ad hos, non ad matrem pertinere apparet, sicut §. 11 *παίδων ὄντων τούτων*. Itaque etiam illud *ἐγγυτάτω ὢν γένους* incertum est, utrum eo pertineat, quod Dicaeogenes matris fuit per adoptionem *ἀδελφιδοῦς*, naturali autem cognatione fortasse amitinus — quamquam ne haec quidem cognatio certa est — an Theopompi potius cognatus fuisse dicatur. — De collocatione *τε* particulae vid. ad or. de Philoct. her. §. 2.

ἀφείλετο πρὸ δίκης. Hoc non est *injuste*, *ἀδίκως*, ut interpretatur Bernhardyus Syntax. p. 232, sed *ante iudicium*, *πρίν τι ὑμᾶς ψηφίσασθαι*, quod legimus in or. de Astyph. her. §. 3. Scilicet ante jam, quam ipsi tota hereditas adjudicata esset, pupillorum portionem, utpote *κύριος* et *ἐπίτροπος*, ita administravit, ut eos spoliaret. — Etiam or. de Aristarchi her. §. 24 *πρὸ δίκης* est *non expectata judicum sententia*, ut apparet ex opposito *ἀξιοῦν ἐπιδικάζεσθαι*, neque debebat cum his locis conferri Euripideus, in Heraclid. v. 925: *ὦ*

θυμὸς ἦν πρὸ δίκης βίαιος, quod idem est, ac si dicas *βίαν πρὸ δίκης αἱρούμενος.* Rectius comparabimus Plutarch. Fab. Max. cap. 9: *καὶ γὰρ εἶρξαι τῷ δικτάτωρι καὶ θανατῶσαι πρὸ δίκης* (indicta causa) *ἔξεστι.*

§. 11. *καὶ κατασκάψας* —. Falso Reiskius haec ita interpretatur: „*Dicaeogenes empta Theopompi domo hortum illi domui assitum devastavit, in areaque, quam hortus olim occupaverat, domum exstruxit vel suae adstruxit.*" Conjunxit itaque *κατασκάψας τὸν κῆπον*, et *ποιεῖσθαι πρὸς τῇ οἰκίᾳ* sc. *τὸν κῆπον* significare credidit: *hortum domui astruxit*, h. e. *constructa horti area domum suam amplioren fecit.* Sed neque hoc unquam dici potuit *ποιεῖσθαι πρὸς τῇ οἰκίᾳ*, neque *κατασκάπτειν τὸν κῆπον* significat *hortum*, ut ille ait, *eradicare.* Apparet igitur *κατασκάψας* pertinere ad *τὴν οἰκίαν*, dirutaque Theopompi domo ex area hortum factum esse a Dicaeogene suae domui adjunctum. *Τὸν κῆπον: hortum illum, quem etiam nunc habet.* Similia articuli exempla sunt apud Schaef. ad Plutarch. tom. V p. 274. — Ceterum hoc ipsum contra jus factum est, quod pupillorum tutor domum emit (vid. Platner. de lit. et act. II p. 287); magis etiam, quod emptam diruit ac delevit; neque alienum est, quod Jonesius monet, proditoribus ac perduellibus hanc quoque poenam fuisse, ut domus eorum diruerentur. Vid. Psephism. de Antiphonte ap. Pseudo-Plut. vitt. X oratt. p. 833: *καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι — καὶ τὰς οἰκίας κατασκάψαι αὐτῶν.*

μίσθωσιν ὀγδοήκοντα μνᾶς. Cf. §. 35. Apparet *μίσθωσιν* esse reditus e fundis elocatis, pecuniis foenori datis perceptos. Cf. §. 36 extr.

ἀντ' ἀκολούθου. H. e. *pro calone.* Thucyd. VII, 75: *ἔφερον — καὶ οἱ ὁπλῖται καὶ οἱ ἱππῆς παρὰ τὸ εἰωθὸς αὐτοὶ τὰ σφέτερα αὐτῶν σιτία ὑπὸ τοῖς ὅπλοις — ἀπορίᾳ ἀκολούθων.* Hi alias *ὑπηρέται* vocari solent (vid. Boeckh. de oecon. rei publ. Ath. I p. 292), *ἀκόλουθοι* autem *pedisequi* h. e. servi, qui dominos in publicum prodeuntes sectantur. Duker. ad Thucyd. V, 28. — Fecit

autem hoc Dicaeogenes bello Corinthio, de quo vid. prooem. ad h. or.

ὅτι ἐμβάδας καὶ τριβώνια φορεῖ. Similiter Lysias or. in Diogit. p. 903: καὶ ἐκβάλλειν τούτους ἠξίωσας — ἐκ τῆς οἰκίας τῆς αὐτῶν ἐν τριβωνίοις, ἀνυποδήτους. — Ἐμβάδας a pauperioribus gestari solitos apparet etiam ex Aristoph. Plut. v. 759, ubi conf. Fischer.

§. 12. ὅθεν ἀπέλιπον —. *Unde digressus sum.* Nam dicitur ἀπολείπειν ἔκ τινος non minus quam ἀπολείπειν τι. Thucyd. V, 4: ἀπολιπόντες ἐκ τῶν Συρακουσῶν. Id. III, 10: ἀπολιπόντων ὑμῶν ἐκ τοῦ Μηδικοῦ πολέμου. Neque rarae sunt hujusmodi formulae: ὅθεν ἀπελίπομεν ἐπανέλθωμεν ap. Platon. Phaedon. p. 78. B. ὅθεν ἀπελίπομεν ἀναλάβωμεν αὖθις ap. Galen. de us. part. I, 9. 291 C. αὖθις ἐπάνιμεν ὅθεν λέγοντες ἀπελίπομεν ap. eund. ib. I, 14. 296 E, aliaque plura, quae congessit Lobeck. ad Phrynich. p. 43.

προσῆκον αὐτῷ —. H. e. Menexeno, non Cephisodoto, ut putat Bunsen. de jur. her. p. 27.

§. 13. τί ποιῆσαι; — Ita solent non raro oratores narrationis contextum interrumpere interrogatione inserta, qua judicum animos rei novae expectatione arrigant. Cf. or. de Philoct. her. §. 35 extr.: ἐσκόπουν ὅπως — δι' αὐτῶν ἔσοιτο ἡ οὐσία. καὶ τί ποιοῦσιν; ἀπογράφουσι τὼ παῖδε τούτω κτλ. Demosth. ctr. Spud. p. 1034, 9: αὐτὸς οὗτος μέγιστος ἔσται μοι μάρτυς, οὐ λόγῳ — ἀλλ' ἔργῳ περιφανεῖ. τί ποιῶν, ὦ ἄ. δ.; — Id. ctr. Eubulid. p. 1301, 19: καὶ βουλεύων, ὦ ἄνδρ. δικ., καὶ κύριος ὢν τοῦ θ' ὅρκου καὶ τῶν γραμμάτων ἐξ ὧν ἀνεκάλει τοὺς δημότας, τί ποιεῖ; πρῶτον μὲν — κατέτριψε τὴν ἡμέραν κτλ.

ἀφεῖναι. Vid. Harpocrat. v. ἀφεὶς καὶ ἀπαλλάξας. τὸ μὲν ἀφεὶς, ὅταν ἀπολύσῃ τίς τινα τῶν ἐγκλημάτων ὧν ἐνεκάλει αὐτῷ, τὸ δὲ ἀπαλλάξας, ὅταν πείσῃ τὸν ἐγκαλοῦντα ἀποστῆναι καὶ μηκέτι ἐγκαλεῖν. Cf. §. 1 huj. or.: ἀφήκαμεν ἀλλήλους τῶν ἐγκλημάτων. §. 14: ἀφεὶς τοὺς μάρτυρας καὶ ἡμᾶς προδούς. Lys. adv. Simon. p. 148 extr.: ἀφειμένους τῶν ἐγκλημάτων. Demosth. in Stephan. I

p. 1103, 7: ὡς ἀφῆκα αὐτὸν τῶν ἐγκλημάτων. ib. 1114, 1: ὡς ἀφέντος ἐμοῦ τῶν ἐγκλημάτων αὐτόν. Plura vid. in Reisk. Ind. Graec. Demosth.

§. 14. ἡμεῖς δὲ καθηγούμενοι —. H. e. ἡγούμενοι, νομίζοντες. Rarissima verbi significatio, cujus aliud exemplum haud scio an nullum inveniatur. — Paullo post ἐπειδὴ οἱ μάρτυρες ἑάλωσαν oratorie magis quam vere dictum est, quum unus tantum, Lyco, damnatus esset; quamquam reliqui ejusdem rei testes illo quasi praejudicio debebant et ipsi damnati videri. Damnatis autem testibus fieri non poterat quin testamentum, cujus illi testes erant, suppositicium videretur, ac proin recte contra Dicaeogenem, qui ex testamento hereditatem accepisset, ἀναδικία institueretur. Conf. de ord. jud. p. 759 sqq. Ceterum e §. 35 discimus, decimo haec anno post adjudicatam Dicaeogeni totam hereditatem acta esse; ut appareat, praescriptioni quinquennii, de qua vid. de ord. jud. p. 637, in hujusmodi causis locum non fuisse. Cf. prooem. ad orat. de Aristarch. hered. — Pro ἀμφισβητοῦμεν Reisk. malebat ἠμφισβητοῦμεν, quo non opus, modo praesens pro praeterito accipiatur.

§. 15. ἡ μὲν πάλαι πολλῷ, ἡ δ' ὕστερον. Reiskio et deesse hic aliquid et transpositum aliud videtur; planiorem utique hanc lectionem fore: ἡ μὲν πάλαι, ἡ δὲ πολλῷ ὕστερον γεγραμμένη. Sed hoc γεγραμμένη plane non opus est; sufficit ἐφάνη e superioribus hic tacite suppleri. Πολλῷ autem adverbio postpositum me quidem non magis offendit, quam πολὺν χρόνον πάνυ apud Demosth. ctr. Conon. p. 1256, 2. βραχύ τι — πάνυ ap. eund. in prooem. demeg. p. 1430, 3. ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πάνυ ap. Platon. Hipp. maj. p. 282. E. πολλὴν πάνυ προῖκα ap. Lys. pro bon. Aristoph. p. 623.

ἑάλωσαν ψευδομαρτυριῶν. Aldi lectio ψευδομαρτυριῶντες jure displicuit Reiskio, et mutanda erat etiam sine codicum auctoritate, quemadmodum idem vitium etiam apud Andocidem de myster. p. 4, 3 ab eo recte sublatum est, ubi postea codices a Bekkero collati emendationem probarunt. Atque praeter hos duos locos nusquam

illud verbum inventum est. Nam quod Sluiterus Lectt. Andocc. p. 106 apud Lysiam quoque extare dicit, in errorem eum induxit Taylori locus negligentius inspectus, Lectt. Lysiac. p. 228, ubi quum duo loci citentur, alter Andocideus ille, alter Lysiacus, auctorum nomina ita a Tayloro adscripta sunt, ut Lysiae verba videri primo aspectu possint, quae sunt Andocidis. Meierus autem de ord. jud. p. 384 not. 51 etiam in hac nostra oratione p. 95, 4 R. (§. 12 extr.) verbum illud invenisse sibi videtur, nescio quo errore deceptus. Ceterum si unquam in usu fuisset *ψευδομαρτυριᾶν* pro *τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν*, utroque tamen loco, et nostro et Andocideo, non *ψευδομαρτυριῶντες* sed *ψευδομαρτυριάσαντες* scribendum fuisset.

§. 16. *ἀμφοῖν δὲ ταῖν διαθήκαιν ἀκύροιν γενομέναιν* —. H. e.: *δέον δὲ ἀμφ. τὰς διαθήκας ἀκύρους εἶναι.* Cf. ad or. de Cleonym. her. §. 44.

διεμαρτύρησε —. Videmus hac *διαμαρτυρίᾳ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον* etiam eum uti, qui testamento adoptatus esset, licet capi ab hoc hereditas sine *ἐπιδικασίᾳ* non posset. Vid. de Pyrrhi her. §. 61 extr. et prooem. ad or. de Menecl. her.

§. 17. *ἡ μὲν λῆξις τοῦ κλήρου διεγράφη.* Vid. de ord. jud. p. 27 not. 3 et p. 640.

ἐξαιρεθεισῶν τῶν ψήφων —. Scil. *ἐκ τοῦ καδίσκου.* Apparebat, etiam non dinumeratis calculis, plures esse atros quam albos; pronuntiari tamen condemnatio nisi dinumeratis calculis non potuit. Propterea ad preces se convertunt adversarii, ne dinumerentur.

ὅσα ἡμῖν ἐξεγένετο διαπράξασθαι. Erat enim haec falsi testimonii actio *ἀγὼν τιμητός*, gravissima itaque mulcta irrogari poterat, cui solvendae impar esset adversarius ac proinde *ἄτιμος* fieret. Huc enim pertinet §. 19: *ἐγγενόμενον ἡμῖν αὐτὸν — ἀτιμῶσαι.* Conf. de ord. jud. p. 383 sq.

§. 18. *μὴ συναριθμεῖν* —. Expectes potius *διαριθμεῖν.* Sed tamen illud quoque ferendum, quum in ipsa dinu-

meratione fiat etiam utrorumque, alborum calculorum et atrorum, συναρίθμησις.

ὁ Πλωθεὺς —. Hoc reponendum putari pro Πλωτιεύς, quod nihili est. A Πλωθειά, qui pagus est Aegeidis, paganus dicitur Πλωθεὺς et Πλωθειεύς. Vid. Vales. ad Harpocr. h. v. Corsini F. A. Tom. I p. 242. Utraque forma reperitur in inscriptionibus, sed Πλωθεὺς frequentius. Cf. Boeckh. Corp. Inscript. I. no. 82. 115. 183. Apud Plautum Epidic. III, 4, 2 scribendum fortasse: *Senex ubi habitat Periphanes Plothëus*. Codd. *Platonius*, quod Scaliger mutavit in *Plothenius*.

§. 20. τῶν δικαστῶν, πεντακοσίων ὄντων —. Fuit haec una Heliastarum decuria. Vid. de sort. jud. p. 23. cf. de ord. jud. p. 139. — τῶν περιεστηκότων, qui auscultandi causa circumsteterunt. Vid. de ord. jud. p. 149. Demosth. c. Onetor. I p. 872. not. ad or. de Cleon. her. §. 1. — Postrema periodi verba: οὐκ οἶδ' ὅ τι ἂν ἐποίησεν —. Reiskius recte interpretatur: *quid eo factum fuisset*, *was er würde gemacht oder angefangen haben*; secus in conversione: *Atqui factum qui infitiatur id, cujus testes fuerunt judices —, quid ille vobis facturus videtur, si pauciores minorisque auctoritatis testes habuisset?*

§. 21. εἰ Δικαιογένης ἀληθῆ λέγει. Scilicet fatebatur Dicaeogenes se duobus trientibus cessisse, diffitebatur autem se hos ἀναμφισβητήτους redditurum promisisse. Hoc e sequentibus tam manifestum, ut Reiskium hic errare potuisse mirer; qui quidem etiam paullo infra scribendum putat εἰ ἀπέστη λόγῳ μόνον: *verbotenus tantum, non reapse*. Sed nihil vulgata lectione sanius.

οἱ παρὰ τούτου πριάμενοι —. Cum significatione praeteriti, pro ὠνησάμενοι, quam formam improbant Grammatici. Vid. Phrynich. p. 137 ibiq. Lobeck. Neque enim solus indicativus ἐπριάμην hanc vim habet, ut putat Matthiaeus Gr. Gr. p. 485. Participii manifesta sunt exempla, praeter hunc nostrum locum, or. de Hagn. her. §. 48: τὸ χωρίον ἀποδόμενος καὶ τριήρη πριάμενος καὶ ταύτην πληρωσάμενος εἰς Κρήτην ἐξέπλευσεν. Orat. in Neaer. p. 1369, 20: συνευπορήσας ἀναλωμάτων — καὶ ὑπελθὼν

καὶ τὴν ἀρχὴν παρ' αὐτοῦ πριάμενος πάρεδρος γενόμενος —, aliaque non pauca. Ceterum conf. Buttmannum Gr. Gr. II p. 223 rectissime de hoc verbo praecipientem. — Quod sequitur καὶ θέμενοι est ὑποθέμενοι. Vid. de ord. jud. p. 505 not. 83.

§. 22. ἔξω τείχους. Abest articulus, ut saepe quum urbis moenia designantur. Cf. Elmsl. ad Aristoph. Acharn. ap. Dindorf. tom. V p. 74. Item ἐν πεδίῳ pro ἐν τῷ πεδίῳ recte dicitur, quum sit hoc quodammodo proprii nominis instar, designetque eam Atticae partem, quae est a Megaride ad Boeotiae confinia montesque Parnethem, Brilessum, Pentelicum. Cf. de comit. p. 342. Demosth. ctr. Timoth. p. 1187, 20: ὁ ἐν πεδίῳ ἀγρός. — In sequentibus ad οἱ — πριάμενοι facile e κεκομίσμεθα suppletur ἔχουσι, neque excidisse hoc verbum putabimus cum Reiskio. Nihil est tali zeugmate frequentius. — Denique ἡμεῖς οὐκ ἐξάγομεν ad ἐξαγωγὴν pertinet, quae non solum ab hypothecariis institui potuit, sed etiam contra hypothecarios, si quis melius in hypothecam jus suum esse contenderet. Cf. Demosth. ctr. Zenoth. p. 887 in. Hac igitur noluerunt uti, quoniam, quum usi essent contra unum ex hypothecariis, ab hoc in jus vocati et quadraginta minis mulctati erant. Scilicet haec erat ἐπωβελία, actio autem ab hypothecario adversus ipsos propter illam ἐξαγωγὴν instituta erat ἐξούλης. Cf. de ord. jud. p. 492 et 486, et de epobelia ib. p. 733, ubi hujus loci memor esse debebam. — Μικίωνα scribendum putavi pro Μηκίωνα. Quam facile haec permutari potuerint apparet, et in orat. ctr. Theocrin. p. 1323,

13 pro Μικίωνος in cod. Bavar. est Μίκωνος. Ceterum conf. Koen. ad Gregor. Cor. p. 282.

φάσκοντος μὴ βεβαιώσειν. Negatio plane necessaria, neque debebat a Bekkero uncinis includi. Promiserat Dicaeogenes, se Micioni auctoritatem contra adversarios non praestiturum, et tamen postea praestitit. De βεβαιώσει vid. de ord. jud. p. 526 sqq.

§. 25. εἰ καὶ μὴ γέγραπται. H. e. *etiamsi non scripta sunt*, non *etsi*. Cf. Schaef. App. crit. V p. 56.

§. 26. τὴν ἀδελφὴν τὴν [ἑαυ]τοῦ. De h. l. vid. prooem. p. 288 sq.

§. 27. παραδιδόναι αὐτῷ τὴν συνοικίαν —. Rationem hujus rei non satis perspicuam mihi esse fateor. Quam Dicaeogenes tutor pupillae dotem dixerat, ea nunc, delata ad mulierem hereditatis portione, repetitur. Num igitur hereditate accepta dos retineri non potuit? — Si pactionis illius, quam Dicaeogenes cum adversariis inierat, condiciones omnes teneremus, hinc haud dubie certius hic locus explicari posset; nunc conjectura proponenda, satis tamen, ut opinor, probabilis. Scilicet Cephisodoti sorori — hanc enim esse illam mulierem statuo — quum amissa avunculi hereditate ad summam egestatem redacta esset (vid. §. 10), dos a tutore donata erat. Postea hic, quum restituere hereditatem cogeretur, dotem sibi illam reddendam a mulieris marito pepigerat; ideoque nunc sibi eam reddi Leochares postulavit, quippe qui de restituenda hereditate fidejussisset, et a quo proinde mulieris portio exigi posset.

§. 28. περὶ ἐπισκευῆς τοῦ βαλανείου —. Illius, opinor, cujus §. 22 mentio facta est, quod pro hypotheca Micioni obligatum erat. De vocc. ἐπισκευή et ἐπισκευάζειν cf. Mor. ad Isocr. Panegyr. p. 121 ed. Spohn. — *Καὶ πρότερον*. H. e. non in hereditatis lite, de qua §. 16 narratur, sed in ἐξούλης judicio, quum pro Micione Dicaeogenes βεβαιωτὴς fieret.

§. 29. ἀντὶ τῶν λειτουργιῶν — scil. quibus functus erat Dicaeogenes, quum totam hereditatem possideret. Hae liturgiae quae et quales fuerint, infra §. 36 exponitur.

οὕτω τῶν δικαστῶν γιγνωσκόντων. Apparet ipsis judicibus intercedentibus consiliumque suum et auctoritatem interponentibus pactionem inter Dicaeogenem ejusque adversarios confectam esse.

ἐξαιρεθέντες. „Videtur aut ἐξαίρετον legendum esse aut ἐξαιρεθεῖσαν.“ Reisk. Ego nihil mutandum censeo,

licet alibi ἐξαιρεθῆναι pro ἐξελέσθαι non inventum sit. Etiam δαπανηθεὶς §. 43 pro δαπανήσας aut δαπανησάμενος — nam utrumque locum ibi habere potest — proprium est Isaeo, et ἀπελογήθη pro ἀπελογήσατο habent Antipho p. 641. Xenoph. Hellen. II, 4, 13, et ἀπεκρίθην pro ἀπεκρινάμην quum apud sequiores frequentissimum est, tum apud Xenoph. Anab. II, 1, 22 legitur in nonnullis codicibus. His addantur ἐκτυπωθέντας ap. Isocr. de permut. p. 97, 9 Orell., quod in ἐκτυπωσαμένους mutandum Coraes censuit —, πρηγματευθέντες apud Herodot. II, 87. ἐλοιδορήθη et λοιδορηθέντος ap. Demosth. in Mid. p. 558, 6 et in Conon. p. 1257, 23. κατῳκτίσθην ap. Eurip. Iphig. Aul. 686. ὑποδεχθεὶς id. Heracl. v. 757. χρησθεὶς Soph. Antig. v. 24, de quo loco probandum puto F. C. Wexii judicium. — Sed, ut dicam quod sentio, videtur mihi Isaeus consulto ἐξαιρεθέντες de iis dixisse, qui passi essent, ut de suis rebus alter aliquid exciperet, non ἐξελόμενοι, quod de iis potius dicitur, qui ipsi sibi aliquid excipiunt; eodemque modo et δαπανηθῆναί τι de eo, qui non voluntate sua, sed vi et necessitate coactus sumptus de suo non tam fecit quam passus est.

§. 30. ἔδομεν scribendum putavi cum Reisk. et Bekk. pro παρέδομεν, quod unde ortum sit, nemini obscurum est. Et recte Reiskius animadvertit, sententiae loci simplex potius quam compositum verbum accommodatum esse. Nam παραδιδόναι mihi is demum recte dici posse videtur, qui quod ipse habet, alteri tradit, non qui alterum, quod is jam possidet, retinere sinit.

ἀφελέσθαι ἃ εἶχεν. Nam si summo jure agere voluissent, ne illud quidem testamentum valuisset, quo in tertiam partem bonorum adoptatus erat Dicaeogenes, sed totam hereditatem sororibus defuncti earumque liberis tradi oportuisset. Vid. §. 14 et 16.

§. 31. δίαιταν ἡμᾶς ἐπιτροπεύειν —. Δίαιταν ἐπιτρέπειν multis locis legitur, δίαιταν ἐπιτροπεύειν hoc uno, nisi ego magnopere fallor. Et Reiskio quoque in indice hanc loquutionem suspectam fuisse video. Ἐπιτροπεύειν

est tutorem esse, pro tutore pupillum curare et rem pupilli administrare.

οἷς οὗτοι γνοῖεν. Bekkerus, etiam Reiskio suadente, ἂν inseruit, sed uncinis inclusum. Et sane infra §. 33 extr. legimus: ὁρκώσαντες ἡμᾶς ἦ μὴν ἐμμένειν οἷς ἂν αὐτοὶ γνοῖεν — scilicet εἰ γνοῖεν. Ita enim semper hujusmodi enuntiatio condicionalis supplenda est, ubi in narratione rei praeteritae optativus cum ἂν particula rem designat, quae tunc erat futura. Thucyd. VIII, 54: ἐψηφίσαντο τὸν Πείσανδρον καὶ δέκα ἄνδρας μετ' αὐτοῦ πράσσειν ὅπῃ ἂν αὐτοῖς δοκοίη scil. εἴ τι πράσσειν δοκοίη. Xenoph. Anab. I, 5, 9 νομίζων (h. e. ἐπεὶ ἐνόμιζεν) ὅσῳ μὲν ἂν θᾶττον ἔλθοι [εἰ ἔλθοι] τοσούτῳ ἀπαρασκευαστοτέρῳ βασιλεῖ μαχεῖσθαι — ad quem locum alia quaedam Xenophontea Kruegerus contulit. Cf. Demosth. in Mid. p. 518, 13: οὐ γὰρ — ὑβρίζεσθαι — τὴν παρασκευήν, ἣν ἂν ἐκ τῶν ἰδίων πορίσαιτό τις εἰς τὴν λειτουργίαν, ᾤεσθε χρῆναι — ubi recte Schaeferus: *quem quis, si forte, (εἰ τύχοι,) paravisset de suo.* Lucian. Gall. cap. 18 p. 292 Fritzsch.: ὅσῳ δὲ ἂν ξενίζοιμι, τοσούτῳ καινότερος ᾤμην αὐτοῖς ἔσεσθαι. Necessariam tamen nostro loco particulam nemo dixerit. Cf. Wunderlich. praef. ad Demosth. or. pro cor. p. XXXVIII sq.

§. 32. ἀνώμοτοι. Conf. Hudtwalck. de diaetetis p. 181. — εἰ δύναιντ' ἄν, quod Bekkerum offendit Add. p. 697, significat: *si futurum esset ut possent.* Nimirum hoc *posse*, quum sit pro hypothesi sequentis apodoseos οὕτω ποιήσειν, tamen et ipsum tamquam ex condicione aptum cogitatur, eaque condicio posita est haud dubie in rei disceptandae ratione. Nam quae plana sunt et facilia ad disceptandum, de his etiam injurato arbitro pronuntiare licebit: in difficilioribus autem et intricatioribus aequum est jurare arbitrum se diligenter ac religiose in causa cognoscenda versatum ex animi sententia pronuntiaturum esse. Ceterum de constructione cf. etiam Hermann. ad Viger. p. 830. Reisig. de ἂν part. p. 106. Matth. gr. Gr. p. 1019.

οὓς ἐγὼ προὔβαλον —. Videtur utique προὐβαλόμην le-

gendum esse, ut statim οὓς δὲ Λεωχάρης προὐβάλετο. Medium hoc sensu et de arbitris et de magistratibus frequentissimum; activum nusquam me legere memini. Cf. Demosth. in Timocr. p. 750, 10. in Boeot. de dote p. 1021, 17. in Mid. p. 519, 16. Andoc. de myst. p. 65. Plat. de legg. VI p. 755. C. D. 756. A. 763. D. ib. XI p. 916. C. Xenoph. Anab. VI, 1, 25. ib. 2, 6 et al. Reiskius quoque προὐβαλόμην se malle profitetur. — Dein καὶ ἀνώμοτοι καὶ ὀμόσαντες est *vel injurati vel jurati*, ut optionem litigantibus darent, quo sensu καὶ — καὶ non raro dicitur, velut ap. Homerum Iliad. XIII, 260: δούρατα δ', αἴ κ' ἐθέλησθα, καὶ ἓν καὶ εἴκοσι δήεις, et in illo frequentissimo καὶ δίκαια κἄδικα, cujus aliquot exempla vid. ap. Bergl. ad Aristoph. Plut. v. 233 et Küster. ad Equitt. v. 256; et ap. Thucyd. I, 82: διελθόντων ἐτῶν καὶ δύο καὶ τριῶν, quemadmodum etiam τὲ — καί, quod *sive* nonnunquam recte verteris cum Doederlino ad Soph. Oedip. Colon. v. 481.

οὐκ ἔφασαν ἀποφανεῖσθαι. Omnino sententiam dicere noluerunt, neque jurati neque injurati, quippe quum salva religione ac fide se pro Dicaeogene pronuntiare non posse intelligerent. Nihil igitur erat, quod Reiskius aut interponendum aut certe subaudiendum ἀνώμοτοι statueret, quo nihil ab hoc loco alienius fieri possit.

§. 33. τῷ ἐγγυησαμένῳ Δικαιογένην. Ita rescribendum fuit pro Δικαιογένει. Conf. §. 19: ἐγγυήσασθαι αὐτόν. §. 25: ὁ δ' ἐγγυησάμενος αὐτόν. Demosth. in Apatur. p. 899, 25: οὐκ ἠγγυησάμην ἐγὼ τὸν Παρμένοντα. Plat. Phaed. p. 115. D: ἐγγυήσασθε οὖν με πρὸς Κρίτωνα — ubi conf. Heindorf. Bekkerus scripsit Δικαιογένη, sed hac accusativi forma Isaeus non usus esse videtur.

§. 34. τῶν δὲ Λεωχάρους ἰδίων. cf. Foertsch. Obss. ad Lys. p. 27.

§. 35. ὡς ἐγὼ ἀποφαίνω. Possit aliquis ἀποφανῶ scribendum putare, quum praesertim sequatur ἀποδείξω. Sed conf. quae dicta sunt ad or. de Menecl. hered. §. 2. Ejusdem generis sunt quae citantur a Doederlino ad Soph. Oed. Col. v. 859, Seidlero ad Eur. Electr. v. 1262.

§. 36. τῇ μὲν φυλῇ εἰς Διονύσια χορηγήσας —. Utrumque dici solet, χορηγεῖν εἰς Διονύσια et χορ. Διονυσίοις. Cf. Lys. ἀπολ. δωροδ. p. 698: ἀνδράσι χορηγῶν εἰς Διονύσια — καὶ ἐπὶ Διοκλέους Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς κυκλικῷ χορῷ — et p. 699: ἐγυμνασιάρχουν εἰς Προμήθεια, et Isae. de Apoll. her. §. 36: γεγυμνασιάρχηκα εἰς Προμ., quemadmodum fabulae quoque dicuntur διδαχθῆναι v. c. εἰς Λήναια in Didascaliis ad Aristoph. Ranas, Aves, Equites, Vespas, sed ἐν Ληναίοις in Did. ad Acharnenses. Nimirum εἰς significat *ad festum concelebrandum*, neque video cur Bernhardyo hoc minus recte dici videatur, Syntax. p. 215. — Ceterum Διονύσια simpliciter appellari solent *urbana* s. *magna Liberalia*, quae Elaphebolione mense celebrabantur, vid. Boeckh. de Dionysiis in Comm. Acad. Boruss. Qualis autem chorus Dicaeogeni ornandus obtigerit, non apparet; non enim tragoedos tantum et comoedos, sed alios quoque, v. c. saltatores et tibicines committi illo Dionysiorum festo solitos esse constat, velut Demosthenem αὐληταῖς ἀνδράσιν choragum fuisse novimus ex or. in Midiam, ἀνδράσι χορηγὸς εἰς Διόνυσια fuit is cui scripta est Lysiae oratio modo laudata, παισὶν et ἀνδράσι χορηγοὶ enumerantur in Inscriptione ap. Boeckhium no. 213 p. 343. Quodsi quinos cujusque generis choros commissos esse statuimus, Dicaeogenem penultimum judicatum esse videmus. De quinis fabulis certa res esse videtur. Vid. Boeckh. l. l. p. 352.

τραγῳδοῖς δὲ καὶ πυῤῥιχισταῖς —. Horum scilicet non eodem sed alio tempore choragus fuit; neque enim binae eodem tempore liturgiae obeundae erant. Vid. Boeckh. de oecon. rei publ. Ath. I p. 486.

ταύτας δὲ μόνας — λειτουργίας. Reiskius malle se dicit τὰς λειτουργίας. At conf. Lys. de caed. Eratosth. p. 8: ταύτην γὰρ ἐμαυτῷ μόνην ἡγοῦμαι σωτηρίαν — cujus structurae rationem recte exposuit Reisigius in Conjectt. p. 183. — De vi praepositionis in loquutione λειτουργῆσαι ἀπὸ τοσαύτης προσόδου vid. Baehr. ad Plutarch. Philopoem. p. 39. cf. infra §. 39.

οὐδ' ἑτέρῳ συμβέβληκεν —. Hoc de syntrierarchia accipiendum, quum binis hominibus singulae naves instruendae attribuebantur, qua de re vid. Boeckh. de oecon. r. p. A. II p. 89. Lys. in Diogiton. p. 907: *οὗτος γὰρ συντριηραρχῶν Ἀλέξιδι τῷ Ἀριστοδίκου φάσκων δυεῖν δεούσας πεντήκοντα μνᾶς ἐκείνῳ συμβαλέσθαι* —. ib. p. 909: *τέτταρας καὶ εἴκοσι μνᾶς ἐκείνῳ συμβαλέσθαι εἰς τὴν τριηραρχίαν*. Activum autem *συμβάλλειν* hoc *contribuendi* sensu longe rarissimum est; extat tamen fortasse etiam apud Lycurgum in Leocrat. cap. 15 in.: *ἥξει δὲ ἴσως ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λόγον φερόμενος, ὃν αὐτῷ συμβεβλήκασί τινες τῶν συνηγόρων* — h. e. *ad eam excusationem confugiet, quam nonnulli e defensoribus tanquam symbolam ei suppeditarunt*. Melior certe haec explicatio illa, quam Hauptmannus proposuit „*composuerunt* — *ut Lat. conjicere in chartam* —," quam Blumio probari potuisse magnopere miror. Sed verum arbitror *συμβεβουλεύκασι*, quod Bekkerus ex optimis codicibus reposuit. Ego olim conjeceram *ὑποβεβλήκασι*. — Ceterum etiam altera illa *conjectandi* significatio licet medio *συμβάλλεσθαι* maxime propria sit, tamen ab activo *συμβάλλειν* non plane aliena est. Vid. Creuzer. Comm. Herodott. p. 303.

ἀλλ' ἕτεροι μὲν — *τριηραρχοῦσι*. Conf. Boeckh. de oecon. r. p. A. II p. 121. Et de *μέν*, cui non respondet *δέ*, vid. Hoogeveen. de part. p. 456 Schütz. Scilicet tacite suppleri potest: *οὗτος δ' οὔ*.

§. 37. *εἰσφορῶν* —. *Εἰσφοραὶ* proprie quidem tributa sunt, belli tempore imperata, quorum nemo immunis erat praeter capite censos (cf. Boeck. l. l. p. 5 et de comit. p. 290.); nunc autem latiore sensu collationes illae designantur voluntariae, quae proprie *ἐπιδόσεις* dicuntur, de quibus vid. quae dicta sunt de comit. p. 292. Add. Herald. animadvers. in Salmas. p. 408. 411 sqq. — *Ἐπέδωκεν*: *professus est se collaturum*, ut simplex *διδόναι* saepenumero de eo, qui se aliquid daturum ostendit atque offert, licet non det reapse.

§. 38. *ἔμπροσθεν τῶν ἐπωνύμων*. Horum statuae in foro collocatae erant (Pausan. I, 5, 1) et novas quoque

leges apud eas promulgari solitas esse novimus e Demosth. or. in Timocrat. p. 708. Cf. Wolf. prolegg. ad Demosth. Lept. p. CXXXIII.

§. 39. *εἰς μὲν τὴν πόλιν* —. Hic quoque Reiskio *μὲν* non sufficere visum transitioni indicandae, nisi *τοίνυν* adderetur. Cf. ad or. de Pyrrh. her. §. 13. Ita infra §. 43 pro *τὸν μὲν τούτου οἶκον* mavult *τὸν μέντοι τούτου οἶκον*, et de Philoct. her. §. 8 pro: *ὡς μὲν διέθετο* — *ὡς μὲν οὖν δ.*, item de Astyph. her. §. 5: *ὅτι μὲν οὐκ ἔθαψε* — addi jubet *οὖν*, et apud Lysiam quoque in Alcib. p. 519: *περὶ μὲν τῶν ἄλλων* — *οὖν* deesse censet, quod additum nunc ex uno codice est a Bekkero et Foertschio.

ὅτι μεῖζον ἐδυνήθη. Tolerari sane *ὅτι* potest; malim tamen *ὅτε* — *quo tempore*, scil. in illa rei publicae calamitate, quum ipse et amicus ejus Melas *διὰ τὰς τῆς πόλεως συμφορὰς ἐξουσίαν σφίσιν αὐτοῖς ἡγοῦντο εἶναι κεκτῆσθαι τἀλλότρια*, ut ait §. 8.

εἰς τοὺς μισθωτοὺς ἰόντας. *Μισθωτοὺς* Reiskius eos esse credit, qui apud exteras civitates stipendia mereant, quales multi apud comicos Romanos inducuntur, qui *effugiunt ex urbe*, egestate aut delictis coacti, abeuntque *latrocinatum aut in Asiam aut in Ciliciam*, ut est apud Plautum Trinumm. II, 4, 199, queriturque etiam Isocrates Panegyr. c. 44 p. 128 Sp.: *πολλοὺς δι' ἔνδειαν τῶν καθ' ἡμέραν ἐπικουρεῖν ἀναγκαζομένους*. Plura de his militum mercenariorum gregibus, quibus plena illo tempore Graecia erat, vid. ap. Wachsmuth. Antiquitt. Hell. I, 2 p. 313. Mihi tamen potius de operariis cogitandum videtur, qui manu quaestum faciunt mercede conducti. Hi enim proprie *μισθωτοὶ* vocari solent, ut ap. Theophrast. Charact. c. 4. Demosth. ctr. Timoth. p. 1199, 21. Harpocrat. v. *Κολωνίτας*, solebantque certis urbis locis congregari conductorem expectantes, imprimis in Colono (Cf. Harpocrat. l. l. ibique interpp.), quamobrem qui his se aggregat recte dicetur *εἰς τοὺς μισθωτοὺς ἰέναι*.

ἐν τῷ τῆς Εἰληθυίας ἱερῷ —. Hanc nominis formam

Εἰλήθυια pro *Εἰλείθυια* tuentur codices nonnulli in Herodot. lib. IV c. 35, item Callimach. hymn. in Del. v. 132. Pausan. II, 5, 1. Hesych. tom. I p. 1106 et al. quos laudat Schaeferus ad Gregor. Corinth. p. 911. — Cur autem in Ilithyiae potissimum aede consederit Dicaeogenis mater, quidve filio exprobraverit, nemo a me sibi narrari postulabit. Reiskio tamen, quum a praegnantibus et parturientibus Ilithyia invocaretur, „videtur paene mater Dicaeogenis partui propinqua se e filio gravidam factam questa esse eumque incestus insimulasse.“

§. 40. *Μέλανα — ἀποστερήσας ἔχθιστός ἐστι.* Conf. Krüger. ad Dionys. historigr. p. 419.

§. 41. *ἐν Διονύσου τρίποδας —.* De his tripodibus, quos ludorum musicorum victores Baccho aut Apollini dedicare solebant, satis est laudare Boeckhium Corp. Inscr. vol. I p. 342. Ex his nonnulli in ipso templorum ambitu positi erant, plerique in via propinqua, quae *Τρίποδες* propter id ipsum nominata est. Plutarch. vit. Nic. c. 3: *ὁ τοῖς χορηγικοῖς τρίποσιν ὑποκείμενος ἐν Διονύσου νεώς.* Plat. Gorg. p. 472, A: *Νικίας καὶ οἱ ἀδελφοὶ ὧν οἱ τρίποδες οἱ ἐφεξῆς ἑστῶτές εἰσιν ἐν τῷ Διονυσίῳ.* — In Pythio autem s. Pythii Apollinis templo tripodes ab iis, qui Thargeliorum festo vicissent *χορῷ κυκλίῳ*, positos esse docemur a Suida v. *Πύθιον.* Pythium enim Apollinem ut *πατρῷον* Athenienses coluerunt, et duo ejus in Attica templa fuerunt, alterum in pago Oenoë, alterum, in quo tripodes dedicabantur, in urbe et quidem ad illam tripedum viam prope templum Jovis Olympii. Vid. Müller. in Ersch. et Grub. Encyclop. VI p. 235 sq. Add. intt. ad Thucyd. VI, 54, et de altero Pythio Müller. Dor. I p. 239. Ceterum quum non templum solum *Πύθιον* vocaretur, sed deus ipse *Πύθιος*, non erat quod hoc *ἐν Πυθίου* mire dictum videretur Bernhardyo Syntax. p. 184. Cf. Plat. Gorg. l. l. *οὔ ἐστιν ἐν Πυθίου τοῦτο τὸ καλὸν ἀνάθημα.* Ita enim ibi recte Heindorfius e codice quodam scripsit pro *ἐν Πυθοῖ*, quamquam ipsi *ἐν Πυθίῳ* melius esse videtur.

§. 42. *ἀπαρχὰς* non solum *primitias* sed quasvis ob-

lationes designare, quum quis partem opum suarum dis offert, docet etiam Eurip. Andromach. v. 150. Cf. Hesych. tom. I p. 428: ἀπαρχή· προςφορά, ἀφαίρεμα. scr. ἀφαίρημα. Et de tributis quoque subditorum est ap. Thuc. VI, 20. Ἀγάλματα autem sunt cujusvis generis donaria, non solum statuae. Vid. Ruhnken. ad Timae. p. 5. Boeckh. Corp. Inscript. I p. 7. Τὸ ἱερὸν denique, quum in arce haec donaria dedicata sint, Parthenonem esse statuo, in quo plurima ἀναθήματα fuisse constat. Cf. Boeck. l. l. p. 176 sqq. — πολλοῖς, ὡς ἀπὸ ἰδίας κτήσεως: *multis, ut de privato patrimonio.* De hoc usu particulae ὡς cf. Thuc. I, 10 extr. IV, 84 extr. ibiq. Duker. VI, 20: πόλεις — τὸ πλῆθος, ὡς ἐν μιᾷ νήσῳ, πολλὰς τὰς Ἑλληνίδας.

ἡ ἐν Ἐλευσῖνι μάχη. Videtur Reiskio haec illa pugna esse, de qua Thucydides I, 114 narret. Scilicet Olymp. LXXXIII, 3, quum Athenienses bello Euboico occupati essent, Lacedaemonii Plistonacte duce Atticam invaserunt, agrisque usque ad Eleusinem Thriamque devastatis recesserunt; sed proelium illo tempore commissum esse neque Thucydides narrat, neque quisquam credet, qui Plutarchum contulerit vit. Pericl. c. 22. Palmerius autem Exercitatt. p. 670 pugnam hanc apud Eleusinem eo bello commissam esse suspicatur, quod Ol. LXXX, 3 gestum esse Diodorus refert lib. XI cap. 79, quum Megarensibus adversus Corinthios auxilium ferrent Athenienses. Sed neque Diodorus de proelio apud Eleusinem loquitur, neque probabile est, in Atticam usque Corinthios tunc progressos esse. Itaque aut ignotum aliquod proelium significari dicemus, aut Dobraei emendationem probabimus, qui in epistola ad Rosium, in huj. Inscriptt. Graec. vetust. p. 417, Ἐλευσῖνι in Ἁλιεῦσι mutandum esse statuit. Nam pugnae apud Halias mentionem faciunt Thucyd. I, 104. Diodor. XI, 78, eaque ἐν Ἁλιεῦσι dicitur in Inscriptione ap. Boeckh. no. 165. Annus autem hujus quoque pugnae est Ol. LXXX, 3, ut Boeckhius docuit p. 294. —

φυλαρχῶν τῆς Ὀλυσίας ἐν Σπαρτώλῳ. Ad Spartolum

pugna inter Athenienses et Chalcidenses Ol. LXXXVII, 4 commissa narratur a Thucyd. II, 79. Sed τῆς Ὀλυσίας quid sit, nemo dixerit. Itaque Palmerius l. l. τῆς Ὀλυνθίας reponi jubet; fuisse enim Spartolum Olyntho propinquam et in Olynthiorum ditione. Et sane proximam fuisse e Thucyd. l. l. apparet; cf. Poppon. prolegg. 2 p. 358 sq.; subjectam fuisse neque Thucydides dicit neque alio ullo indicio colligi potest. Conf. etiam V, 18. Post finitum autem bellum Peloponnesiacum dubitari vix potest quin in societate Olynthiaca fuerit (conf. Voemel. prolegg. ad Demosth. Philipp. I et Olynth. p. 25), quae qualis fuerit e Xenophonte intelligitur Hellen. V, 2, 12 sqq. neque post bellum cum Spartanis fractas Olynthiorum opes, sed magis etiam auctas esse constat. Igitur fieri potuit profecto, ut Isaei aetate pleraeque urbes vicinae Olynthiis subjectae essent et totus ille tractus Olynthiae nomine appellaretur; quo illum nomine nunc uti, licet illo proelio recentiori, mirum videri non poterit. Nam apud Thucydidem ἡ Βοττικὴ Spartolus vocatur, unde Harpocratio quoque πόλιν τῆς Βοττικῆς dicit. Itaque multo sane probabilior haec Palmerii conjectura, quam Reiskii, τῆς Ὀδρυσίας, scilicet ut Isaeus, locorum non satis peritus, Odrysiam cum Bottiaea commiscuisse statuatur. Alteram Reiskii conjecturam, quam tamen ipse longe a verisimilitudine abesse profitetur, τῆς Ὀδυσσείας legendum esse, idque conjungendum cum φυλαρχῶν ac turmae equestris nomen habendum, et deterius etiam Jonesii commentum, Ὀλυσίαν turmae nomen fuisse, cognatum illud cum ὀλοός, ὀλέθριος — verbo commemorare satis est. — De structura autem τῆς Ὀλυνθίας ἐν Σπαρτώλῳ vid. Schaef. ad L. Bos. p. 399. Φυλάρχους turmarum praefectos fuisse nemo ignorat. De παράλῳ dictum est ad §. 6, de proelio ad Cnidum in prooemio.

§. 43. ἐξαργυρισάμενος. Vid. Duk. ad Thucyd. VIII, 81. Wesseling. ad Diodor. tom. II p. 495. — Καθιπποτροφεῖν, *rem familiarem equis alendis perdere.* Ex eodem genere est καταπαιδεραστεῖν, orat. de Aristarch.

her. §. 25, καταφροντίζειν ap. Aristoph. Nubb. v. 859. κατοικοδομεῖν ap. Plutarch. Public. cap. 16 extr. aliaque ap. Zeunium ad Viger. p. 638. — ζεῦγος ὀρικὸν legimus etiam in or. de Philoct. hered. §. 33, explicaturque ab Harpocratione: ὀρικὰ ζεύγη, τὰ τῶν ὀρέων, τουτέστι τὰ τῶν ἡμιόνων. Conf. ib. interpp. et Hemsterhus. ad Polluc. VII, 183. Pierson. ad Moer. p. 273.

§. 44. ἐκ τῶν πολεμίων ἐλύσω οὐδένα. Hac enim honestissima et gratissima liberalitate non raro opulentiores uti solebant, ut tenuiores cives e captivitate redimerent. Praedicat hoc Lysias de se ac fratre suo, or. ctr. Eratosth. p. 397. de patre suo is cui scripta est orat. de bon. Aristoph. p. 659. de se Demosth. or. de cor. p. 316, 4. de f. leg. p. 412. Cf. ib. p. 395, 12 et Aeschin. p. 274.

εἰς τὴν πόλιν. H. e. εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Thucyd. II, 15 ibiq. intt.

§. 45. διὰ τί οὖν ἀξιώσεις. Conferas cum hoc loco persimilem ap. Lysiam in Nicomach. p. 863 et in Andoc. p. 249 sqq.

§. 46. εἰς ὃν — ἀποθνήσκουσι μαχόμενοι. Apparet hanc esse brachylogiam pro εἰς ὃν πορευθέντες ἀποθν. μαχ., quemadmodum θύειν εἰς τὰ ἱερὰ apud Thucyd. VI, 54, θύειν εἰς τὴν πανήγυριν ap. Lysiam in Andoc. p. 199, πανηγυρίζειν εἰς Βούβαστιν πόλιν ap. Herodot. II, 65 aliaque ejus generis apud Hemsterhusium ad Aristoph. Plut. p. 456. Bellum autem designari Corinthium, et de lectione Ὀλύνθιοι quid statuendum videatur, dixi in prooemio.

ὅτι τὸν τύραννον ἀπέκτειναν. Hipparchum designari ab Harmodio interfectum non est quod moneam.

§. 47. ἢ Ἁρμοδίου. scil. ἀπόγονος. Filius enim fuit Proxeni. De victu autem in Prytaneo et immunitate Harmodii et Aristogitonis posteris data vid. Meursii Pisistr. cap. 14. Wolf. prolegg. ad Demosth. Lept. p. LXVI.

IN ORATIONEM VI.

DE PHILOCTEMONIS HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Euctemo quidam ex uxore Mixiadis Cephisii filia tres sustulit filios, Philoctemonem, Hegemonem, Ergamenem, filias autem duas, quarum alteram Phanostratus, alteram Chaereas uxorem duxit. Adultis jam liberis Euctemo, licet provectus aetate, amare coepit Alcen quandam, libertinam, quae, quum antea meretricium quaestum fecisset, post ab illo insulae cuidam suae in Ceramico praeposita erat. Huc quum saepius ventitaret ad locarium exigendum adeo paullatim mulieris consuetudine captus est, ut plerumque apud eam coenaret, postremo, frustra dehortantibus uxore et filiis, domo sua et familia relicta et divortio etiam cum uxore facto *), plane apud illam in Ceramico habitaret. Erant autem duo Alcae filii, ex Dione quodam, ut orator ait, homine libertino concepti; horum majorem persuadet mulier seni ut tanquam suum et legitimum in phratriam inducere conetur; quod quum neque Philoctemo, qui unus adhuc de tribus Euctemonis filiis superstes erat, concederet, et phratores puerum istum albo suo inscribere recusarent, iratus Euctemo minatur se uxorem ducturum Democratis Aphidnaei sororem, ex qua videlicet liberos, si non procrearet, id quod per aetatem sperari non potuit, at procreatos mentiretur et in phratriam induceret, quo Philoctemoni damnum aliquando

*) Vid. not. ad §. 21.

fieret, si hereditatem paternam cum illis partiri cogeretur. Quod quum intelligerent necessarii persuadent Philoctemoni ut sinat illum Alces filium in phratriam induci unumque ei agrum ex Euctemonis patrimonio legari. Ita re transacta aliquo post tempore Philoctemo in pugna apud Chium mortem obit; Euctemo autem quae cum filio pepigerat coram generis Chaerea et Phanostrato tabulis consignata apud amicum Pythodorum Cephisium deponit. Relictum autem etiam a Philoctemone erat testamentum, quo, quum ipse liberos non haberet, sororis suae et Phanostrati filium Chaerestratum adoptaverat.

Mox Androcles et Antidorus, Euctemonis cognati, quo senem decrepitum et propter aetatem etiam mente minus validum despolient, societatem cum Alce ineunt; persuadent Euctemoni, ut tabulas illas, quas apud Pythodorum deposuerat, tollat, dein fundos suos divendat; quippe nummos facilius quam fundos legitimis heredibus subtrahi posse: omnem rem familiarem Euctemonis ipsi ita administrant, ut ex lautissimo patrimonio perpauca tantum reliqua fiant; denique eo audaciae procedunt, ut vivo etiam sene archontem adeant, filios illos Alces ab Ergamene et Philoctemone, defunctis Euctemonis filiis, adoptatos seque iis tutores relictos esse simulent bonaque eorum elocari postulent. Neque tamen hoc efficiunt, quum archon et judices ab amicis defunctorum veritatem edocti illorum postulata rejiciant.

Tandem Euctemo moritur annos natus sex et nonaginta. Hereditatem ejus petit Chaerestratus, Euctemonis ex altera filia et Phanostrato nepos, qui se ab avunculo Philoctemone adoptatum dicit ideoque, quum nullos legitimos filios Euctemo reliquisset, neque nepotes essent ex Ergamene et Hegemone, totam hereditatem, quae, si Philoctemo viveret, ad hunc ventura fuisset, nunc sibi, filio ejus adoptivo, adjudicari postulat. Ex altera autem parte Androcles procedit et Antidorus. Et Androcles quidem duas res agit plane inter se contrarias; primum enim alteram ex Euctemonis filiabus,

Chaereae viduam, sibi, ut proximo cognato, in matrimonium dari postulat tamquam epiclerum, cum quinta hereditatis parte; de qua petitione quid statuendum videatur, paullo post exponam; deinde, quum ita nihil profici posse intelligeret, una cum Antidoro tutorem se profitetur duobus Alces filiis, hos ab Euctemone legitimo matrimonio e Callippe Pistoxeni filia procreatos esse asseverat, quumque testamentum Philoctemonis, quo adoptatus diceretur Chaerestratus, nullum sit, totam et Euctemonis et Philoctemonis hereditatem istis pupillis suis deberi contendit. Atque ut repellat Chaerestratum διαμαρτυρίαν interponit, non posse hereditatem in controversiam vocari: superesse enim legitimos Euctemonis filios, Philoctemonem autem intestatum obiisse. Propter hanc διαμαρτυρίαν falsi testimonii postulatur a Chaerestrato. Huic patrocinatur is, cui haec oratio ab Isaeo scripta est. Est igitur haec συνηγορία, sed talis, quae summam totius causae sola contineat. Chaerestratus enim, admodum adolescens, nihil nisi breve prooemium pronuntiasse videtur, in eoque adolescentiam suam et dicendi imperitiam causatus petiisse a judicibus, ut hunc suum patronum verba pro se facere sinerent. Neque poterat sane per verecundiam et pietatem de avi peccatis a nepote libere et ut res postulabat exponi.

Eximia autem arte haec causa ab Isaeo tractatur. Nam quum si intestatus Philoctemo decessisset, non hujus nunc, sed Euctemonis hereditas a Chaerestrato ceterisque, qui se proximos defuncto probarent, petenda fuisset, hoc primum demonstrat, et adoptatum esse Philoctemonis testamento Chaerestratum, et licuisse illi testamentum facere: nam hoc quoque adversarii non quidem in διαμαρτυρίᾳ, sed tamen in anacrisi negaverant.*) Jam vero ut demonstret, non esse Euctemonis filios, qui ab adversariis dicantur, propterea que omnem Euctemonis hereditatem ad neminem nisi ad heredem Philoctemonis pertinere, cui quidem ipsi, si viveret, haud

*) Vid. §. 52 c, not.

dubie deberetur, primum illud refutat, quod adversarii mentiti erant, esse eos e cive Attica, Callippe Pistoxeni filia, legitimo matrimonio procreatos: deinde cujus sint filii exponit, totamque rem de Euctemonis consuetudine cum Alce, eorum matre, de hujus mulieris atque Androclis et Antidori fraudibus, ut Euctemonis senectute et amentia abusi sint, quamque et vivo Euctemone et post ejus mortem avide, petulanter, nefarie egerint, ita describit, ut non possint auditores non summa ira atque indignatione permoveri. Revertitur dein eo, quod adversarii testatum esse Philoctemonem negaverant, simulque ne licuisse quidem ei testari contenderant. Id vero prorsus impudenter factum esse. Nam sive testatus sit quum testari non licuerit, hoc ipsum, non licuisse, etiam in διαμαρτυρίᾳ ponendum, non solum verbis in anacrisi proferendum fuisse; sive non testatus sit, non oportuisse eos διαμαρτυρίᾳ illa uti, tamquam pro filiis Euctemonis legitimis, sed recto judicio (ita enim licebit graecum εὐθυδικίᾳ convertere) jus suum experiri. Etenim διαμαρτυρίαν nullam aliam ob causam esse interpositam, nisi ut, etiamsi nunc vincantur neque potiantur, istorum pupillorum suorum nomine, Euctemonis bonis, tamen possint etiam postea, si pronunciatum fuerit, hereditatem in controversiam vocari licere, suo sibi nomine eadem petere. Atque quam nulla iis fides habenda sit, vel eo apparere, quod ipsi sibi contraria agant, quum Androcles et filiam sibi Euctemonis tamquam epiclerum in matrimonium dari petierit cum quinta parte hereditatis, ut quae ἐπίδικος esset, et διαμαρτυρίᾳ interposita, quasi legitimi essent Euctemonis filii, ἐπίδικον hereditatem esse negaverit.

Denique quum etiam invidiam Chaerestrato, misericordiam pupillis suis conciliare studeant, illum divitem, hos miseros atque egenos esse dicentes, huic quoque artificio ita occurrit orator, ut divitias illas Chaerestratum pariter atque majores ejus in rei publicae magis quam in suos usus convertisse et vel propter hanc cau-

sam dignum esse demonstret, cui judices debitam hereditatem eripi ab adversariis non concedant.

Causam paullo intricatiorem et cognitu difficiliorem esse apparet, in qua tractanda errorem nonnullis juris Attici scriptoribus objectum esse nemo miretur. Ac primum quidem Bunsenius de jur. her. p. 28 eo orationis nostrae loco, ubi Chaereae viduam cum quinta hereditatis parte in matrimonium sibi Androcles petiisse dicitur, §. 46, stabiliri putavit conjecturam suam, de qua in prooemio ad orat. de Dicaeog. hered. dictum est, fratrum hereditates inter sorores sororumque liberos ita divisas esse, ut aequas illae cum suis ipsarum liberis portiones acciperent. Alio enim modo explicari non posse Androclis petitionem putat, nisi ut statuatur „*et duas Philoctemonis sorores et liberos earum, ex altera filiam, ex altera filios duos, aequis partibus hereditatem accepturas fuisse, si justam causam Androcles habuisset.*“ Atque „*hoc*“ inquit „*verum esse ex reliqua etiam oratione apparere videtur: semper enim Isaeus Euctemonis filias, Philoctemonis sorores, earumque liberos hereditate ab illo privari conqueritur.*“ Scilicet non satis attendit vir ceteroquin diligentissimus, mulierem illam ab Androcle ut Euctemonis filiam peti, omninoque hereditatem, de qua agitur, Euctemonis esse non Philoctemonis contendi, quamobrem etiam ipse orator illis quos Bunsenius designavit locis, §. 47. 56. 30, non fratris et avunculi, sed patris et avi bona heredibus ereptum iri queritur. Loquitur autem his locis non de priore ista Androclis petitione, qua Chaereae viduam cum quinta bonorum parte sibi dari postulaverat, quattuor saltem partes reliquis heredibus concedens; sed de ea, quam postea una cum Antidoro instituerat, illi priori plane contrariam, quum pupillis suis, ut legitimis Euctemonis filiis, totam hereditatem solis deberi contenderet. — Itaque de sororum quidem jure in fratris bona non magis quidquam ex nostra oratione quam ex illa de Dicaeogenis hereditate effici potest. Tamen vel sic mireris, qua ratione quintam hereditatis partem, non

dimidiam, Androcles petierit. Nam quod Heraldus ait, Animadv. in Salmas. p. 251, quinque fuisse Euctemonis filias, ex quibus unam innuptam, Chaereae viduam, hoc quidem manifesto falsum est. Duas enim fuisse orator diserte testatur §. 10. Jonesius autem quum recte animadvertisset, filiis Euctemonis omnibus ante patrem mortuis, non potuisse hereditatem non ad filias earumque liberos pertinere, *) ex Androclis quidem mente, qui adoptatum a Philoctemone Chaerestratum negaret; inter duas filias ac tres earum liberos in capita dividendam fuisse hereditatem statuit. Et sane hoc mihi quoque, ut in re obscurissima, maxime probandum videtur, ut in avi materni bona nepotes una cum filiabus, liberos cum matribus, successisse statuamus, etiamsi in avunculi bonis coheredes matribus liberos fuisse non quidem prorsus negavi, at demonstrari certe non posse probavi. Nam Androclis petitio quanam alia ratione explicari possit, non intelligo. Et video Bunsenium quoque in eadem esse sententia, ut nepotibus neptibusque ex avi materni hereditate partem etiam matre viva concedat, de jur. her. p. 19. Neque sine ratione hoc ita institutum a legislatore censeo. Filias enim *ἐπικλήρους*, etiamsi nuptae essent, *ἐπιδίκους* fuisse constat.**) Quodsi ab aliquo cognato per *ἐπιδικασίαν* peterentur, priore matrimonio soluto iniquum videbatur, liberos hoc matrimonio procreatos nihil plane de avi bonis accipere.

Quod autem quae ab Euctemone relicta erant petebantur a Chaerestrato tamquam Philoctemonis bona, id qua ratione factum sit, jam supra breviter indicatum est. Scilicet Chaerestrati petitio nitebatur Philoctemonis testamento atque adoptione. Ad hunc enim, si superstes fuisset, omnia Euctemonis bona pervenire haud dubie debuissent, fratribus Ergamene et Hegemone jam

*) Id orator ipse diserte eloquitur §. 30: *τῆς γὰρ — οὐσίας οὐδένα κύριον ἔσεσθαι τελευτήσαντος Εὐκτήμονος ἄλλον ἢ τὰς θυγατέρας καὶ τοὺς ἐκ τούτων γεγονότας.*

**) Cf. or. de Pyrrh. her. §. 64. de Aristarch. her. §. 19.

dudum sine prole mortuis. Jam vero in ejus locum Chaerestratus, filius adoptivus, successit, isque quum Euctemonis bona petat, tamen ut, quo titulo petat, statim appareat, Philoctemonis se hereditatem petere dicit, quippe quae Philoctemonis futura fuerit et per hunc, patrem adoptivum, ad se pertineat. Sed contra tendunt adversarii Euctemonis hanc hereditatem dicentes, non Philoctemonis, quippe cui ne licuerit quidem vivo patre bonorum paternorum heredem instituere. *) Et recte sane hoc dicerent, si alii tunc praeter ipsum Philoctemonem filii fuissent Euctemonis legitimi, id quod ipsi contendunt, Chaerestratus cum patrono negat. Sin unus fuit Philoctemo, dubitari non potest, quin qui ab hoc adoptatus sit ea omnia suo jure petere possit, quae ab Euctemone ad Philoctemonem, si viveret, perventura fuissent. Atque duplicem illam hereditatis a Philoctemone et ab Euctemone designationem recte etiam a Gansio explicatam video, de jur. her. I p. 368, neque intelligo quid Platnerum induxerit, I p. 330, ut Philoctemonis hereditatem ab Euctemonis sejungeret, et de illa, non de hac certari diceret. Quid? quod eorum, quae Philoctemo ipse reliquerit, nulla fit per totam orationem mentio, nisi his duobus locis: primum §. 36, ubi Androcles, vivo etiam tum Euctemone, ab archonte postulasse dicitur, ut Alces filiorum, quorum alterum a Philoctemone adoptatum simulaverat (§. 44), patrimonia elocarentur; quamquam hoc quale fuerit, in commentario ad §. 36 exponetur; deinde §. 47: *οἴονται δεῖν, ἀφελόμενοι τὰς Εὐκτήμονος θυγατέρας τὰς γνησίας καὶ τοὺς ἐκ τούτων γεγονότας, τόν τε Εὐκτήμονος οἶκον καὶ τὸν Φιλοκτήμονος ἔχειν.* Scilicet si pupillos suos adversarii legitimos Euctemonis filios probassent, fratris non minus, quippe intestati, ut illi contendebant, quam patris hereditas ad hos pertinuisset. Sed alibi

*) Quod Bunsenius p. 21 sq. patrem filii heredem fuisse statuit, ideoque Euctemonis bona dici quae a Philoctemone relicta essent, recte refutavit Gansius de jur. hered. I p. 369.

ita loquitur orator, ut communia patris ac filii bona fuisse significet, v. c. §. 38: *οὕτω πολλὴν οὐσίαν ἐκέκτητο Εὐκτήμων μετὰ τοῦ υἱέος Φιλοκτήμονος, ὥστε ἅμα τε τὰ μέγιστα ὑμῖν λειτουργεῖν ἀμφοτέρους κτλ.*, ex quo colligo, Philoctemonem, dum viveret, paterna bona cum patre communiter possedisse et administrasse, id quod vulgo fieri solebat. Peculiaria autem et a paternis sejuncta bona an omnino reliquerit non satis apparet. Quodsi reliquerit, haec certe a filio adoptivo statim post ejus mortem capta esse consentaneum videtur. Capi autem non poterant nisi per *ἐπιδικασίαν*, neque adjudicari filio adoptivo, nisi ipsa adoptione judicibus comprobata. Poterat igitur aut debebat potius Chaerestrati patronus hoc praejudicio uti, validissimo sane argumento, ad refellendos adversarios, qui adoptatum a Philoctemone Chaerestratum negabant. Atqui nusquam eo utitur. Neque igitur talis *ἐπιδικασία* facta esse videtur: unde non temere peculiaria bona nulla a Philoctemone relicta fuisse colligas, neque nimis illud urgendum, quod *τόν τε Εὐκτήμονος οἶκον* orator dicit *καὶ τὸν Φιλοκτήμονος*, quasi diversum utriusque patrimonium fuerit.

Quo tempore haec causa acta sit, nullo negotio intelligitur e §. 14: *τῇ μὲν γὰρ στρατιᾷ, ἀφ' οὗ ἐξέπλευσεν εἰς Σικελίαν, ἤδη ἐστὶ δύο καὶ πεντήκοντα ἔτη, ἀπὸ Ἀριμνήστου ἄρχοντος.* Exercitum illum in Siciliam missum esse constat belli Peloponnesiaci anno 17, a. C. 415, *θέρους μεσοῦντος ἤδη* (Thucyd. VI, 30.): igitur quum Arimnestus praeturam gereret Ol. 91, 1 h. e. ab aestate anni 416 ad aestatem a. 415, extremo Arimnesti anno, qui quidem finitur d. 8 Jul. 415 (vid. Ideler. Chronolog. tom. I. p. 384), illam expeditionem susceptam esse apparet (cf. Clinton. Fast. Hell. p. 78 Krüg.), a quo tempore si computantur anni duo et quinquaginta deducimur in a. 364 — 363 a. C. h. e. Ol. 104, 1.

Difficilior autem est quaestio de illa expeditione Siciliensi, cujus mentio fit §. 1: *ὅτε εἰς Σικελίαν ἐξέπλει τριηραρχῶν Χαιρέστρατος.* Hanc enim ab illa, quae Arimnesto archonte suscepta est, diversam esse apparet.

Nam Chaerestratus, quum haec oratio haberetur, adolescens adhuc fuit (vid. §. 60), neque igitur potuit expeditioni ante duos et quinquaginta annos susceptae interesse. Ac ne quis veterem lectionem *Μενέςρατος* veram esse et aliquem hoc nomine propinquum Chaerestrati designari credat, cujus is, qui orationem habet, ante 52 annos comes fuerit: primum hic ipse Menestratus quis esset indicari haud dubie judicibus debuit: qui enim nossent hominem, cujus hoc uno loco neque usquam praeterea per totam orationem mentio fit? dein absurdum foret a tali re ac tam multis ante annis gesta argumentum repeti amicitiae inter *συνήγορον* eumque, quem defendit, adolescentem, qui quidem tunc ne natus quidem erat: ut taceam hunc ipsum *συνήγορον*, si quidem illius sub Arimnesto expeditionis particeps fuerit, nunc plus quam septuagenarium esse oportere, cui aetati illud *συνηγορίας* officium vix convenire videatur. Itaque aut aliam quampiam expeditionem Siciliensem intelligi oportet, aut, si nullum post cladem illam Nicianam in Sicilia bellum ab Atheniensibus gestum esse constat, nescio sane quid faciendum sit. Nam illud quidem vix impune mihi abiturum esse spero, si hoc *εἰς Σικελίαν* prorsus exterminandum dixerim, ut profectum ab aliquo, qui magis disertam illius expeditionis designationem requirens, quum paullo infra Siciliensem commemorari videret, hanc etiam hoc loco designari opinatus verba ista *εἰς Σικελίαν* margini adscripserit, unde post a librariis in ipsum orationis contextum recepta sint. Talem veteris alicujus lectoris errorem ne quis prorsus incredibilem censeat Reiskii ad h. l. annotatio faciet, sive ea Taylori est: „*ceterum ex h. l. constat hanc causam tenente bello Peloponnesiaco, haud multo post cladem in Sicilia acceptam, actam fuisse.*" Ipsis autem oratoris auditoribus istam Chaerestrati expeditionem, utpote recentem haud dubie et plerisque notam, disertius designari haud opus fuit.

In Hypothesin.

Vers. 7. Ἀντιδώρου. Antidoro nomen fuisse alteri Alces filio ex ipsa oratione neutiquam cognoscitur, nec video unde grammaticus noster comperire potuerit. Decepit eum fortasse §. 47, ubi praeter tutorem Androclem v. Androclidem (vid. not.) etiam ipsum pupillum nominari consentaneum credidit. Sed Antidorum et ipsum unum e tutoribus fuisse docet §. 39 extr., qui locus simul etiam plures quam hunc et Androclem fuisse ostendit, quum εἷς τούτων dicatur, non ὁ ἕτερος.

vers. 8 sq. καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ. Hoc quoque manifesto falsum. Duos enim filios fuisse docet §. 26; filiae nusquam mentio fit.

In orationem ipsam.

§. 1. ἑάλωμεν εἰς τοὺς πολεμίους. Ita or. de Apollod. her. §. 8: ληφθέντος εἰς τοὺς πολεμίους. Plato de re publ. V p. 468. A: τὸν δὲ ζῶντα εἰς τοὺς πολεμίους ἁλόντα. Ratio loquutionis satis aperta est.

§. 2. ἄτοπον δὴ —. H. e. οὖν. Cf. or. de Apollod. her. §. 17. de Ciron. her. §. 4. Demosth. ctr. Macart. p. 1056, 15. 1078, 24 et al. pass. Quod autem ad veterem lectionem δὲ attinet, confundi saepenumero δή et δέ non est quod moneam. Cf. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 738. — De προδήλων vid. ad or. de Pyrrh. her. §. 19.

οὐ πειρῴμην. Ita cum Bekkero scribendum putavi ex optimis codicibus pro μὴ ἐπειρώμην. Quamquam etiam imperfecti vim ab hoc loco non alienam esse apparet; sed optativum in simili enunciatione habet etiam Plato Apolog. p. 28. D. E: δεινὰ ἂν εἴην εἰργασμένος, εἰ — τότε μὲν ἔμενον —, τοῦ δὲ θεοῦ τάττοντος — λείποιμι τὴν τάξιν. Lys. in Philon. p. 889: σχέτλιον ἂν εἴη, εἰ οὗτος μὲν — ἡγήσατο, ὑμεῖς δὲ — μὴ ἀποδοκιμάσαιτε. Neque οὐ πειρῴμην post condicionalem conjunctionem quemquam offendet, qui meminerit οὐ πειρᾶσθαι h. l. idem esse quod κατοκνεῖν. Ita δεινὸν ἂν εἴη πρᾶγμα, εἰ — οὐ τιμωρησόμεθα dixit Herodot. VII, 9

pro ἀτιμωρήτους ἐάσομεν v. περιοψόμεθα. — δεινὸν ἂν εἴη, εἰ — οὐ δαπανήσομεν Thucyd. I, 121 pro φεισόμεθα. — θαυμαστά γε λέγεις, εἰ — οὐκ ἐπιχειρεῖς Xenoph. Memorr. II, 3, 9 pro ἀμελεῖς. Alia hujus generis multa vid. ap. Schaeferum in H. Stephani Thesaur. c. 3523 B. Hermann. ad Eurip. Med. p. 344 Lips. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 948.

ἐξ ὧν ὑμεῖς τά τε εὔορκα ψηφιεῖσθε καὶ τούτοις τὰ δίκαια γενήσεται. Reiskii correctionem ὑμεῖς τε τὰ εὔορκα, quum nulla codicum auctoritate confirmari videatur, non ausus sum adoptare, quandoquidem in copulandis per τὲ — καὶ, τὲ — τὲ particulas membris saepenumero negligentiores fuisse scriptores satis constat. Quamquam quae hujus rei exempla a multis multa afferuntur, non unius omnia sunt generis. Partim enim eorum ejusmodi sunt, ut vox, quam sequitur τὲ in priori orationis membro, ad alteram in posteriori copulam cogitatione repetenda sit, velut ap. Platon. tom. XI p. 8 Bip.: σοφίας τῆς τε σαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων. h. e. καὶ τῆς τῶν νῦν ἀνθρώπων, qualia nonnulla tractavit Schaeferus Ind. ad poet. gnom. p. 367; partim non singulae notiones copulantur, sed sententiae inter se, pluribus utraque verbis prolata, conjunguntur, quarum in priori τὲ non ei voci postponitur, cui potissimum oportebat, sed liberius inseritur, velut ap. Thucyd. V, 44: δείσαντες μὴ τήν τε ξυμμαχίαν ποιήσωνται, καὶ ἅμα Πύλον ἀπαιτήσοντες. pro δείσαντές τε —. Ib. c. 11: νομίσαντες τὸν μὲν Βρασίδαν σωτῆρά τε σφῶν γεγενῆσθαι, καὶ ἐν τῷ παρόντι ἅμα τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ξυμμαχίαν — θεραπεύοντες. pro νομίσαντές τε —.; partim etiam anacoluthia statuenda est, ut scriptor inchoatam structuram deseruerit, velut Lycurgus in Leocrat. c. 14, 2: εἰ μὴ κατεγνώκει τε ἑαυτοῦ προδεδωκέναι τὴν πόλιν καὶ μεγάλα ἅπαντας ἠδικηκέναι, quod dictum videri possit pro: καὶ μεγάλα πάντας ἠδικηκότι ἑαυτῷ συνῄδει. Sed accuratius omnia in sua genera digerere longum est neque hujus loci: et sunt imprimis apud Thucydidem permulta, quae operosam ac subtilem disputationem postulent. Nostrum autem locum ita possis accipere, ut τούτοις τὰ δίκαια γενήσεται dictum statuas

pro τούτοις τὰ δίκαια ἀποδώσετε: similique ratione illud quoque defendi posse credo, quod legitur or. de Ciron. her. §. 1: οὗτοί τε τοῦ κλήρου λαγχάνουσιν — ἡμᾶς τε ὑβρίζουσιν. quod esse debebat ἡμεῖς τε ὑβριζόμεθα. Vid. not. ad h. l. Rarissima autem sunt ejusmodi exempla, quale extat in fragm. or. pro Euphil. §. 7: ὅτι ἡ μήτηρ ἀστή τέ ἐστι καὶ ὁ πατήρ, cui simile est illud in or. de Menecl. her. §. 1: βοηθεῖν τε τῷ πατρὶ — καὶ ἐμαυτῷ —, ubi quum duo sint unius verbi aut praedicati subjecta, quae horum alteri postponenda erat copula (τὲ) verbo vel praedicato postponitur, cui quidem neque respondet alterum in posteriori membro, neque quod respondeat subaudiri potest. Talis scriptorum negligentia mihi quidem parum verisimilis videtur, neque dubito quin illi loci corrigendi sint. Pari perversitate in copulandis duobus unius subjecti praedicatis subjecto apposita est copula, cujus vis non possit nisi ad praedicata pertinere, de Hagn. her. §. 12: ἐμοῦ τε ζῶντος καὶ — ἔχοντος, ubi scribendum fuit ἐμοῦ ζῶντός τε —, nisi verius videretur Isaeum scripsisse ἐμοῦ γε. Denique in or. de Dicaeog. her. §. 10: καὶ γὰρ τούτων τε ἅμα καὶ ἐπίτροπος καὶ κύριος καὶ ἀντίδικος ἦν, quo pertineat quidque sibi velit illud τὲ nemo dixerit. Scriptum autem fuisse credo ἅμα τε ἐπίτροπος κτλ. [cf. *Wellauer*. additamenta ad Vechneri Hellenolex. Vratisl. 1828.]

§. 3. λαχόντος — τοῦ κλήρου κατὰ τὸν νόμον. Vid. de ord. jud. p. 461. Apparet autem e sequentibus non aliam λῆξιν designari, quam eam quae post Euctemonis mortem facta est: neque antea, statim post Philoctemonis obitum, λῆξις ulla atque ἐπιδικασία bonorum patris adoptivi a Chaeréstrato instituta videtur, qua de re dixi in prooemio.

§. 4. τὸν κλῆρον — ἕξειν αὐτός. Nimirum Androcles, quum istos pupillos suos legitimos Euctemonis filios testaretur, nihil aliud agebat nisi ut bonis Euctemonis ipse potiretur. Eadem autem opera etiam sororis pupillorum suorum κύριος futurus erat.

§. 5. ὡς διέθετο — scil. ὁ Φιλοκτήμων, subita mu-

tatione subjecti, de qua dictum est ad or. de Dicaeog. her. §. 3.

§. 7. *ΔΙΑΘΗΚΗ.* Addendus fuit etiam alter titulus *ΜΑΡΤΥΡΙΑ.* Nam et pollicitus modo est se testes producturum, et ipsae testamenti tabulae nisi testibus comprobatae nullam fidem apud judices habere potuerunt.

§. 8. *ὡς μὲν διέθετο.* Vid. ad or. de Dicaeog. her. §. 39.

ὅθεν δικαιότατα —. Ambigit Reiskius *δικαιότατα* utrum in *δικαιότατον* mutandum, an pro adverbio, an pro adjectivo accipiendum sit; quod quidem si fiat, post *τὰ τοιαῦτα* deesse *ὄντα*, ut constructio sit: *ὅθεν ἡγοῦμαι εἶναι μανθάνειν* [i. e. *πάντας δύνασθαι μανθάνειν*] *τὰ τοιαῦτα ὄντα δικαιότατα* i. e. *ὅτι τὰ τοιαῦτά ἐστι δικαιότατα.* Sed neque mutandum quidquam est, neque addendum. Nam etiamsi pro adjectivo *δικαιότατα* accipias, hoc ipsum pro *δικαιότατον* dictum videri poterit, ex eo usu, cujus exempla vid. ap. Koen. ad Gregor. p. 130 et Matthiae gr. Gr. p. 829. Videtur tamen hic usus ab Isaei genere dicendi alienus esse, quamobrem malim equidem *δικαιότατα* pro adverbio accipere, ut construatur hoc modo: *ὅθεν δικαιότατα μανθάνειν τὰ τοιαῦτα εἶναι* (h. e. *ἐνεῖναι*) *ἡγοῦμαι: unde talia justissime disci posse arbitror.* Cf. quos laud. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 232. Et sane licitumne sit aliquid an illicitum nullo modo justius doceri potest, quam ex ipsis legibus.

§. 9. *τῶν ἐν τῷ νόμῳ.* Ita scribendum fuit, non *ἐκ τῶν νόμων*, quum una modo lex recitata sit. Ferendum foret *τῶν ἐκ τοῦ νόμου* scil. *ἀνεγνωσμένων*, non *πᾶσι γνωρίμων*, quod Reiskius supplebat. Sunt autem haec *φάρμακα*, *φίλτρα* et muliebres illecebrae, vis quoque ac vincula. Cf. Bunsen. p. 55.

§. 10. *ὡς υἱὸν εἶναι γνήσιον.* Reiskius aut deleri *ὡς* aut *οἶδεν* interponi jubet, quippe qui *ὡς* cum infinitivo apud Atticos scriptores non ferendum existimet. Eandem autem sententiam pronunciat de Lysiae loco *π. τραύμ.* p. 182: *καὶ μὴ ζητεῖτε τούτων ἔτι μείζους πίστεις· οὐ γὰρ ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν ἀλλ' ἢ ταύτας, ὡς οὐδὲν εἰς τοῦτον*

προνοηθῆναι, ubi aut ejiciendum censet ὡς, aut scribendum: ὡς εἰκός ἐστιν ἐμοὶ — προνοηθῆναι, passivam scilicet significationem huic infinitivo tribuens. Leniore ibi medicina Bekkerus ex Augeri sententia rescripsit προυνοήθην, id quod mihi quoque verum videtur, quum non ab εἰπεῖν haec pendeant sed a πίστεις, cui vocabulo infinitivus, non addito praesertim accusativo ἐμέ, durius subjungitur. Sed sunt alii praeterea loci, qui hunc nostrum satis vindicent, neque solum quales Matthiaeus attulit gr. Gr. p. 1058; qui quum inter particulam et infinitivum sententiam aliquam vel longiorem vel breviorem interjectam habeant, induxisse nonnullos videntur, ut hac tantum re illam anacoluthiam excusari posse statuerent, sed aliquot etiam, qui nihil inter ὡς et accusativum c. infinitivo interponunt, ex quo genere unum adscribam, Xenoph. Hell. VI, 5, 42: ἐλπίζειν χρὴ ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς μᾶλλον ἢ κακοὺς αὐτοὺς γενήσεσθαι. Alios vid. ap. Foertschium Obss. in Lys. p. 79, qui hunc quoque Isaei locum recte defendit. Defendit etiam Bernhardy Syntax. p. 369, sed perperam. Quam enim inesse in his verbis dicit dubitationis significationem, haec plane h. l. aliena est, quum neque testem, qui juratus testimonium dicat, dubitanter loqui conveniat, neque actorem, quum de ejus testimonio referat; neque vero alibi vel ὡς vel infinitivus post verba dicendi dubitationem significant. — Ceterum quod singulari numero utitur orator, υἱὸν εἶναι γνήσιον τοῦτον, minus accurate loquitur; nam de utroque Alces filio testimonium illud ab Androcle interpositum esse patet ex iis imprimis, quae §. 26 leguntur. Cf. etiam §. 12. 17. 44. 58. 59. Sed rursus singulari utitur §. 46. cf. §. 14 et 51.

Ἡγήμονα. Hanc nominis formam veram esse, non Ἡγέμονα, probat codicum aut omnium aut plurimorum atque optimorum consensus ap. Lysiam in Diogit. p. 899 §. 12 Bekk. Demosth. de coron. p. 320, 28. in Aristogit. I p. 784, 16. Harpocrat. h. v. Aeschin. in Ctesiph. p. 418. Aristot. Poet. c. 2. Plutarch. Phoc. c. 33 et 35.

Athenae. I, 5. XV, 16 et alibi passim. Cf. et fr. pro Euphilet. §. 6.

§. 11. ὅτι δ' οὐδ' ἄλλην τινὰ ἔγημε —. *Quod autem etiam nullam praeter hanc aliam duxit h. e. quod autem attinet ad id, quod nullam al. dux., vel: ut cognoscatis eum* (non solum duxisse illam Mixiadis filiam, sed) *etiam nullam aliam duxisse — nemo hoc scit neque unquam fando audivit.* Itaque liberius haec membra composita sunt ad eum modum, de quo dixi ad or. de Cleon. her. §. 16 et de Pyrrh. her. §. 55; neque οὐδὲ vertendum est *ne — quidem*, (quippe quod tunc demum dici posset, si illam quoque Mixiadis filiam Eucteme non duxisset,) sed ita ut a me factum est, ut vis conjunctionis ad totam hanc sententiam pertineat.

§. 12. παρακατέβαλον. Conjuncta enim erat διαμαρτυρία cum παρακαταβολῆς pensione. Vid. de ord. jud. p. 618 et 640.

διαμαρτυρομένων ἡμῶν. Longe aliud esse διαμαρτύρεσθαι quam διαμαρτυρεῖν non opus est monere. Illius significationem recte exposuit Reiskius Ind. Graec. Demosth. h. v. Sed cur Bekkerus h. l. μαρτυρομένων malit non perspicio.

§. 13. Λημνίαν σκηψάμενοι —. Scil. εἶναι τὴν τούτων μητέρα. Lemnum autem insulam inde a Miltiadis aetate habitarunt Attici κληροῦχοι (Herodot. VI, 140. Thuc. VII, 57), quos Atticam civitatem retinuisse constat. Vid. Boeckh. de oecon. rei p. Ath. I p. 460 sq. Corp. Inscript. I p. 150. Potuit igitur Lemnia mulier viro Atheniensi legitimis nuptiis juncta esse, et apud Terentium in Phormione Phanium, Lemniae matris e cive Attico filiam, civem et ipsam esse videmus. Lemniam autem pupillorum suorum matrem adversarii propterea finxisse videri debent, ut cum aliqua probabilitatis specie cognatum ejus neminem Athenis esse contenderent, qui testis produci posset; fortassis etiam ut non Athenis sed Lemni nuptias inter eam et

Euctemonem contractas et filios istos natos esse simularent. *)

πρᾶγμα — γενόμενον. Bekkeri emendationem πλάττοντες pro πράττοντες ut reciperem res ipsa flagitabat; neque quidquam harum literarum λ et ρ permutatione frequentius. Vid. intt. ad Gregor. p. 269. — Sed offendit me hoc quoque καὶ οὐδὲ γενόμενον. Nam qui fictam rem, et impudentissime fictam dicit, hunc sane mirum est illud tamquam majus aliquid addere, ne factam quidem eam esse; quasi vero quisquam dubitare possit, quae ficta dicantur, ea hoc ipso facta esse negari. Quamquam non a librariis locum corruptum esse, sed ipsum oratorem incogitantius dixisse crediderim.

ἐκ τούτων πρῶτον —. Huic πρῶτον respondet ἔτι δὲ §. 15, ubi alterum sequitur argumentum e recusata servorum quaestione repetitum. Potuit igitur sane hoc loco recte dici ἐκ τούτων πρώτων; neque tamen propterea codicum omnium et editionum ante Reiskium lectionem spernendam duxi. Tuebitur adverbium etiam Wolfii annotatio ad Demosth. Leptin. p. 338 in Appar. crit. III p. 227. Cf. Goeller. ad Thucyd. VIII, 100. Bremi ad Lys. p. 451. Krüger. ad Dionys. historiogr. p. 294.

§. 14. τῇ μὲν γὰρ στρατιᾷ —. De constructione vid. Valcken. ad Herod. II, 2. Matth. gr. Gr. p. 711. Et verbo ἐξέπλευσε subjectum esse ἡ στρατιά, non Πιστόξενος, recte monuit Reiskius.

οὔτ' ἐπιτροπεύεσθαι προσήκει —. Urget orator quod adversarii dixerant ἐξ ἐπιτροπευομένης τούτῳ γενέσθαι, in quo certe minus accurate loquuti erant, quasi mulier etiam tum, quum illos pareret, h. e. post trigesimum aetatis annum, sub ἐπιτρόπῳ fuisset. Nam ἐπίτροπος,

---

*) Palmerii commentum, Exercitt. p. 671, de Δημνίᾳ βουλῇ non opus est refutare, non magis quam quod nuper cuidam in mentem venit, Δημνίαν (ὁδὸν) σκήπτεσθαι translate dici *de litigantibus morae causam aperte conquirentibus.* Vid. *Car. Rhode: Res Lemnicae* p. 50. (Vratisl. 1829.) Scilicet hoc ille collegit e grammaticorum locis de Σκυρίᾳ δίκῃ, de qua vid. quae diximus *de ord. jud.* p. 696.

qui proprie dicitur, est impuberum; post pubertatem qui tutelam mulierum gerit, *κύριος* vocatur. Vid. de ord. jud. p. 455 sq. Quamquam potuit sane qui *ἐπίτροπος* fuisset, idem postea *κύριος* fieri (cf. Platner. II p. 247), et *ἐπιτροπευομένην* dici mulierem, cujus qui ante pubertatem *ἐπίτροπος* fuerat, post pubertatem *κύριος* est, licet improprium sit, facilem tamen habet excusationem. Quamobrem hoc quidem oratoris argumentum non nimis validum esse videtur. Neque validius illud *οὔτε ἀνέκδοτον καὶ ἄπαιδα εἶναι, ἀλλὰ πάνυ πάλαι συνοικεῖν*. Nam neque nubere omnes ante trigesimum annum necessarium credemus, neque, si nupserint, liberos etiam ante hunc annum parere.

ἢ ἐγγυηθεῖσαν — ἢ ἐπιδικασθεῖσαν. Vid. de ord. jud. p. 409. 469. 470. Platner. II p. 249 et Symbol. ad I. A. p. 109.

§. 15. *τὰ γὰρ τοιαῦτα* —. Non conjungendum *τὰ τοιαῦτα* cum *ὀνόματα*, sed potius hoc membrum *οὐκ εἰς τὴν ἀνάκρισιν μόνον δεῖ πορίζεσθαι ὀνόματα* ita interpositum est, ut constructionem alterius interpellet, quae hoc modo procedit: *τὰ τοιαῦτα δεῖ τῇ ἀληθείᾳ γεγονότα φαίνεσθαι*. Sed illo interposito *τὰ τοιαῦτα* speciem quodammodo habet accusativi absoluti, de cujus ratione praeter Matth. gr. Gr. p. 789 cf. Schaefer. App. crit. V p. 323. 361. 483. 516. Re autem vera pertinet hic locus ad illud genus, de quo Lobeckius disseruit ad Soph. Ajac. p. 294, ubi „quasi intermissione quadam quiescit constructio et suspenditur, donec ad institutum ordinem redeat.“

§. 16. *παρὰ τῶν ὄντων θεραπόντων* —. *De omnibus nostris quotquot sunt servis quaestionem habendam adversariis obtulimus.* Nam *οἱ ὄντες θεράποντες* eodem modo dictum est, quo *οἱ ὄντες ἄνθρωποι* apud Demosth. de pace p. 58, 11. de Cherson. p. 104, 5. cf. Schweigh. ad Polyb. IX, 29. Suos autem h. e. clientium suorum servos designare oratorem res ipsa docet. — Ceterum ut *ἔλεγχον ποιεῖσθαι παρὰ τῶν θεραπόντων* ita etiam *ὁ παρά τινος ἔλεγχος* recte dicitur, et restituenda haec lo-

quutio videtur ap. Lycurg. in Leocrat. p. 159 cap. 9, ubi codd. habent aut τὸν πάντων συνειδότων ἔλεγχον aut τῶν πάντων σ. ἔ., quorum neutrum verum esse apparet. Neque τὸν πάντων τῶν συνειδ. cum Bekkero aut τὸν τῶν πάντων συνειδ. cum Heinrichio recte rescripseris, quandoquidem servi, de quibus Lycurgus loquitur, non sunt πάντες οἱ συνειδότες, sed praeter eos etiam liberi multi illarum rerum conscii, quorum testimonio paullo ante orator usus est. Legendum itaque censeo τὸν παρὰ τῶν συνειδότων ἔλεγχον —, mutatione lenissima, quum π τῶν aut π τῶν facillime in πάντων corrumpi potuerit. Dudum autem hanc emendationem proposui in Ephemm. Hal. a. 1826 n. 278 c. 565, neque nunc repetiissem, nisi aut spretam aut non animadversam viderem a nuperrimo Lycurgi editore.

καὶ τὰς ἡμετέρας μαρτυρίας. H. e. testimonia eorum, qui provocationi affuerunt. Ipsae enim provocationis tabulae nullam vim habebant, nisi testibus comprobatae, qui dicuntur μαρτυρεῖν τὴν πρόκλησιν ap. Demosth. in Steph. I p. 1106, 5. cf. II p. 1130 in. Apud eundem p. 1110, 2 quod vulgo legitur ἣν (διαθήκην) οὗτοι πρὸ τῆς κλήσεως μεμαρτυρήκασιν mutandum esse in μετὰ τῆς προκλήσεως recte Reiskius monuit, neque audiendus est Schaeferus vulgatam lectionem defendens. — Sed de testibus provocationum cf. etiam de ord. jud. p. 680. 681.

§. 17. Φανοστράτῳ. Fortass. add. καὶ Χαιρεστράτῳ.

§. 18. ἓξ καὶ ἐνενήκοντα. Copulam retinendam putavi, quae in Bekkeri editione casu magis quam consulto omissa videtur. Neque enim unquam, praeter eas formas, quas commemorare nihil attinet, minorem numerum majori sine copula praemissum memini; neque illud huc trahi potest, quod nonnunquam in Inscriptionibus per siglas scribitur v. c. ζι, θι et sim. pro ιζ', ιθ'. Vid. Inscript. Boeckh. no. 523. Quamquam apud Latinos etiam *quintum tricesimum*, *quinos vicenos* aliaque hujus generis inveniri scio. Vid. Drakenb. ad Liv. 7. 18, 1.

§. 19. ἣ ἐναυκλήρει συνοικίαν. *Quae insularia erat, v. insulae Euctemonis praeposita.* De συνοικίᾳ cf. not. ad or. de Menecl. her. §. 27. Ναυκληρεῖν autem συνοικίαν ii dicuntur, qui aut a domino praepositi sunt insulae custodiendae et locario ab inquilinis exigendo, aut ipsi insulam universam conduxerunt, quam dein particulatim aliis elocant. Vid. Harpocrat. in ναύκληρος. Hesych. tom. II p. 657. Lex. Seguer. p. 282. Kühn. ad Jul. Poll. I, 75. Boeckh. oecon. r. p. A. I p. 155.

παιδίσκας ἔτρεφε — *meretrices alebat*, sicut Nicerate illa, item libertina, apud auctorem orat. in Neaer. p. 1351. Et παιδίσκας saepenumero simpliciter eas vocari, quae corpore quaestum faciunt, satis notum est: τὰς ἐνεργαζομένας παιδίσκας Herodotus dicit I, 93, unde etiam παιδισκεῖον vocatur τὸ πορνεῖον apud Athenaeum X p. 437 F.

τούτων μίαν ἐκτήσατο. Euctemo an ejus insularia? Hanc intelligi jubet orationis tenor; re tamen ipsa non sua sed patroni pecunia istas puellas comparasse atque aluisse videtur, ut illiberali quaestui lenonio, quem ipse Euctemo exercere nullo modo poterat, libertinae nomen praetextum sit. Ita etiam quae orat. in Neaer. p. 1351, 3 Nicerates ancillae dicuntur, reapse non hujus sed patroni ejus, Charisii, fuisse docet Athenaeus XIV, 7 p. 593, ubi pro Κασίου utique Χαρισίου rescribendum est.

ἐν οἰκήματι. *In cella*, ut est ap. Petron. 8, 4. cf. Juvenal. VI, 122. Martial. XI, 46, 1. De Graeco vocabulo vid. Valck. ad Herodot. II, 121 et ad Ammon. p. 176. Videtur autem lupanar in ipsa illa συνοικίᾳ fuisse, quae Bremii quoque sententia est ad Aeschin. or. in Timarch. p. 40.

§. 20. ἔθρεψεν αὐτοὺς ὁ Δίων ὡς ὄντας ἑαυτοῦ. Hinc apparet Alcen jam tunc manumissam fuisse; alioquin enim liberi ejus non potuissent a Dione pro suis educari sed servi fuissent ejusdem, cujus mater eorum ancilla erat. Neque obstat illi sententiae, quod Alce infra §. 49 δούλη dicitur. Vid. not. ad h. l.

ζημίαν εἰργασμένος. *Quum noxiam commeruisset.* Cf. Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 1125.

οὗ ὁ οἶνος ὤνιος. Utrum in ipsa illa insula, an in ejus vicinia prope portulam taberna vinaria fuerit, discerni non potest. *Πυλίδες* autem Athenis plures commemorantur, velut ap. Platonem Lysid. init. p. 203. A: *κατὰ τὴν πυλίδα, ᾗ ἡ Πάνοπος κρήνη*, h. e. inter portam Melitensem et p. Aegei; alia, ad quam Mercurii statua erat, *ὁ πρὸς τῇ πυλίδι Ἑρμῆς*, in Piraeeo, Harpocr. s. v. *Ἑρμῆς* et *πρὸς τῇ πυλίδι*. Eandem apud Lycurgum designari credunt, in Leocr. c. 6 p. 148. Hanc nostram autem, quum in Ceramico fuerit, in occidentali urbis parte fuisse apparet.

§. 21. *ἐνταυθοῖ.* Cf. Schaefer. Appar. crit. II p. 731 et ad Long. p. 422.

πολλῶν καὶ κακῶν. Quo sensus discrimine in hujusmodi loquutione copula vel addatur vel omittatur monuit Schaeferus App. crit. III p. 218.

ἀλλὰ τελευτῶν παντελῶς διῃτᾶτο ἐκεῖ. Quod cod. Vrat. post *ἀλλὰ* addit, *καὶ*, librario deberi arbitror, qui post *οὐχ ὅπως* plerumque *ἀλλὰ καὶ* sequi meminisset. Vid. ex. ap. Viger. ejusque editores p. 432. Sluiter. Lectt. Andocc. p. 280. Recte autem omittitur particula, ubi non tam majus aliquid additur, quam contrarium opponitur; et hoc loco Isaeum, si addere voluisset, potius post *τελευτῶν* quam post *ἀλλὰ* additurum fuisse censeo, ut intenderet vim adverbii *παντελῶς*. — Ceterum recte Luzacus de Digam. Socr. p. 61 divortium Euctemonis ab uxore, licet non disertis verbis, satis tamen aperte hoc loco significari animadvertit.

ὑπὸ φαρμάκων. H. e. *ὑπὸ φίλτρων.*

§. 22. *ὁ υἱὸς αὐτῷ Φιλοκτήμων.* Nihil frequentius, quam uno aut pluribus etiam verbis interjectis separari nomen ab appositione, modo praemissa, modo postposita. Plurima hujus generis exempla praeter Matth. gr. Gr. p. 580 collegerunt Gerhard. et Meier. in Sched. philol. p. 39 et 113. Poppo Thucyd. II, 1 p. 141. Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 54. — Paullo post *εἰσεδέξαντο*

utique recipiendum fuit pro *συνεδέξαντο*, quod haud scio an plane inusitatum sit; *εἰσδέχεσθαι* autem hac de re etiam alibi legitur v. c. ap. Andoc. de Myster. p. 63, nusquam *ἀναδέχεσθαι*, quod Reiskius h. l. reponendum suasit. — Denique *τὸ κούριον* quid sit non opus est exponere. Vid. Etymol. M. p. 533, 35. Vales. ad Harpocrat. v. *μεῖον*. Debebam autem fortasse *κούρειον* rescribere; hanc enim formam solam grammatici diserte agnoscunt, ut Etymol. l. l. Lex. Seguer. p. 273, ubi tamen *προπερισπωμένως* scribitur, eamque confirmat etiam Sophoclis versus ex Andromeda citatus ab Hesychio II p. 333: *ἡμῖν σύ τοι κούρειον ἠρέθης πόλει*, e certissima Scaligeri emendatione. Nolui tamen in re non satis explorata codicum auctoritatem deserere.

§. 23. *χωρίον ἐνδόντα.* Veterem lectionem corruptam esse etiam Valckenarius perspexit apud Luzac. de Digamia Socr. p. 58 not. 17, non solum insolita loquutione offensus *χωρίον ἐνδοῦναι*, sed etiam accusativo casu *ἐνδόντα*, pro quo *ἐνδούς* scribendum fuisse censet, ut jungeretur cum *ἐφ᾽ οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων*. Rescripsit igitur *κούριον ἐνδόντα*, idque conjungi voluit cum *τὸν Φιλοκτήμονα*, hoc sensu: *Persuaserunt Philoctemoni ut puerum adscribi sineret, victimam adduci permittens.* Hanc conjecturam, etiamsi veram lectionem e codicibus non haberemus, tamen spernendam fuisse non est quod demonstrem, licet Schneidero quoque placuisse videatur in Lex. s. v. *κούριον*. Accusativus autem *δόντα* pertinet sane ad Euctemonem, non ad Philoctemonem: et recte accusativum orator posuit, non nominativum, licet proxime praecedat *ἐφ᾽ οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων*. Scilicet participium illud non cum hoc *ἐζήτει*, sed cum priore infinitivo *εἰσαγαγεῖν* conjungi debebat.

§. 24. *ἐγάμει.* H. e. *γαμεῖν ἠβούλετο*. Paullo ante quae designatur mulier, illam Democratis sororem esse apparet, de qua dictum est §. 22.

§. 25. *ἐξ ἀστοῦ.* Non dubito quin legendum sit *ἐξ αὐτοῦ*, quod Bekkerus quoque conjecit tom. 5 p. 697.

τοῦ νόμου κελεύοντος —. Vid. Bunsen. p. 16.

§. 26. ἐπὶ ῥητοῖς εἰσήγαγε. Usus est hoc loco Gansius de jur. her. I p. 319 ut probaret, etiam Athenis nothos *legitimari* licuisse; *legitimationem* enim hanc in phratorum album inscriptionem commodissime dixeris, quae quum antea, obloquente legitimo filio, a phratoribus recusata esset, nunc illo, quamquam sub certis quibusdam condicionibus, consentiente permittitur, neque ab oratore contra leges vel a Philoctemone concessa, vel a phratoribus permissa esse dicitur. Neque tamen quosvis ita inscribi potuisse manifestum est. Nam quum Periclis lex, post ab Aristophonte repetita, civitate prohiberet omnes, qui non utroque parente cive nati essent, (vid. Meier. de bon. damn. p. 70 sq.) eos certe, quos quis e peregrina suscepisset, nullo modo in phratriam recipi licuisse apparet, quippe quum civitatem hoc modo nacturi fuissent. Itaque recte Meierus de ord. jud. p. XX eorum tantum, qui matrem quoque civem haberent, legitimationem patri concessam fuisse statuit, si quidem οἱ ἀγχιστεῖς consentirent. Atqui Alcen, quippe libertinam, civem non fuisse apertum est. Nimirum dissimulabat Euctemo hanc pueri istius matrem esse, neque ipsis phratoribus hoc ita compertum erat, ut inscriptionem propterea recusarent, tacentibus praesertim, quorum maxime intererat, Philoctemone ceterisque cognatis. Quod autem Platnerus Symbol. ad I. A. p. 120 fortasse ne hoc quidem phratoribus compertum fuisse dicit, nothum esse puerum, et C. Od. Muellerus in Diar. Goetting. a. 1827 no. 80 p. 800 pro legitimo h. e. justis nuptiis procreato eum inscriptum esse statuit, id mihi, totam oratoris narrationem accurate reputanti, parum credibile videri fateor, et Gansio potius assentior.

οὕς συ νῦν διαῤῥήδην μεμαρτύρηκας —. De pronomine ad remotiora nomina relato vid. Schaef. Appar. crit. V p. 243. Mox καὶ ante κληρονόμους excidit typographi culpa.

§. 27. ὁ κηδεστὴς Χαιρέας —. Notandum idem voca-

bulum paucissimorum versuum intervallo diversa significatione positum; nunc enim *sororis maritum*, antea *generum* significabat. Eodem modo apud Lysiam in Diogit. p. 893 κηδεστὴς est *sororis maritus*, sed ib. p. 894 *socer*.

§. 28. τοῖς φύσει υἱέσιν — οὐδενὶ —. Eadem syntaxi Aelianus V. H. X, 16: οἱ δὲ οὐδεὶς αὐτῷ προσεῖχον — et innumeris locis ἕκαστος ita per appositionem adjungitur nomini, quod genitivo casu poni poterat. — De lege, cujus mentionem orator facit, vid. ad or. de Pyrrh. her. §. 42.

§. 29. ὑποπεπτωκότες οἵδε τῇ ἀνθρώπῳ. H. e. *quum se insinuassent apud mulierem adulando atque blandiendo.* Vid. Reisk. ind. Graec. Dem. h. v. Similiter ὑπέρχεσθαι dicit Demosthenes in Aristocr. p. 623, 22: ὑμᾶς δὲ ὑπέρχεσθαι καὶ θεραπεύειν — et Andoc. in Alcib. p. 122: ὑπέρχεσθαι Ἀλκιβιάδην. Plura vid. ap. Baehr. ad Plutarch. Alcib. p. 206. et de ὑποτρέχειν, quod eodem sensu usurpatur, Ast. ad Platon. Legg. XI, 6. p. 521. Bremi ad Aeschin. II p. 136. Οἵδε autem sunt Androcles et Antidorus. Ad συνεπιτίθενται apparet subintelligendum esse σὺν τῇ ἀνθρώπῳ. Cf. §. 38 et 55.

§. 30. τὴν διαθήκην ἀνελεῖν. Cf. ad orat. de Cleon. her. §. 14.

§. 31. προσεκαλέσατο εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν. Citat h. l. Harpocratio s. v. εἰς ἐμφ. κατάστ. Ipsam rem Heraldi verbis commodissime explicabo, Animadv. in Salmas. p. 105: *Quum aliquod instrumentum, non dico testamentum tantum, sed quodlibet instrumentum apud aliquem depositum fuerat, ii, quorum intererat id exhiberi, eum, cujus fidei creditum erat, si in ea re cessabat,* π ρ ο ὐ κ α λ ο ῦ ν τ ο εἰς ἐ μ φ α ν ῶ ν κ α τ ά σ τ α σ ι ν." Conf. de ord. jud. p. 374 sqq. Platner. II p. 298 sqq. Sed debebat Heraldus προσεκαλοῦντο potius quam προὐκαλοῦντο scribere; quippe qui primum exhiberi sibi instrumentum postulat ab eo, apud quem depositum est, is προκαλεῖται εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν; cessantem autem et provocationi (τῇ προκλήσει) parere recusantem προσκαλεῖται h. e.

in jus vocat apud archontem. Προκλήσεως exemplum est apud Demosth. adv. Callipp. p. 1239, 5: ἠξίουν ἐμφανῆ καταστῆσαι. προσκλήσεως ap. eund. adv. Nicostr. p. 1251, 3 ad quem loc. cf. de ord. jud. p. 758 not. 12. Cf. etiam Dionys. jud. de Isaeo p. 345, ubi recte Reiskius veram lectionem defendit. Nostro autem loco veram esse codicum et Aldi lectionem προσεκαλέσατο vel ex eo manifestum est, quod apud archontem res acta dicitur, ex quo apparet in jus vocatum esse Pythodorum, non provocatum simpliciter. Quippe provocaverat eum antea Euctemo; detrectanti dein δίκην intendit. Atque προσεκαλέσατο etiam Harpocrationem h. l. legisse apparet. Affert enim hoc tamquam δίκης εἰς ἐμφ. κατ. exemplum; δίκη autem nulla erat sine προσκλήσει. Quod autem in cod. Cripps. post προσεκαλέσατο additur etiam πρὸς τὸν ἄρχοντα, librario deberi arbitror, qui ad proximum versum aberraverit. Nam ad archontem in jus vocatum esse Pythodorum, etiam tacente oratore res ipsa judices docebat, etiamsi non omnes δίκας εἰς ἐμφ. κατάστ. ad archontem pertinuisse facile largiar Meiero de ord. jud. p. 45. — Sequenti autem versu non erat quod Bekkerus καταστήσαντος potius quam καταστάντος scribendum judicaret. Neque enim Pythodorus Euctemonem, reus actorem, ad archontis tribunal deduxit, sed ab hoc citatus *stitit in jure*; hoc est enim καταστῆναι. Ceterum quae statim narrantur, in ἀνακρίσει acta videri debent, in eaque fortasse res transacta est, neque ad dicasterii cognitionem deducta.

§. 32. ἐπειδὴ δ' ὁ Πυθόδωρος —. Continebant illae tabulae pactionem quandam inter Euctemonem ejusque heredes factam, quum de portione bonorum spurio filio relinquenda, tum fortasse de aliis rebus, quae non diserte commemorantur. Sed arbitror in his etiam illud fuisse, ut ne liceret Euctemoni de praediis suis quidquam abalienare, nisi illorum consensu. Id enim inde apparere videtur, quod paullo ante §. 30 de vendendis praediis ita loquitur orator, quasi fieri hoc non potuerit quamdiu pactio illa (ἡ διαθήκη) maneret. Haec autem

tolli non poterat nisi eorum, a quibus facta cum Euctemone atque deposita erat, consensu, Phanostrati ac Chaereae, qui quidem uxorum suarum ac liberorum nomine egisse videri debent. Ex his unus nunc adest, Phanostratus; Chaereas obierat, sed filia relicta. Negat igitur Pythodorus tolli pactionem posse, nisi hujus quoque *κύριος*, qui nondum constitutus erat, consensisset. Interim se, quantum quidem ad Phanostratum et Euctemonem attineat, non intercedere, quo minus tollatur; quantum ad Chaereae filiam attineat, expectandum esse, donec hujus *κύριος* aliquis constitutus esset. *Κύριον* autem h. l. esse tutorem satis apparet. Cf. ad or. de Cleon. her. §. 10. Platner. II, 275. — Paullo post *ὡς οὐκέτ' αὐτῷ κέοιτο ἡ διαθήκη* est: *non amplius teneri se pactione.*

§. 33. *ἐν Σηραγγίῳ.* Locus hic erat in Piraeeo. Vid. Harpocrat. Phot. Suid. h. v. Lex. Seguer. p. 301: *τόπος οὕτω καλούμενος Ἀθήνησιν ἐν τῷ Πειραιεῖ κτισθεὶς ὑπὸ Σηράγγου. ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ ἡρῷον.* Fallitur autem Leakius Topogr. Ath. p. 346 Rienaeck. Serangium ipsius balnei cujusdam nomen fuisse autumans. Ceterum *τὸ ἐν Σηραγγίῳ βαλανεῖον* ab Isaeo mutuatus est Alciphro epist. III, 43, ubi cf. Bergler. — *Ἀθμονοῖ* (ut *Κηττυνοῖ, Σφηττοῖ, Θορικοῖ* etc.) est *ἐν Ἀθμόνῳ*, Cecropidis pago, quem alii *Ἀθμονίαν* dicunt. — Pluralis numerus *ἀποδίδονται* me quidem non magnopere offendit, licet paullo post sequatur *ἀπέλυσε — ἀπέδοτο.* Scilicet fecit hoc Euctemo Androclis et Antidori instinctu, quamobrem hi et ipsi fecisse dicuntur quod ipsorum auctoritate et consilio factum erat; neque vero necesse fuit eadem dicendi figura oratorem etiam in seqq. uti. Bekkero tamen in Add. p. 697 placet *ἀποδίδοται*, quod Stephanus quoque dedit.

οἰκίαν — ὑποκειμένην ἀπέλυσε τῷ ἱεροφάντῃ. H. e. *domum pro credito sibi obligatam a debitore hierophanta, accepta pecunia huic liberavit.* Nam *ἀπολύειν τὸ ὑποκείμενον* v. *τὴν ὑποθήκην* hypothecarius dicitur, quum debitori debitum solventi hypothecam liberat; contra *λύειν*

v. *ἀπολύειν* debitor, quum debito soluto efficit ut res obligata liberetur. Ita Lys. pro bon. Aristoph. p. 630: *φιάλην χρυσῆν — ἀπολύσεσθαι ἀποδοὺς εἴκοσι μνᾶς*, quod Reisk. in indice optime explicat: „*se pateram illam auream, a se oppigneratam, esse reluiturum; er wolle sie wieder einlösen.*“ Demosth. adv. Polycl. p. 1215, 20: *ἵνα μοι λύσωνται τὸ χωρίον, ἀποδόντες Ἀρχενέῳ καὶ Θρασυλόχῳ τριάκοντα μνᾶς.*

ζεύγη δύο ὀρικά. Vid. ad or. de Dicaeog. hered. §. 43.

§. 35. *ἀπειρηκότα ὑπὸ γήρως.* *H. e. decrepitum, viribusque prorsus destitutum.* Lycurg. in Leocr. p. 1166: *τοὺς τοῖς σώμασιν ἀπειρηκότας καὶ τὰς ἡλικίας πρεσβυτέρους.* Plutarch. Pyrrh. cap. 18: *ὑπὸ δὲ γήρως ἅμα καὶ πηρώσεως ὀμμάτων ἀπειρηκὼς πρὸς τὴν πολιτείαν.* Cat. maj. cap. 5: *ἵππων ἀπειρηκότων ὑπὸ πόνου τροφαί.* Cf. Hemsterhus. ad Lucian. I p. 78.

δι᾽ αὐτῶν ἔσοιτο ἡ οὐσία. H. e. *ut in sua potestate essent Euctemonis bona.* Cf. or. de Ciron. her. §. 37: *ἐπειδὴ τά γε φανερὰ δι᾽ αὐτοῦ ποιεῖσθαι.* Demosth. ctr. Olympiodor. p. 1171, 21: *καὶ τὸ ἀργύριον τοῦθ᾽ ἅπαν εἶχεν αὐτὸς δι᾽ ἑαυτοῦ ὁ ἄνθρωπος.* Plura vid. in Reisk. ind. Graec. Demosth. v. *διά.*

§. 36. *τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος υἱέσι τοῖς τετελευτηκόσιν.* Philoctemoni et Ergameni, ut docet §. 44. Ab his igitur pueros istos adoptatos simulabant, testamento, ut arbitror. Nam quod Bunsenius statuit p. 21. 22. Euctemonem ab Androcle et Antidoro adductum esse, ut pueros istos in filiorum suorum bona adoptandos curaret, quippe quorum ipse heres esset: hoc ipsum, Euctemonem filiorum, si intestati decessissent, heredem fuisse, exclusis sororibus sororumque liberis admodum dubium est, (vid. prooem.) neque ut de adoptandis, sed de adoptatis illi apud archontem verba fecisse dicuntur.

μισθοῦν ἐκέλευον τὸν ἄρχοντα τοὺς οἴκους. De *μισθώσει οἴκων ὀρφανικῶν* vid. ad or. de Menecl. her. §. 9. Cf. Platner. II p. 281 sq. — Quod sequitur *ὅπως τὰ μὲν μισθωθείη τῆς οὐσίας, τὰ δὲ ἀποτιμήματα καταστα-*

θεία, dubium esse non potest quin Euctemonis bona designenter. Horum illi alia elocari postulabant, tamquam pupillorum suorum, ab Ergamene scilicet et Philoctemone relicta, alia autem tamquam hypothecas constituturi erant, consentiente nimirum Euctemone aut etiam pro conductoribus fidejubente. (Cf. fr. 5 §. 2. D. 20, 1. et fr. 5 §. 2. D. 20, 20.) Conductores autem ipsi futuri erant, quod patet his verbis: *ὅπως — ζῶντος ἔτι τοῦ Εὐκτήμονος μισθωταὶ δι᾽ αὐτοῦ γενόμενοι τὰς προσόδους λαμβάνοιεν*, et §. 37: *οἱ δ᾽ ἐμισθοῦντο.* Hoc enim quo minus cum Reiskio et Platnero mutetur in *ἐμίσθουν*, illud ipsum obstat, quod paullo ante ipsi *μισθωταὶ* fieri voluisse dicuntur. *Μισθωτὴς* enim est ὁ *μισθούμενος* non ὁ *μισθῶν*. Et Reiskius quidem errorem ipse suum intellexit et emendavit in versione latina: convertit enim locum hoc modo: *quo — Euctemone adhuc superstite conductores per eum facti vectigalia bonorum ipsi perciperent. Et quum primum tribunalia complebantur, archon quidem bona Euctemonis ut elocabilia voce praeconis promulgabat, hi vero conductores pro mercede annua ipsi se profitebantur.* Sed Platnerus eosdem et tutores et conductores esse potuisse negat; quod qua ratione fecerit, non satis perspicio. Nam ne laedi possent pupilli, si bona eorum a tutoribus conducerentur, satis provisum erat hypothecae constitutione; praeterea talis conductio confieri non potuit nisi auctore archonte, cujus erat cavere pupillorum commodis. — De voce *ἀποτίμημα* vid. Harpocrat. in *ἀποτιμηταί*, et quae a Boeckhio laudantur de oecon. rei p. Ath. I. p. 158. De *ὅροις* h. e. tabulis v. cippis pro praedio, quod pignori datum erat, positis, inscripto creditoris nomine debitique summa, vid. Corp. Inscriptt. no. 530 — 537, cum viri summi commentario.

§. 37. *τὰ δικαστήρια ἐπληρώθη.* Demosth. in Timocrat. p. 729, 25: *δικαστήρια πληροῦτε.* in Mid. p. 581, 26: *εἰς δικαστήριον εἰσίοι πεπληρωμένον ἐκ τούτων.* Lys. in Euandr. p. 790: *δικαστήριον παρὰ τοὺς νόμους ἀδύνατον πληρωθῆναι*, ubi nollem Marklandi conjecturam

κληρωθῆναι nulla codd. auctoritate confirmatam a Bekkero et Foertschio receptam esse. Potuerunt quidem haec facillime a librariis permutari, et permutata sunt non semel; neque tamen hoc eo valere debet, ut πληροῦν ubique, etiam ubi commodissimum sit, exturbandum de loco statuamus. —

§. 38. τὰς προσόδους — ἠφανίσθαι. *H. e. reditus omnes consumpti et intercepti sunt.* Cf. Bremi ad Lys. p. 200.

§. 39. διαφορῆσαι. *Diripere.* cf. §. 43 et 61. or. de Hagn. her. §. 31. Demosth. I ctr. Aphob. p. 822, 27.

§. 40. ἑτέρων πυθόμεναι H. e. ἄλλων. Cf. infr. §. 61. Schol. ad Aristoph. Pac. v. 11. Schaef. Appar. crit. IV p. 67. V p. 117. — ἠφίουν εἰσιέναι i. q. εἴων εἰσιέναι, ut ap. Thucyd. V, 91. Eurip. Med. v. 367. Jacobs. ad Anthol. XII p. 146.

περὶ ἡλίου δυσμάς. Immerito Schneiderus et Schneideri epitomatores poeticum dicunt voc. δυσμή. Haec quidem loquutio περὶ ἡλίου δυσμὰς aliaeque similes apud optimos quosque prosaicos frequens est. Cf. Xenoph. Hell. V, 1, 7. Anab. VI, 4, 26. 5, 22. VI, 3, 34.

§. 41. οὗτοι δέ —. H. e. Phanostratus et Chaerestratus; sed ἐναντίον τούτων, coram Androcle et Antidoro. — τοῖς ἀκολουθήσασιν: amicis, quos secum Phanostratus et Chaerestratus adduxerant, quibus, si opus foret, testibus uti possent (cf. de ord. jud. p. 666.), atque hi sunt, quorum testimonium paullo infra §. 41 recitari jubet: λάβε ταυτὶ καὶ ἀνάγνωθι h. e. ταυτασὶ τὰς μαρτυρίας.

§. 42. φωρᾶν κατὰ τὸν νόμον. Legem de quaerendis in aliena domo rebus furtivis hanc fuisse docet Scholiastes Aristoph. ad Nubb. v. 499, ut nudi h. e. sine pallio, tunica tantum amicti, ingrederentur, ne possent ipsi aliquid sub veste occultatum inferre, idque dein a se inventum simulare, quo falsum crimen domino objectarent. Addit autem Plato Legg. XII, 7 p. 954. A, Atticam legem haud dubie exprimens: oportere dominum per totam domum in omnibus sive obsi-

gnatis sive non obsignatis locis liberam inquirendi potestatem concedere. ' Cf. interpp. ad Aristoph. l. l. Petit. Legg. Att. p. 639. et Heinecc. Antiqu. Rom. IV, 1, 18 qui Atheniensium morem cum Romanorum apte comparat. — *τοὺς οἰκέτας ἐξαιτούντων* — scil. *εἰς βάσανον*.

§. 43. *Τοσαῦτα μὲν τοίνυν χρήματα* —. Apparet ante hunc locum una cum testimoniis etiam indicem rerum surreptarum recitatum esse. Excidit igitur titulus hujusmodi: *Μαρτυρίαι. Ἀπογραφὴ τῶν ἐκφωρηθέντων χρημάτων*.

§. 44. *οἵτινες* —. *Quippe qui* v. *siquidem*. Similia aliquot usus frequentissimi exempla vid. ap. Foertschium comm. crit. p. 8.

καίτοι οὐδ' εἰ γνήσιοι ἦσαν —. Etiamsi legitimi essent Euctemonis filii, sed per adoptionem in Philoctemonis atque Ergamenis domos transiissent, non possent nunc in patris naturalis domum reverti propter legem, quae adoptivos filios in paternam domum reverti vetat, nisi si filium ex se natum atque legitimum in adoptiva relinquant. Vid. Harpocrat. Phot. Suid. in *ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες*. Demosth. ctr. Leochar. p. 1099, 16. 1100, 18. Isae. de Astyph. her. §. 33. de Aristarch. her. §. 11. — *ἐπανιέναι*, scil. *εἰς τὸν πατρῷον οἶκον*, proprium hac in re verbum est. Quod autem Reiskius in his *εἰ γνήσιοι ἦσαν* interponendum putat *μέν*, hoc facile supersedemus. Cf. Zeun. ad Viger. p. 536. Poppo observatt. in Thuc. p. 26. Haacke ad Thuc. I, 12. Bornemann. de epilog. Cyrop. p. 13. Add. de Astyph. her. §. 32. pro Euphilet. §. 6.

§. 45. *τοῖσδε*. H. e. Phanostrato ac Chaerestrato.

ὡς οὐδὲν αὐτοῖς προσῆκεν. Scil. *τὸ μισθωθῆναι τοὺς οἴκους*. Nam *ἀποχειροτονεῖν* h. l. idem valet atque *ἀπαγορεύειν*, proprie *suffragiis latis declarare aliquid non esse* vel *non debere fieri*, diciturque non raro etiam de judicum sententiis, licet hi non manibus sublatis sententiam ferrent, sed calculis in urnam conjectis, quod proprie est *ψηφίζεσθαι*. Ita paullo infra *οὓς ὑμεῖς ἀπεχειροτονήσατε* scil. *μὴ εἶναι κληρονόμους*. Cf. de comit. p. 124.

οὐδὲ ἀμφισβητῆσαι τετολμήκασιν. Scilicet qui διαμαρτυρίαν interponit, is ἀμφισβήτησιν detrectare videtur, quum id agat, ut adversarios a petitione prorsus excludat. Contra qui petitionem petitioni opponit, is εὐθυδικίᾳ εἰσέρχεσθαι dicitur, et quum contendere cum adversariis se paratum ostendat, causae suae magis confidere videtur. Cf. loc. in libro de ord. jud. laudatos p. 650 not. 51. Adde de Apollod. hered. §. 3. Itaque falli Reiskium apparet, qui οὐδὲ in οὐ μόνον mutandum censuit.

§. 46. ὅστις εἴληχε μὲν αὐτῷ —. De omni hac re vid. quae dicta sunt in prooemio.

§. 47. ὡς ὁ νόμος γέγραπται. H. e. ὡς ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται. Nam passivum hoc, non medium, esse apparet. — De ipsa lege vid. Bunsen. p. 15. Platner. Symbol. p. 114. Gans. I p. 313. Ἀγχιστεία τῶν ἱερῶν pertinet ad communionem sacrorum privatorum, τῶν πατρῴων ἱερῶν, ἀγχιστεία τῶν ὁσίων ad successionem in bona paterna.

Ἀνδροκλείδης δὲ —. Vix mihi temperavi, quin Ἀνδροκλῆς reponerem. Eundem enim hunc esse, qui alias in hac oratione semper Androcles vocatur, manifestum est, neque unquam persuaderi mihi patiar, aut vulgo apud veteres factitatum esse, aut ab oratore casu atque incuria fieri potuisse, ut idem homo et primitiva et patronymica nominis forma promiscue appellaretur. Quamquam permutari has formas saepissime, quis est qui nesciat, post tot exempla a viris doctissimis certatim congesta? Vid. Hemsterhus. ad Aristoph. Plutum. p. 325. Ruhnken. hist. crit. O. G. p. 165. aliique ap. Matthiaeum gr. Gr. I p. 215, quibus add. Passov. in Seebodii libro Archiv f. Philol. u. Paedag. a. 1824 fasc. 2 p. 369. Sed, opinor, permutantur aut a poetis, versus gratia, aut ab aliis scriptoribus memoriae lapsu; neque rara sunt exempla, in quibus hanc permutationem librariorum culpae imputandam esse apparet; quae quidem singulatim persequi non est hujus loci. Foertschium autem in comm. crit. de Lys. et Demosth. p. 34, ut Νικομα-

χίδην apud Lysiam pro *Νικόμαχον* defenderet ingeniosam potius quam veram rationem commentum esse dixerim. Sed haec suam sibi propriam accuratamque disputationem postulant, quam nunc quidem suscipere nec possum neque opus esse arbitror. Interim committere nolui, ut librorum lectionem cupidius mutasse viderer.

§. 48. *οὕτως ὑβρίζει σφόδρα πιστεύουσα τούτοις.* Ambigi potest *σφόδρα* utrum ad prius aut ad posterius verbum trahi debeat; illud equidem verius judico, et non raro ita *οὕτως* ab eo, quo pertinet, vocabulo disjungi quum alii passim monuerunt, tum Schaeferus Appar. ad Demosth. II p. 234.

§. 49. *ταυτὶ τὰ γράμματα* —. Designatur haud dubie lex de Thesmophoriorum solemnibus, quibus interesse non licuit nisi ingenuis atque honestis mulieribus. Cf., ut alios mittam, du Theil de Thesmophoriis in Dindorf. comm. ad Aristoph. VI p. 529. — *ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε.* Vid. ad or. de Nicostr. her. §. 17.

καὶ πρὸς ταῦτα καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους θεοὺς —. Non temere Reiskius *ταῦτα* in *ταύτας* aut *ταύτα* mutari voluit; quamquam *ταύτα* dualem paullo insolentiorem videri ipse profitetur, cujus equidem nullum usquam exemplum me invenire memini, non magis quam dualis articuli *τὰ*, de quo veram arbitror Bernhardii sententiam Syntax. p. 429 not. 79. Itaque aut *ταύτας* scribendum, ut designentur Ceres ac Proserpina, aut statuendum, minus concinne Isaeum sacra deorum et deos ipsos inter se composuisse.

οὕτως ὁμολογουμένη οὖσα δούλη. De constructione vid. ad §. 56. *Δούλη* autem cum contemptu dicitur, quum tamen libertina sit, sed in servitute nata, et libertate indigna. Eodem fere modo apud Lysiam Agoratus p. 487 *δοῦλος καὶ ἐκ δούλων* dicitur, qui non solum liber, sed civis erat, licet injuria, ut orator quidem videri vult. Ceterum a nonnullis *δούλων* appellatione etiam libertinos comprehensos esse docet Athenaeus VI, 93 p. 267 B.

§. 50. *ἰδεῖν ἃ οὐκ ἐξὸν αὐτῇ.* H. e. *οὐκ ἐξῆν, οὐκ*

ἐξὸν ἦν. Ita non raro προσῆκον invenias pro tempore finito, ut ap. Lysiam de affect. tyr. p. 764: ἀποφαίνων ὡς οὐδὲν μοι προσῆκον κακόνουν εἶναι τῷ πλήθει. in Poliuch. p. 705: οἷς μάλιστα προσῆκον τιμᾶσθαι. Cf. Bremi ad Lys. p. 173. Dorvill. ad Charit. p. 610. Eodem modo πρέπον frequentissimum est pro πρέπον ἐστὶ, ἦν etc., et δέον ita posuit Demosthenes Olynth. III p. 28: τὰ πράγματα (ὁρῶ) εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε σκέψασθαι δέον. De ἐξὸν et ἐξὸν ἐστι cf. quae citantur a Foertschio comm. crit. p. 61. Nolim itaque cum Bekkero in Add. p. 697 ἐξῆν legendum suadere. [cf. *Bernhardy* ad Dionys. Perieg. p. 843.]

ἃ ἐψηφίσατο ἡ βουλὴ —. Senatus enim erat, talia curare ac vindicare, et sicut post Eleusinia, ita etiam post Thesmophoria aliaque solemnia Senatum convocari moris erat, ad quem, si quid ejus cura vel animadversione dignum in celebrandis sacris commissum esset, referretur. De Eleusiniis vid. loc. laud. de comit. p. 236 not. 22. et de hoc Senatus officio in universum Platner. I p. 56.

§. 51. χεόμενον καὶ ἐναγιοῦντα. Cf. ad or. de Menecl. her. §. 46. Praesentis participium, quod Reiskium offendit, facile defendunt loci a Matthiaeo gr. Gr. p. 1117 collecti.

§. 52. ἀντιγραψάμενοι δὶς περὶ τῶν αὐτῶν ἀγωνίζονται. Scilicet Androclis διαμαρτυρία eo spectabat, ut Chaerestratus a petenda hereditate plane excluderetur, quippe quam suis pupillis sine contentione deberi et non ἐπίδικον esse contenderet. Quodsi vincatur haec διαμαρτυρία et judices ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον decreverint, licebit tamen postea Androcli quoque petitionem instituere (ἀντιγράψασθαι), eandem scilicet, qua jam antea usus esse dicitur, ut filiam Euctemonis, Chaereae viduam, cum quinta parte bonorum sibi in matrimonium dari postulet. Hoc est quod orator dicit δὶς περὶ τῶν αὐτῶν ἀγωνίζεσθαι, quamquam illud περὶ τῶν αὐτῶν non nimis urgendum. Nam nunc quidem de universa substantia agitur; tunc de parte tantum contendet. Quid sit ἀντιγράψασθαι vid. de ord. jud. p. 629 not. 18. Quod

autem ib. not. 17 Harpocrationi obloquutus sum, ἀντιγραφὴν etiam de accusatoris libello usurpari docenti, nollem factum. Legitur enim hoc sensu ἀντιγραφὴ apud Platonem in Apolog. cap. 15.

τοῦτ᾽ αὐτὸ ἐχρῆν διαμαρτυρεῖν —. Non solum hoc in διαμαρτυρίᾳ ponendum erat, intestatum obiisse Philoctemonem, sed illud quoque, quod nunc quidem contendunt adversarii, sed in ipsa διαμαρτυρίᾳ non posuerunt, ne licuisse quidem Philoctemoni testamentum facere. Quid scriptum fuerit in διαμαρτυρίᾳ docet §. 62.

εἰ δ᾽ ἔξεστι —. Expectaveris potius ἐξῆν. Sed generalis est sententia: *si per leges licet iis qui in simili sunt atque Philoctemo condicione testamentum facere.* — Consulto autem et callide orator ita loquitur, quasi Philoctemonis, non Euctemonis bona ab adversariis petantur. Nam si vere Euctemonis bona erant, recte atque ordine fecerunt, quod διαμαρτυρίαν pro legitimis scilicet Euctemonis filiis interposuerunt, quam si non interposuissent, hanc ipsam ob causam reprehendi possent. Neque illud admodum grave, quod ait hoc quoque in διαμαρτυρίᾳ ponendum fuisse, non licuisse Philoctemoni testari. Nam si quidem isti legitimi fuerunt Euctemonis filii, dubitari non poterat, quin bona paterna omnia ad eos pertinerent, neque fratris testamento iis eripi possent. Nihil igitur attinebat hoc ipsum diserte eloqui. Quod autem ne esse quidem testatum Philoctemonem scripserant, non eo animo fecerunt, quasi, si testatus esset, deterius pupillorum suorum jus factum esse concederent, sed quo magis injustam atque inanem Chaerestrati contentionem esse arguerent.

§. 53. ἀκοὴν μαρτυρεῖν. Vid. de ord. jud. p. 669.

§. 55. τούτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις — τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος χρήμασι. Pronomen τούτῳ non alium h. l. designare potest, nisi eum, qui modo nominatus est, Philoctemonem; itaque τοῖς ἄλλοις χρήμασι non posse cum τούτῳ componi apparet. Neque objiciet aliquis, ἄλλος saepenumero ita addi, ubi abesse commode poterat; certos enim hoc idioma fines habet, neque unquam ἄλλος ad-

ditum invenies, ubi, quae conjunguntur, plane diversi sunt generis. Itaque γνησίοις, non χρήμασι, ab Isaeo scriptum fuisse suspicor, quod quum evanuisset, restituerunt librarii, quod ipsis convenire sententiae visum est; sicut or. de Dicaeog. her. §. 16 scripserunt γυναῖκες, obliterata scilicet vera lectione μητέρες, quae a Bekkero ex optimis codicibus reposita est.

§. 56. ὁμολογουμένας οὔσας γνησίας. Reducendam putavi veterem lectionem, ex uno codice, licet praestantissimo, a Bekkero in ὁμολογουμένως mutatam, improbante etiam Schaefero ad Porson. Hecub. p. 31 ed. tert. Lips. Illius structurae exemplum supra legimus §. 49: ὁμολογουμένη οὖσα δούλη. Cf. Demosth. in Aristogit. p. 807 in.: τοῖς ὁμολογουμένοις καὶ ἐξεληλεγμένοις οὖσι φαύλοις. Or. in Neaer. p. 1381, 23: τοὺς ἀστυγείτονας καὶ ὁμολογουμένους ἀρίστους τῶν Ἑλλήνων εἰς τὴν πόλιν γεγενημένους. Isocrat. Panegyr. c. 8 p. 25 Spohn.: τοὺς ὑπὸ πάντων ὁμολογουμένους καὶ πρώτους γενομένους καὶ πρὸς τὰς τέχνας εὐφυεστάτους ὄντας, ubi Wolfium ὁμολογουμένως scribi suadentem refutavit Morus.

ἡμᾶς τοὺς ἐκ τούτων γεγονότας. Atqui ipse, qui loquitur, non est Euctemonis nepos. Sed ita solent συνήγοροι non raro eorum, pro quibus verba faciunt, personam quodammodo ipsi induere. Alius sed non diversi generis est, quod apud Plautum Trinumm. III, 1, 1 Callicles cum Stasimo colloquens *nostrum herilem filium* Lesbonicum dicit, qui non ipsius sed Stasimi herilis filius est, aut quod servi saepenumero *sua* dicunt, quae sunt dominorum, cujus generis nonnulla adnotavit I. H. Vossius ad Virgil. Eclog. p. 19 et p. 453, estque hoc apud Plautum in eadem fabula exemplum l. l. v. 21, ubi Stasimus *nostrum generum* dicit heri generum.

§. 57. ἐξ ἡμῶν. Pro ὑφ᾽ ἡμῶν. Sed rarissima sunt hujus usus apud Atticos scriptores, pedestres praesertim, exempla. Conf. tamen quae e Platone, Xenophonte, Lycurgo citantur a Bernhardio Syntax. p. 228. Add. Krüger. ad Xen. Anab. p. 4. Bast. epist. crit. p. 156. Alia specie magis quam re similia sunt, velut

hoc Thucydideum III, 69: *ἐκ τῶν Ἀθηναίων ἐπιδιωχθεῖσαι* h. e. a nonnullis ex Atheniensium classe navibus. Id. VI, 36: *αὗται αἱ ἀγγελίαι — ἐξ ἀνδρῶν, οἵπερ ἀεὶ τάδε κινοῦσι, ξύγκεινται.*

αὐτὸς ἐφ' ἑαυτῷ. Malim *ἐφ' ἑαυτοῦ*, aut *αὐτὸς ἑαυτῷ* ut §. 58: *τὸν ἐπίτροπον ἑαυτῷ λαγχάνειν.* De *ἐφ' ἑαυτοῦ* cf. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 609. Matth. gr. Gr. p. 1163 sq. Legitur tamen apud Xenoph. de rep. Lac. cap. 12 §. 5: *ὥστε μεγαλοπρεπεστέρους αὐτοὺς ἐφ' ἑαυτοῖς γίγνεσθαι.*

§. 59. *καὶ τούτῳ μὲν* —. H. e. Chaerestrato. Paullo infra post aut ante *εἰσιέναι* verbum excidisse apparet, *ἀξιοῖ* ut opinor; idque Reiskius quoque conjecit. Nam quod idem etiam *εἴσεισιν* legi posse putat, fallitur haud dubie. Neque enim quid facturus esset Chaerestratus — et futuri temporis significationem inesse in hoc verbo notum est — sed quid faceret indicandum erat; neque, si concedamus *εἴσεισι* etiam de re praesenti dici posse, verum est eum nunc *εὐθυδικίᾳ εἰσέρχεσθαι*, quippe qui repulsus sit Androclis *διαμαρτυρίᾳ.*

παρεκβάσεις. Designat ista convicia, quorum statim mentionem facit. Nam in universum *παρέκβασις* est quicquid *ἔξω τοῦ πράγματος* dicitur ad fallendos judices, quod est *παράγειν* apud Demosth. in Steph. II p. 1129 in. et *παραγωγὴ* apud eundem in Boeot. de dote p. 1015, 1 et *παρεμβάλλειν λόγους ἑτέρους* ib. p. 1026, 20. — *δόξειν* in fine hujus §. pendet a verbo *οἴεται*, et de repetitione *δὲ* conjunctionis nemini ignota sunt, quae Buttmannus disputavit ad Demosth. Mid. Excurs. XII. Cf. Werfer. in Act. Phil. Mon. I p. 88 sqq.

§. 60. *εἰς τὴν πόλιν πλείω ἀναλίσκεται* —. Similiter Lysias de bon. Aristoph. p. 618: *ὁ ἐμὸς πατὴρ ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ πλείω εἰς τὴν πόλιν ἀνήλωσεν, ἢ εἰς αὑτὸν καὶ τοὺς οἰκείους:* omninoque nihil frequentius apud oratores tali meritorum erga rem publicam et munerum laute ac liberaliter functorum commemoratione ad conciliandum causae suae judicum favorem. Cf. Isae. de Dicaeog.

her. §. 41. de Apollod. her. §. 39. Lys. l. l. p. 660. de crim. largit. p. 705.

γεγυμνασιάρχηκε δὲ λαμπάδι. H. e. *λαμπαδοδρομίᾳ*, ut ap. Xenophont. de redit. cap. 4. §. 52: *ἐν ταῖς λαμπάσι γυμνασιαρχούμενοι.* Plut. Solon. cap. 1: *οἱ τὴν ἱερὰν λαμπάδα διαθέοντες.* Plat. de re publ. I init.: *λαμπὰς ἔσται ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ.* Tribus autem festis solemnibus has cum facibus decursiones adjunctas fuisse Grammatici doceant, Panathenaeis, Vulcanalibus et Prometheis. Vid. Harpocrat. v. *λαμπάς* ibiq. Vales. Suid. v. *λαμπάδες.* Lex. Seguer. p. 277. Intt. ad Aristoph. Ran. v. 1119. Siebelis ad Istri fragm. p. 60.

ἐν δὲ τοῖς τριακοσίοις ἐγγέγραπται. Pertinet hoc ad illam classium vel symmoriarum descriptionem, tributorum aequabiliter exigendorum gratia institutam, quae qualis fuerit vid. ap. Boeckhium de oecon. rei p. Ath. II p. 62 sqq. In symmoriis enim qui maximo censu essent, principes quodammodo erant in conferendo et repraesentabant pecuniam ipsis postea a tenuioribus rependendam; universus autem illorum numerus erat trecentorum. Cf. et Demosth. ctr. Phaenipp. p. 1039, 17. 1046, 1.

§. 62. *γέγραπται.* Scil. *ἐν τῇ διαμαρτυρίᾳ.* Videtur autem haec in hunc fere modum concepta fuisse: *Ἀνδροκλῆς μαρτυρεῖ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν τοῦ Εὐκτήμονος κλῆρον· παῖδας γὰρ εἶναι ἐκείνου γνησίους* v. *παῖδα γὰρ εἶναι γνήσιον, τὸν καὶ τόν· Φιλοκτήμονα δὲ τὸν τούτων τῶν παίδων ἀδελφὸν ὁμοπάτριον, οὗ φησι Χαιρέστρατος εἶναι τὸν κλῆρον, μὴ δοῦναι αὐτῷ τὴν οὐσίαν μηδὲ διαθέσθαι, ἀλλ' ἄπαιδα ἀποθανεῖν.*

καὶ γὰρ ὁ δοὺς καὶ ὁ διαθέμενος. Haec verba quid sibi velint non assequar. Etiamsi enim cum Reiskio *ἐπιδέδεικται* suppleas ex antecedentibus, ipsa tamen sententia huic loco prorsus non apta est. Quid enim? hoccine demonstratum est, quis dederit, quis testatus sit? — Quasi vero hominem demonstrari opus fuerit, ac non illud potius, testatum re vera illum esse, cujus se filium adoptivum Chaerestratus ferret. — Ut taceam ar-

ticulum ante διαθέμενος repetitum, quem omitti oportebat, quum unus sit, de quo utrumque praedicatur. Itaque corruptum esse locum non dubito; neque placet quod olim rescribendum putavi καὶ γὰρ δοὺς φαίνεται καὶ διαθέμενος, quippe quod nihil contineat nisi repetitionem ejusdem sententiae quae jam inest in verbis τοῦτο ἐπιδέδεικται ψεῦδος ὄν. Sane si plane abessent ista, nihil, arbitror, quisquam desideraret.

§. 63. ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται. Vid. Bunsen. p. 16.

§. 64. ὥσπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος scil. ἐπιδείξειε. Cf. Schaef. Appar. crit. II, 268. III, 325. Paullo post γνήσιός ἐστι dubitari non potest quin librariis debeatur, idem hujus membri subjectum putantibus, quod fuit verbi εἴπῃ. Nam Isaeus quidem ipse, licet antea modo unius, qui γνήσιος perhiberetur, modo plurium mentionem fecerit (vid. ad. §. 10), tamen hoc loco, quum paullo ante plurali usus sit, et mox rursus plurali utatur, non potuit non scribere γνήσιοί εἰσιν.

ὑπὲρ αὐτῆς — λειτουργήσαντα. Et de γαμηλίᾳ hoc accipiendum videtur, et de ejusmodi impensis, quales commemorantur or. de Pyrrhi hered. §. 80, ubi vid. not.

§. 65. τὰ νομιζόμενα ποιοῦντα. Vid. ad or. de Menecl. her. §. 4.

ἔτι ὄντες οἱ παῖδες. H. e. περιόντες.

IN ORATIONEM VII.

DE APOLLODORI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Eupolis, Thrasyllus, Mneso fratres erant germani. Ex his Mneso in patria decessit sine prole, Thrasyllus in expeditione Siciliensi, filio relicto Apollodoro. Hujus Eupolis patruus tutelam tanta improbitate administravit, ut et Mnesonis hereditatem, cujus dimidia pars Apollodoro debebatur, testamento fratris praetexto totam occuparet, et e paternis pupilli bonis non pauca averteret. Interim Apollodori mater, Thrasylli vidua, Archidamo cuidam nupsit, qui et parvulum privignum paterna indulgentia aluit atque educavit, et postquam adoleverat accusanti Eupolin tutorem in judicio affuit, suoque potissimum patrocinio effecit ut et dimidiam bonorum a Mnesone relictorum partem et paternam hereditatem totam recuperaret. Hanc ob causam et vitricum privignus, dum vivebat, omni pietate coluit, et mortuo illo filiam ejus, sororem suam uterinam, fraterno amore amplexus est: postremo, quum ipse jam senior filio, quem unum susceperat, orbatus esset, hujus sororis suae filium adoptavit omnemque rei suae familiaris administrationem vivus adhuc ei credidit. Mortuo autem Apollodoro, hereditatem ejus petit Eupolidis filia, Pronapis cujusdam uxor, soror defuncti patruelis, adoptatum ab eo filium esse negans. Contra hanc oratio nostra habetur a filio adoptivo.

Is igitur primum gravissimas odii et inimicitiae inter Apollodorum atque Eupolin, gratiae autem et amicitiae

inter illum atque Archidamum causas intercessisse docet, narratis iis rebus, quae a nobis modo expositae sunt; neque imminutum postea vel odium illud vel hanc gratiam esse manifestissime demonstrat. Dein adoptatum se non per testamentum, quod quis suppositum criminari possit, sed ab ipso Apollodoro vivo ac sano in gentem ac phratriam introductum esse, phratorum ac gentilium testimonio probat. Atque etiam Thrasybulum, ex altera Eupolidis filia natum, Apollodori igitur ἀνεψιαδοῦν, qui meliore etiam quam adversaria cognationis jure hereditatem petere posset, rite se atque legitime ab Apollodoro adoptatum hoc ipso confessum esse, quod nullam sibi de hereditate controversiam moverit. Accedere etiam demotarum testimonium, quibus absente se propter Pythicam legationem Apollodorus mandaverit, ut si quid sibi ante filii adoptivi reditum accidisset, hunc in tabulas lexiarchicas tamquam filium suum inscriberent; idque etiam factum esse a demotis, frustra obloquentibus adversariis.

Sed etiamsi neque inimicitia Apollodoro cum adversariis, neque amicitia secum et cum familia sua intercessisset, nunquam tamen illum commissurum fuisse, ut Eupolidis familiae bona sua relinqueret: praevidisse enim futurum, ut domum suam interire illi paterentur non minus, quam alius cujusdam Apollodori, Eupolidis filii, cujus ad illos hereditas pervenerat, interire domum passi essent. Neque vero adoptaturum fuisse aliquem ex Eupolidis familia potius quam se, sororis filium. Quippe illic non fuisse, quos adoptare posset, nisi parvulos puerulos, qui quales aliquando viri futuri essent, incertum fuisse; se contra suosque mores spectatos Apollodoro multisque documentis probatos fuisse. Aequum igitur esse ut Apollodori de hereditate sua voluntas apud judices quoque valeat; quum praesertim, dum viveret, et bonum virum se et utilem rei publicae civem praestiterit, ipse etiam filius adoptivus muneribus suis, quantum per aetatem potuerit, strenue functus sit; adversarii contra, in lautissima re familiari, de-

trectare publica munera et suis tantum non patriae commodis inservire studeant.

Quo fere tempore haec causa acta sit conjectura haud improbabilis e nonnullis orationis locis capi posse videtur. Narratur enim §. 9 bello Corinthio Apollodorum, quum et ipse Corinthum cum exercitu profectus esset, testamentum fecisse, quo bonorum suorum heredem institueret sororem uterinam, addita condicione ut Lacratidae cuidam nuberet. Apparet igitur illam hoc tempore adhuc innuptam fuisse. Incidit autem expeditio illa Corinthiaca haud dubie in annum Olymp. XCVI, 4 aut XCVII, 1. a. C. 393 aut 392. Quodsi ponamus aliquot, quattuor aut quinque, post hoc tempus annis mulierem illam actoris patri nupsisse, deducimur in annum Olymp. XCVIII, 1 aut 2. a. C. 388 aut 387. Ipsum autem actorem, quum ab Apollodoro adoptaretur, jam thesmothetam fuisse apparet e §. 34; oportet igitur hunc illo tempore triginta annis non minorem fuisse, quippe quum ante trigesimum aetatis annum magistratum capere non liceret. Neque tamen multo majorem statuemus; adolescentem enim adhuc se esse ostendit §. 41. Brevi autem post adoptionem tempore, ante quam in demotarum tabulas inscriptus esset, Pythicam legationem suscepit, §. 27. Post trigesimum autem a matris nuptiis annum prima Pythias est Olymp. CVI, 3.*) a. C. 354, quo tempore actor, si quidem natum ponamus a. 386. Olymp. XCVIII, 3, annum agebat trigesimum tertium. Brevissimo autem post adoptionem tempore etiam Apollodorum mortuum esse apparet e §. 14, neque inter ejus mortem ac litem de hereditate motam multum temporis interfuisse idem locus demonstrat. Itaque Olymp. CVI, $\frac{3}{4}$ hanc causam actam esse statuerim.

In Hypothesin.

Vers. 1. *Θράσυλλος*. Rectius scribi *Θράσυλος* Hai-

*) Nam tertio cujusque Olympiadis anno Pythia agebantur. Vid. Clinton. Fast. Hell. Append. I. p. 208 sqq. Krüg.

tingerus censet in Act. Philolog. Monac. III, 3 p. 339. Sed duplex λ tuentur non solum Isaei codices omnes, sed etiam Thucydidei VIII, 76 et Demosthenici or. ctr. Polycl. p. 1241, 27, ubi nihil varietatis a Bekkero adnotatum est. Cf. et Andoc. de myster. extr. Lys. in Diogiton. §. 5 Bekk. Accedit etiam inscriptionum auctoritas, velut Corp. Inscr. no. 150. B. 18. Cf. Bast. epist. crit. p. 243.

vs. 4. Ἀρχέδαμος. Ita scribendum duxi, non quo meliorem hanc formam judicarem, sed propter optimorum codicum auctoritatem. Ceterum utraque forma perinde in usu fuit, et in lapidibus quoque nunc Ἀρχίδαμος legitur, ut Corp. Inscr. no. 199. a. 11, modo Ἀρχέδαμος ut ib. no. 456, ubi hoc quoque memorabile, eundem hominem promiscue Ἀρχέδαμον dici et Ἀρχέδημον. Ita apud Strabonem XIV p. 674 Ἀρχέδαμος vocatur, qui aliis fere Ἀρχέδημος aut Ἀρχίδημος est. Vid. Lips. manuduct. ad Stoic. philos. I, 12. Ἀρχίδημος apud Aeschinem in Ctesiph. p. 531 legebatur ante Bekkerum, qui Ἀρχέδημος reposuit, quemadmodum scribitur etiam ap. Aristoph. Ran. v. 420. Xenoph. Hell. I, 7, 1. Lys. in Alcib. p. 536. Demosth. in Steph. I p. 1123. — Doricae autem formae in Atticorum nominibus non admodum rarae sunt. Cf. Schaefer. Appar. crit. V p. 451.

vs. 10. υἱὸν ὄντα τῆς ὁμομητρίας αὐτοῦ ἀδελφῆς καὶ Ἀρχεδάμου. Si sanus est locus, erravit haud dubie grammaticus. Nam cognomines patrem actoris et avum maternum fuisse neque ex ipsa oratione discere potuit, neque aliunde, opinor, compertum habuit. Sed excidit fortasse θυγατριδοῦν, quamquam melius sane scripsisset Ἀρχεδάμου δὲ θυγατριδοῦν.

vs. 12. εἰς τοὺς γεννήτας. Quod ante Bekkerum legebatur γενήτας, etiamsi codices omnes tueantur, qua de re non constat, vitiosum tamen judico. Neque enim a γένος vocabulum derivatum est, a quo γενέτης potius, ut φυλέτης, δημότης, formatur, sed a γέννα, quo nomine non solum poetae et Ionici, sed etiam Attici scriptores usi sunt, inter quos Isaeus noster, teste Polluce III, 6.

Magis etiam peccant, qui *γενηταί* scribunt ὀξυτόνως, id quod Taylorus suadet ad Demosth. or. adv. Eubul. p. 1305, neque minus, qui *γεννηταί*, quandoquidem *γεννητής* a *γεννάω* ex analogia non potest nisi *genitorem* designare, velut ap. Platonem Legg. XI p. 928. D, quamquam ibi in plerisque editionibus contrario modo peccatur, quum *γεννήτας* exhibeant. Cf. Pollux III, 9. Quodsi etiam Minerva apud Graecos ut tutelare gentium numen colebatur, hanc non *γενητιάδα* appellatam esse oportet, ut Creuzerus censet Melett. I p. 25, sed aut *γεννητιάδα* aut *γενετιάδα*. Atque haec posterior forma extat in codice Palatino, ex quo nonnulla ibi a Creuzero excerpta proponuntur, eamque intactam relinqui oportuit.

In orationem ipsam.

§. 1. *εἰς τοὺς συγγενεῖς*. H. e. *εἰς τοὺς γεννήτας*. Ita enim illo vocabulo Isaeum in hac oratione usum esse adnotavit etiam Harpocratio v. *γεννῆται*, ubi res ipsa docet scribendum esse: *Ἰσαῖος ἐν τῷ π. τ. Ἀ. κ. συγγενεῖς τοὺς γεννήτας ὠνόμασεν*, non, ut vulgo legitur, *τοὺς συγγενεῖς γεννήτας*. Apud Suidam equidem scripserim v. *γεννῆται: Ἰσαῖος μέντοι τοὺς γεννήτας ἁπλῶς ὡς τοὺς ἐξ αἵματος συγγενεῖς ὀνομάζει*. Ceterum cf. infr. §. 13. 15. 17. 27. 43.

εἰς τὰ κοινὰ γραμματεῖα. Citat hunc locum Harpocrat. v. *κοινὸν γραμματεῖον*, ubi hoc phratorum et gentilium album esse docet. Cf. Suid. Phot. Lex. Seguer. p. 272.

διέθετο εἴ τι πάθοι —. Solemnis haec testamentorum formula. Cf. infr. §. 9. de Cleon. her. §. 4. Burgess. ad Dawes. Misc. crit. p. 424. Boeckh. Corp. Inscr. pag. 875.

καὶ ταῦτ᾽ ἐν γράμμασι κατέθετο —. Necessaria videbatur haec correctio, quam Reiskius quoque suasit. Cf. paullo infra *ὁ δ᾽ ἐν διαθήκαις σημηνάμενος*. Neque pluralis *ταῦτα* pro *τοῦτο* quemquam offendet; satis enim de hoc usu monuerunt Schaefer. App. crit. IV p. 99. Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 126. Jacobs. ad Achill. Tat.

p. 524 aliique quos citavit Voemel. ad Demosth. p. 68. — Ad σημηνάμενος suppl. αὐτά h. e. τὰ γράμματα. Est autem σημαίνεσθαι i. q. σφραγίζεσθαι, ut docet etiam Harpocratio v. σεσημασμένῳ. Cf. Demosth. ctr. Aphob. II p. 837, 18 et 21. adv. Apatur. p. 904, 5. Osann. Syllog. Inscript. p. 101. — De obsignatione autem testamentorum multa disputavit Heraldus Animadv. p. 103. Cf. Bunsen. p. 66. De depositione vid. not. ad or. de Cleon. hered. §. 14.

§. 2. ὁ δ' ἐν διαθήκαις scil. ποιησάμενός τινα, et ad σημηνάμενος suppl. αὐτάς.

οὐδὲν προὔργου τοῦτο εἶναι. H. e. τὸ πάντα ὅσα προσήκει αὐτόν τινα ποιῆσαι. Ita neminem offendet singularis τοῦτο, pro quo Reiskius ταῦτα malebat propter sequens αὐτῶν. — De vi προὔργου conf. Spohn. ad Isocrat. Panegyr. p. 18.

§. 3. μᾶλλον ἀποδεχομένους τὰς διαμαρτυρίας. Improbatum vulgo fuisse, si quis διαμαρτυρίᾳ potius quam εὐθυδικίᾳ uteretur, docent quae citavi de ord. jud. p. 650. De διαμαρτυρίᾳ autem ab adoptivis quoque filiis interponenda vid. prooem. or. de Menecl. hered.

οὐ διαφεύγει τὰ δίκαια μὴ οὐ — γιγνώσκεσθαι. Simili structura Plato Phaedr. p. 277. E: τὸ γὰρ ἀγνοεῖν — οὐκ ἐκφεύγει τῇ ἀληθείᾳ μὴ οὐκ ἐπονείδιστον εἶναι. Cf. Wex. ad Soph. Antig. p. 142.

καὶ παρ' ὑμῖν αὐτοῖς ἥκω διαλεξόμενος. H. e. *etiam apud vos judices, non solum apud archontem.* Nam apud hunc quoque ἐν τῇ ἀνακρίσει fieri non potuit, quin de jure suo multa disceptarent litigantes. Quodsi Thrasyllus διαμαρτυρίᾳ interposita judicium declinasset, οὐκ ἂν παρ' αὐτοῖς τοῖς δικασταῖς, ἀλλὰ μόνον παρὰ τῷ ἄρχοντι περὶ τῶν αὑτοῦ δικαίων διελέχθη. Non erat igitur, quod Reiskius αὐτὸς mallet pro αὐτοῖς.

δοῦναι δίκην τοιαύτην. H. e. *tale judicium subire.* Hoc enim sensu δίκην δοῦναι saepissime dici nemo ignorat. Est enim proprie *potestatem alteri dare juris sui erga me experiendi,* unde et δίκην δέχεσθαι v. λαμβάνειν *oblatam ab altero hanc potestatem accipere,* quare sae-

pissime haec conjunguntur δίκας δοῦναι καὶ δέξασθαι v. λαβεῖν. Hymn. Hom. in Mercur. 312: δὸς δὲ δίκην καὶ δέξο παρὰ Ζηνὶ Κρονίωνι. Valcken. ad Herodot. V, 83. Thucyd. I, 140. ib. 28. Fallitur autem Casp. Orellius ad Aeschin. Bremii tom. II p. 103, hoc sensu pluralem tantum numerum usurpari statuens. Nempe ubi de una quadam controversia agitur, nulla est ratio, quae singulari numero δίκην δοῦναι dici vetet; quin res ipsa hunc potius quam pluralem requirit. Neque igitur corruptam judicare debebat vir doctissimus illam lectionem, quae a Bekkero reposita est ap. Aeschin. in Ctesiph. §. 124, (etiamsi iste subeundi judicii sensus hoc loco requireretur, id quod equidem non arbitror.) non magis quam nostrum Isaei corruptum esse quisquam contendet, aut Homericum, quem laudavi, aut Xenophonteum de re publ. Ath. c. 2, 18: γιγνώσκων ὅτι δεῖ μὲν ἀφικόμενον Ἀθήναζε δίκην δοῦναι καὶ λαβεῖν.

§. 4. ἐπὶ τοῖς ἐγγυτάτω γένους —. H. e. ὥστε ἐπὶ τοῖς ἐγγυτάτω γένους γενέσθαι. Cf. §. 29. 31. de Hagn. her. §. 8. Add. de Aristarch. her. §. 7.

ὑφ' ἡμῶν. H. e. a familia nostra, ab avo meo. Nam ipse quidem actor illo tempore, quum Apollodorus haec beneficia acciperet, ne natus quidem erat. Sed eodem modo loquitur etiam §. 9. 10. 11. 35. cf. de Aristarch. hered. §. 18. Scilicet quae a majoribus facta sunt, posteri tamquam sua quodammodo sibi vindicant.

βοηθεῖν μοι τὰ δίκαια. Frequentissima loquutio, explicanda e brachylogia quadam: βοηθοῦντας ἀποδοῦναί μοι τὰ δίκαια. Cf. de Ciron. her. §. 5 extr. Lys. pro Callia p. 186. in Diogiton. p. 894. fragm. pro Pherenico p. 32. Demosth. ctr. Aphob. I p. 814, 3. 835, 4. in Onetor. p. 870, 26. Xenoph. Memm. II, 6, 25. Eadem ratio est loquutionis κωμῳδεῖν τὰ δίκαια apud Aristoph. Acharn. 662, in qua doctissimos viros offendisse miror. Est enim κωμῳδοῦντα λέγειν τὰ δίκαια.

ὡς ἂν κἀγὼ δύνωμαι. „*Cur ita? cur non potius simpliciter* ἐγώ? *quae vis inest illi* καὶ (*etiam*) ἐγώ?“ *Reisk.* Eadem arbitror, quae apud Herodotum VIII,

143: *ἀμυνεύμεθα οὕτω ὅκως ἂν καὶ δυνώμεθα.* Soph. Oed. Colon. v. 53: *ὅσ' οἶδα κἀγὼ πάντ' ἐπιστήσει καλῶς.* Vertendum erit *quantum quidem ego potero* — quippe non satis exercitatus in dicendo —; sed in particula inest quaedam significatio comparationis cum aliis, qui exercitati sunt, ut apud Herodotum quidem manifesta est comparatio facultatis cum voluntate, et apud Sophoclem quoque qui loquitur, quum peregrinus sit, suam scientiam comparat quodammodo cum civibus, locorum haud dubie peritioribus. Hanc rationem etiam Reisigius sequitur.

§. 5. *ἀξιοῦσθαι παρ' ὑμῖν.* Scaliger *παρ' ὑμῶν* rescribendum putavit eique Reiskius assentitur. Sed *ἀξιοῦσθαι παρά τινι* non minus recte dicitur, quam *ὑπειλῆφθαι παρὰ τοῖς πολλοῖς* apud Lycurg. in Leocr. c. 2. et *δοκεῖν παρά τινι* apud nostrum de Hagn. her. §. 38. Lys. in Euandr. p. 803. Demosth. adv. Aphob. p. 847, 23. Cf. h. or. §. 19 et Bernhard. Syntax. p. 257.

τούτων τῶν δύο τελευτησάντων. Articulum addi postulabat praeter codicum auctoritatem etiam optimorum scriptorum consuetudo. Vid. Popp. prolegg. ad Thucyd. p. 200 extr. Krueger. ad Dionys. p. 303. Anacoluthia autem est ejusmodi, quae justam excusationem apud oratorem quidem vix habere videatur. Itaque assentior Bekkero, locum corruptum judicanti.

τῶν ἐν Σικελίᾳ τριηράρχων. Pro *τῶν εἰς Σικελίαν.* Conf. Bernhard. Syntax. p. 208. *Τῶν τριηράρχων καταλεγεὶς* eodem modo dictum est ut *τῶν τρισχιλίων κατελέγην* ap. Lysiam in Nicomach. p. 845: *τῶν ἐννέα ἀρχόντων κληροῦσθαι* ap. eund. in Alcibiad. p. 524, aliaque apud Bernhard. l. l. p. 146.

§. 6. *αὐτὸν δ' ἐκεῖνον οὕτω διῴκησεν. Διοικεῖν* cum accusativo personae est etiam apud Demosthenem in Timocrat. p. 763, 6: *τὴν ἀδελφὴν καλῶς διῴκηκεν.* Conf. Alciphr. II ep. 2, 2.

τριῶν ταλάντων δίκην ὀφλεῖν. Non arbitror *δίκην ὀφείλειν* dici posse nisi eum, qui aut nondum condemnatus est, quum significare volumus, eum dignum esse

qui condemnetur ac poena afficiatur, aut eum qui, quum condemnatus sit, nondum tamen poenas persolvit. Itaque ὀφείλει δίκην ἤτοι ὁ μήπω ὀφλών, ἢ ὁ ὀφλὼν μὲν ἀλλὰ μήπω ἐκτίσας. Neutrum huic loco convenire manifestum est, quamobrem non dubitavi ὀφλεῖν etiam contra codices rescribere. Quam saepe haec permutentur neminem fugit. Idem vitium apud Demosthenem ctr. Aphob. II p. 836, 5 sustulit Bekkerus, perperam obloquente Schaefero. Scilicet tutores Demosthenis mandatum sibi ab ejus patre simulaverant, ut filii patrimonium ne elocarent propterea quod avus ejus τῷ δημοσίῳ ὀφείλων ἐτελεύτησεν h. e. mortuus esset mulcta, ad quam condemnatus erat, aerario non persoluta. Testes autem, quos produxerant, non illud ὡς ὤφειλεν edixerant, sed ὡς ὦφλεν h. e. non eum debitorem adhuc fuisse, quum moreretur, sed esse aliquando ad mulctam condemnatum. Atque hoc ipse Demosthenes non negat; illud alterum confictum esse arguit. Falli autem videtur vir praestantissimus etiam in explicando verbo ἐνεβάλετο, quod interpretatur *jactavit*. Atqui ἐμβάλλεσθαι nunquam, quod sciam, significat *jactare* h. e. *crebro ac studiose dictitare*, sed *jacere*, *mentionem injicere*, quod semel fit et plerumque obiter tantum, estque ab h. l. alienum. Recte autem Reiskius μαρτυρίαν hic supplendum esse monuit. Nimirum haec quoque erat Aphobi malitia, quod illud testimonium non ante postremum diem τῆς ἀνακρίσεως attulit et in ἐχῖνον conjecit, quo minus spatii adversario daretur, si quid vellet contra afferre. Id enim ipsa oratoris verba demonstrant: εἰ μὲν οὖν ἐξεγένετο καὶ μὴ τῷ χρόνῳ τοῦτ' ἐνηδρεύθημεν, παρεσχόμεθ' ἂν μάρτυρας ὡς ἐξετίσθη τὰ χρήματα καὶ πάντ' αὐτῷ διελέλυτο τὰ πρὸς τὴν πόλιν. De illo verbi ἐμβάλλεσθαι usu vid. Reisk. Ind. Gr. Demosth. — Sed de permutatione verborum ὀφείλειν et ὀφλεῖν conf. fr. pro Euphilet. §. 12. Pierson. ad Moer. p. 427. Sluiter Lectt. Andoc. p. 129. Neque minus saepe ὀφείλημα et ὄφλημα a librariis permutata sunt. Vid. Apparat. crit. ad Demosth. V p. 78 et 263.

§. 7. *ὡς ἑαυτοῦ, καὶ τὴν μητέρα κομισάμενος.* Haec vereor ut sana sint. Primum enim si *ὡς ἑαυτοῦ* accipiendum dicas pro: *tamquam suum, perinde ac si ipsius filius esset naturalis, non privignus*, hoc ipsum, arbitror, Isaeus aliter eloquuturus fuisset, v. c. *ὥσπερ ἑαυτοῦ ὄντα* aut, ut vitaret ejusdem participii repetitionem, *ὥσπερ ἐξ ἑαυτοῦ γεγονότα* v. *πεφυκότα*. Dein quid significabit *καὶ — κομισάμενος?* An hoc: *quippe quum etiam matrem ejus in matrimonium duxisset?* Hic quoque *ἅτε* aut ejusmodi quid additurum fuisse Isaeum suspicor; sed, hoc ut omitti potuerit, quid est quod *κομισάμενος* dicit de muliere in matrimonium ducta? Hujus equidem loquutionis neque rationem perspicio neque exemplum novi. Quid igitur? si legamus *ὡς ἑαυτὸν καὶ τὴν μητέρα κομισάμενος, quum in domum suam, ad se matremque puerum recepisset.* Quippe antea puer apud tutorem educatus fuerat, a quo quum pessime haberetur, Archedamus eum sibi ac matri reddendum curavit. — Ceterum privigni apud vitricum educati exemplum habemus etiam in orat. de Astyphili her. §. 27. quod tamen ita narratur, ut hoc non semper fieri solitum videri possit, meo quidem judicio. Nam Platnerus II p. 279 vitricos semper etiam *tutores* privignorum *legitimos* fuisse statuit: quod si verum esset, etiam educari ab his potissimum viderі deberent. Sed argumento utitur nullo, nisi hac de Astyphilo narratione, quae quidem non est ejusmodi, ut probet rem per se satis improbabilem.

δίκας δύο ἑλών. Alteram de semisse hereditatis a Mnesone relicta, alteram propter tutelam male administratam. Vid. §. 10.

§. 8. *πέπονθεν εὖ* corruptum videtur Bernhardio Syntax. p. 379. Ego tamen perfecto, non historico illi, sed veri nominis, hic non minus locum esse statuerim, quam infra §. 12 *γεγένηται*. De loquutione *ληφθέντος εἰς τοὺς πολεμίους* cf. ad orat. de Philoct. her. §. 1.

ἕως οὗ εὐπορήσειεν ἐκεῖνος τἀργύριον. Eadem hujus verbi structura utitur Demosthenes ctr. Boeot. de dote p. 1019, 13: *ἄλλοθέν τε χρήματα εὐπορήσας καὶ ἐκ Μιτυ-*

λήνης — λαβών. Aeschin. in Timarch. p. 121: ὅθεν δὲ ταῦτ' ηὐπόρησεν, ἐγὼ ἐρῶ. Duo praeterea ex Hippocrate et Themistio exempla citat Lobeck. ad Phryn. parerg. p. 595, qui quidem in eo fallitur, quod in illis Demosth. et Aesch. locis non *habendi* sed *suppeditandi* significationem huic verbo tribuit. Est tamen hujus quoque exemplum ap. Demosth. adv. Apatur. p. 894, 19: ὡμολογηκὼς δ' εὐπορήσειν αὐτῷ δέκα μνᾶς. Cf. Schneider. ad Xen. Anab. V, 8, 25. Sed longe frequentior hic usus est in compositis εἰσευπορεῖν, προσεισπορεῖν, συνεισπορεῖν etc.

§. 9. διδοὺς αὐτὴν Λακρατίδῃ. Dubium esse non potest quin sororem, quum heredem instituerct, etiam adoptaverit, (cf. ad or. de Hagn. her. §. 8) itaque, ut pater adoptivus, in matrimonium dare poterat cui vellet. — Ceterum postea, quum salvus e bello domum rediisset, testamentum illud sublatum esse apparet, neque nupsit illa Lacratidae, sed alii cuipiam, cujus nomen ignoramus.

§. 11. ἐκ τῶν αὐτῶν γεγονώς. *Eadem stirpe prognatus.* Nam pater Eupolidis avus erat Apollodori. Ita or. de Aristarch. her. §. 23 ἐκ τῶν αὐτῶν Κυρωνίδῃ γεγονὼς dicitur Cyronidis sororis filius. Sed accuratius tamen hoc definiendum videtur. Vid. ad §. 20.

§. 12. μὴ βουληθεὶς — scil. ἐκδοῦναι v. δοῦναι, quod facile e praecedentibus οὐδετέραν αὐτῷ τούτων ἔδωκε suppleri potest, ut non opus sit adscribi, id quod Scaliger et Reiskius voluerunt.

§. 13. διότι πολὺ αὐτὸν Ἀρχέδαμος εἷλεν. Assentior Reiskio πολὺ pro παρὰ πολύ dictum esse, de magno suffragiorum numero, quibus Eupolin Apollodorus vicerat. Ita etiam πολὺ νικᾶν est apud Thucydidem, Xenophontem, Aristophanem. Conf. Frotscher. ad Xen. Hieron. p. 32.

§. 14. καὶ ἤσκει. Hoc verbum de puerorum educatione est etiam apud Aristophanem Plut. v. 47: ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον. Cf. fragm. pro Euphil. §. 3: τοῦτον ἐκ παίδων τρέφων καὶ ἀσκῶν.

τὴν ἡλικίαν τὴν αὑτοῦ καταμεμψάμενος. Conf. Demosth.

adv. Aphob. p. 844, 12: ἔγωγε κατώκνουν ἂν τὴν ἐμαυτοῦ ἡλικίαν καταμεμφόμενος.

ἐλθὼν εἰς τὴν ἐμὴν μητέρα. Rarum hunc praepositionis usum apud Atticos esse nemo negat; nonnullis tamen locis codicum consensu probatur, quos omnes corruptos dicere vide ne temerarium sit, quum praesertim ratio nulla exputari possit, cur Atticos solos hunc usum constanter sprevisse credamus, cujus apud ceteros Graecos sat multa sunt exempla, de quorum veritate nemo dubitet. Sequendum igitur putavi Reizii et F. A. Wolfii judicium de accent. inclin. p. 56 sq. quod etiam Bernhardio probari video Syntax. p. 214. 215. Conf. Herodot. II, 121 coll. 109 et 120, ibique Wesseling. et Schweigh. Appian. Macedon. p. 530. Syriac. p. 539. 616. Mithrid. p. 648.

λαβεῖν ἠξίωσέ με υἱόν. Non quo per leges adrogari filium, si quidem ipse vellet, non licuerit, nisi matris consensu, sed quia hunc quoque requiri humanitatis erat.

§. 15. ἐπειδὴ Θαργήλια ἦν. Quum Thargelia incidissent, cujus festi celebrandi causa conventus a phratoribus et gentilibus agebantur, hac ille occasione usus est ut recipiendum curaret filium adoptivum. Conf. Platner. Symbol. ad I. A. p. 150.

εἰς τοὺς γεννήτας τε καὶ φράτορας. Ita et hic et paullo infra loquitur, ut conjuncta utraque inscriptio eodemque conventu, in quo et gentiles essent et phratores, peracta videri debeat. Idque ita fuisse non dubito, neque assentior Platnero, qui antiquam phratriarum gentiumque conjunctionem a Clisthene sublatam esse statuit, ita ut hae non amplius illis continerentur earumque partes essent. Nam quod saepenumero in phratrias aliquos inscriptos esse narrant oratores nulla gentium mentione addita, id meo quidem judicio non eo valere potest, ut nullas in illis phratriis gentes fuisse credamus, sed ut non omnes, qui phratores fierent, gentibus quoque adscriptos esse statuamus. Nam in phratrias quidem aditus omnibus, qui quidem justis civium nuptiis procreati essent, etiam adscripticiorum liberis, patuisse videtur (vid. Platner. Symbol.

ad K. A. p. 128 sq.); gentiles autem esse non poterant, nisi antiqua stirpe civili procreati: ac fortasse ne hi quidem omnes gentem habuerunt. Conjunctas autem cum phratriis gentes etiam oratorum nostrorum aetate fuisse ostendit Aeschines d. f. leg. p. 313: *εἰμὶ δ' ἐκ φρατρίας τὸ γένος, ἣ τῶν αὐτῶν βωμῶν 'Ετεοβουτάδαις μετέχει*, qui locus, etiamsi forte illud *τὸ γένος* non de gente, quae proprie vocatur, sed latiori sensu dictum accipias, hoc tamen docet, Eteobutadas, quam gentem veram ac propriam esse constat, sacrorum quidem certe communione cum Aeschinis phratria conjunctos fuisse.

§. 16. *ἐπιτιθέναι πίστιν κατὰ τῶν ἱερῶν*. H. e. *λαβόντα τὰ ἱερά*, ut est apud Lycurgum cap. 7. Similia illius loquutionis exempla vid. de ord. jud. p. 688. Add. Duk. ad Thucyd. V, 47. et infr. h. or. §. 28.

§. 17. *τοῦ νόμου δὴ οὕτως ἔχοντος*. Cf. ad or. de Philoct. her. §. 2.

Θράσυλλος 'Απολλοδώρου. Dubium est utrum Thrasyllus jam antea vocatus sit, an nunc demum illud nomen, a patre scilicet Apollodori inditum, acceperit. Licitam enim talem nominis mutationem fuisse constat. Cf. Demosth. ctr. Boeot. de nom. p. 1006.

§. 18. *μᾶλλον* —. Recte Reiskius subaudiendum monet *ἢ τούτοις* h. e. *τοῖς ἀντιδίκοις*, qui rite adoptatum ab Apollodoro Thrasyllum negabant. Pro *τοῖς μεμαρτυρηκόσιν* malim equidem *τοῖς τε μεμαρτ.*; opponuntur enim hi, qui modo testimonium dixerunt, et illi, qui factis declararunt, juste ac rite actorem adoptatum esse. *Καὶ οἵτινες* est *καὶ ἐκείνοις, οἵτινες*, ad *ὁμοίως* autem subaudiendum *ὥσπερ οὗτοι*, h. e. *ὥσπερ οἱ ἀντίδικοι*.

Προνάπει. Reiskius *Προνάπῃ* potius legendum censet, si verum sit *Προνάπης* §. 39. 43. *Προνάπει* autem esse a *Πρόναπις*, unde tamen etiam *Προνάπιδος* formari solere dicit. Equidem, ut verum fatear, neque *Πρόναπις* neque *Προνάπιδος* usquam me legere memini; *Προνάπου* autem est in Aristoph. Vesp. v. 74, ubi tamen *Προνάπους* habet codex Ravennas. Neque intelligo

quid obstet quo minus *Προνάπης* tertiae declinationis esse credatur.

§. 19. *ἔστι δὲ νόμος* —. Vid. Bunsen. p. 27.

οὐδὲ παρ' αὐτοῖς τούτοις. Hic quoque praepositionem Reiskius omissam mallet. Sed cf. ad §. 5.

τοῦ γὰρ Εὐπόλιδος υἱέος ἄπαιδος Ἀπολλοδώρου τελευτήσαντος. De hac verborum collocatione vid. ad or. de Philoct. her. §. 22. Vix autem opus est monere, hunc Apollodorum Eupolidis f. non esse confundendum cum cognomine Thrasylli filio, de cujus nunc hereditate certatur.

οὐσίας καὶ πεντεταλάντου — ῥαδίως. Vel quinque talentorum patrimonio. Cf. de Ciron. hered. §. 35: *ἀγρὸν καὶ ταλάντου ῥαδίως ἄξιον.* Add. Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 8.

§. 20. *οἳ ἂν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι.* Ita jam Reiskius legendum conjecit, et confirmat hanc lectionem praeter optimi codicis auctoritatem etiam geminus locus apud Demosthenem adv. Macart. p. 1067, 8: *κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσιν.* Hoc autem *ἐκ τῶν αὐτῶν* quam vim habeat, neque Reiskius secum ipse consentit, neque cum Reiskio Bunsenius. Nam ille quidem ad h. l. subaudiri jubet *ὧν αἱ θήλειαί εἰσιν*, ad Demosthenem autem, Apparat. crit. V p. 113, eos designari dicit, qui sint ex eodem patre et ex eadem matre: quo excludantur fratres e diversis matribus. Atqui *ἀνεψιαδοῖ* v. c. duo, eodem patre sed duabus matribus prognati, eadem tamen propinquitate *ἀνεψιαδοῦν* defunctum attingunt, neuter neutro propior est; ut prorsus incredibile sit ex his alterum in capienda hereditate alteri praeferri potuisse. Neque illud fieri potest, ut subaudiamus *ἐξ ὧν αἱ θήλειαι.* Nam qui ejusdem hominis defuncti vel *ἀνεψιαδοῖ* sunt vel *ἀνεψιαδαῖ πρὸς πατρὸς* (de his enim, non de iis, qui sunt *πρὸς μητρὸς*, lex loquitur) quum iisdem atque ille majoribus prognati sint, non possunt non inter se *ἐκ τῶν αὐτῶν εἶναι.* Non igitur condicionaliter hoc poni debebat, quasi fieri etiam posset, ut non essent *ἐκ τῶν αὐτῶν.* An forte eos tantum *ἀνεψιαδοῦς* et *ἀνεψιαδᾶς* intelligi voluit, qui

Meliorem autem formam credo alteram *Πυθιαστὴς* a *πυθιάζω*, quod et ipsum a Stephano affertur; similiterque etiam *Δηλιασταὶς* dictos esse novimus. Ceterum conf. etiam Mueller. Dor. I p. 239.

ἄν τι πάθοι πρότερον —. Non ausim equidem optativum permutare cum conjunctivo in tali praesertim enunciatione, quae non solum praeterito tempori *διεκελεύετο* subjuncta est, sed etiam rem eloquitur non quae expectetur et credatur futura esse, sed ponatur tantummodo, ut quae fieri, si casus ita tulerit, fortasse possit. Minus obloquar, si quis apud Thucydidem VIII, 27 in his: *ἐκέλευε — τοὺς ἐπίπλους, ἤν που καιρὸς εἴη, ποιεῖσθαι*, conjunctivum *ᾖ* ex uno codice Vaticano cum Bekkero contendat recipiendum esse; quamquam hic quoque, quum in optativo reliqui omnes consentiant, verendum ne conjunctivus a correctore profectus videri debeat. Et defendunt optativum post *ἐάν* etiam Poppo Prolegg. ad Thucyd. I p. 144. et Hermann. opusc. I p. 282. ad Viger. p. 822.

καὶ μὴ ὡς ἄλλως ποιήσωσι. Satis, opinor, hujus quoque lectionis integritatem tuetur similis illa formula *ὡς ἑτέρως* apud Demosth. de coron. p. 254, 7. 298, 21. Platon. Phaedr. p. 276. C. Strab. I, 2 p. 49 Tauchn. Conf. Koen. ad Gregor. p. 76. In hac formula quum *ὡς* abundare videretur Heindorfio ad Plat. Phaedr. l. l. aliisque multis, extitit nuper, qui illud articuli instar esse diceret, itidem ut in *ὡσαύτως*. At vero *ὡσαύτως* Buttmannus Lexil. I p. 41 recte docuit exortum esse ex *ὣς αὐτῶς* h. e. *οὕτως αὐτῶς*: sed *ὡς ἑτέρως* non posse pro *οὕτως ἑτέρως* accipi res ipsa docet. Mihi hoc comparandum videtur cum *ὅσον ἀπέραντον*, *οἷος ἔμπειρος* et similibus. Nam sicut *ὅσον ἀπέραντον* Hermannus ad Aristoph. Nubb. v. 1 vere docet accipiendum esse pro *τόσον, ὅσον ἀπέραντον*, ita etiam *ὡς ἑτέρως* proprie nihil aliud est nisi *οὕτως, ὡς ἑτέρως*.

§. 28. *ἐν ἀρχαιρεσίαις.* Singularem hujus vocabuli improbant Atticistae. Vid. Lex. Seguer. p. 449, 29. Moeris p. 10. Fuerunt autem hae, de quibus orator

loquitur *ἀρχαιρεσίαι*, conventus *τῶν δημοτῶν* ad magistratus suos, demarchos et quaestores, creandos, qualis conventus *ἀγορὰ τῶν ἀρχόντων* vocatur a Demosthene ctr. Leochar. p. 1091, 16. *Ἀγοραὶ* enim haec minora tribuum ac pagorum concilia proprie vocantur, non *ἐκκλησίαι*, quae sunt populi universi. Conf. de comit. p. 27. Boeckh. Corp. Inscr. p. 105. Lex. Seguer. p. 327. Sed in illis magistratuum creandorum conventibus solebant plerumque etiam novorum demotarum (*δημοτῶν*) nomina lexiarchicis tabulis inscribi, id quod et ille Demosthenis locus docet et alter ejusdem orationis p. 1092, 12, ubi hoc ipsum extat *ἀρχαιρεσιῶν* nomen. — Mox *τοσαύτη περιφάνεια τῆς ποιήσεως* comparari potest cum Demosth. in Stephan. II p. 1102, 2: *τοσαύτη περιφάνεια τοῦ πράγματός ἐστιν*.

§. 29. *φιλίας — καὶ συγγενείας οὐ μικρᾶς*. Non reprehendo Reiskium quod malle se dicit *συγγενείας — καὶ φιλίας οὐ μικρᾶς*, sed tolerari tamen vulgatam lectionem posse arbitror. *Μικρᾶς* pro *σμικρᾶς* quum optimus codex offerat et Bekkerus receperit, nolui equidem spernere, licet illud alterum quoque ab Atticorum consuetudine non alienum esse judicem. Cf. Schaefer. ad Gregor. p. 500. — Mox autem *μηδέτερον* pro *μηθέτερον* etiam invitis codicibus, quorum in hac quidem re perexigua est auctoritas, reponendum esse putavi. Nec movet me quod in fragmentis a Dionysio servatis aliquoties *οὐθείς* et *μηθείς* legitur sine varietate. Quippe Dionysii aetate hae formae usitatae erant; oratorum aetate usitatas fuisse grammatici consensu negant. Vid. Lobeck. ad Phrynich. p. 181.

§. 30. *ὁ ἐναγιῶν* —. Cf. ad or. de Menecl. her. §. 46, ubi quae dicta sunt, conjunctum quodammodo fuisse manium et deorum *πατρῴων* cultum ostendunt; quamobrem, qui *οἶκον* suum interire nolunt, non suae solum apud posteros memoriae, sed numinum quoque tutelarium honoribus consulere putandi sunt. Quo magis etiam reipublicae interesse debebat, ne illud fieret, eamque ob causam archonti hoc demandatum erat officium,

ut videret, ne quis, qui heres alicujus factus esset, domum defuncti interire pateretur. Apparet tamen hoc saepenumero neglectum esse tum ex oratoris nostri narratione §. 31, tum ex iis, quae Demosthenes queritur ctr. Macart. p. 1077 sq.

§. 31. *διὰ τί;* Non satis caute Bekkerus haec expunxisse videtur. Multo enim verisimilius est, omissa esse per scribendi errorem, quam librariorum arbitrio inserta. An forte offendit eos participium *προορῶντι* post *διὰ τί* positum pro *ὅτι ἑώρα?* Vix credo; neque hoc durius, quam post *διὰ τοῦτο* in orat. de Menecl. her. §. 13: *διὰ τοῦτο τὸν νόμον ἔθηκεν οὕτως, ὁρῶν κτλ.* — Solent autem persaepe oratores ejusmodi interrogatiunculis interjectis narrationes ipsi suas interpellare, quo attentiores faciant judices ad ea, quae deinceps dicturi sunt. Cf. ad or. de Dicaeog. her. §. 13. Add. Demosth. adv. Aphob. p. 848, 1. 850, 13. ctr. Onetor. p. 876, 17. Magis offendit praepositio in verbo *προορῶντι*, quum non *praevidisse* nunc dicatur Apollodorus, quid sorores illae facturae essent, sed vidisse quid fecissent. Itaque nisi quis *προορῶντι* hoc sensu dictum esse demonstret, ut significet *πρότερον ὁρῶντι, quum jam ante videret*, id quod equidem neque nego, neque tamen exemplis probare possum, malim sane simplex *ὁρῶντι.* Reiskius scriptum fuisse putat: *διὰ τί πρόδηλον; ὁρῶντι* —, quod non est probabile. — De *πρόδηλον* vid. ad or. de Pyrrh. hered. §. 19.

§. 32. *οἶκον ἐκ τοῦ φανεροῦ τριηραρχοῦντα ἀνῃρήκασι.* Apparet hoc *ἐκ τοῦ φανεροῦ* non ad *τριηρ.* sed ad *ἀνῃρ.* pertinere. Sed illa verborum collocatio vim addit participio aliquanto majorem: *domum de medio — et talem domum — sustulerunt.*

§. 33. *παρὰ τούτων φίλων ὄντων.* Non alios quam Pronapem ejusque uxorem intelligi manifestum est, etiam ex iis quae statim adduntur. Indefinito ergo pronomini, quod Reisk. reposuit, *παρά του*, hic non est locus; neque potuisset ita participium *ὄντων* addi. Quod Bekkerus dedit verum haud dubie est, et in codicibus quo-

que ita scriptum esse credo. Ironice autem ad τούτων hoc additur φίλων ὄντων, quum re vera inimicissimi essent. — Ad ἐποιήσατο e priori membro repetendum est ἄν. Scilicet hoc quoque hypothetice dictum est, non minus quam illud τί βέλτιον ἂν ἔπραξεν; *quid faceret? adoptaretne aliquem ex illorum liberis?* Similis locus est apud Demosthenem ctr. Onetor. II p. 878, 12: εἰ τότ' αὐτῷ τις ἔδωκεν ὀμόσαντι — κομίσασθαι (τὴν προῖκα), τι ἐποίησεν ἄν; ἢ δῆλον ὅτι ὤμοσεν; *si quis ei permisisset ut jurejurando dotem recuperaret, quid fecisset? Nempe jurasset.* Schaeferus ad h. l. „*pervellem*,“ ait, „*sic scriptum:* ἢ δῆλον ὅτι ὤμοσεν ἄν.“ Sed sufficit particulam cogitando repetere. Item apud Isaeum de Ciron. hered. §. 20: μὴ οἴεσθ' ἄν, εἰ τοιαύτη τις ἦν ἡ μήτηρ ἡμῶν —, μήτ' ἂν τὸν πατέρα ἡμῶν γάμους ἑστιᾶν — ἀλλὰ ἀποκρύψασθαι ταῦτα πάντα, μήτε τὰς τῶν ἄλλων δημοτῶν γυναῖκας αἱρεῖσθαι ἂν αὐτὴν — ἀλλ' ἑτέρᾳ ἄν τινι περὶ τούτων ἐπιτρέπειν, μήτε τοὺς φράτορας εἰσδέχεσθαι ἡμᾶς, ἀλλὰ κατηγορεῖν —, ad ἀποκρύψασθαι, εἰσδέχεσθαι, κατηγορεῖν eodem jure addi debebat particula, quo addita est ad ἑστιᾶν, αἱρεῖσθαι, ἐπιτρέπειν, et quum non addita sit, cogitatione tamen repetenda est. Sunt enim haec omnia pariter hypothetice dicta, pendentque ab eadem illa hypothesi: εἰ τοιαύτη τις ἦν ἡ μήτηρ ἡμῶν.

§. 35. ὃς τὰ ὄντα ἀφανίσαι ἔμελλον. Quod olim legebatur ἀφιέναι tam est manifesto corruptum, ut certissimam Bekkeri emendationem asciscere non dubitaverim. Ἀφανίζειν τὰ ὄντα, cui oppositum est φανερὰ τὰ ὄντα καθιστάναι §. 39, is dicitur, qui agros, aedificia aliaque ejusmodi, quae quum omnium oculis exposita sint, φανερὰ οὐσία vocantur, divendit et cum ἀφανεῖ οὐσίᾳ permutat. Ita enim pecunia appellatur quae occultari nullo negotio potest. Illud igitur se facturum esse negat; adversarios in alterius illius Apollodori bonis, quorum heredes facti erant, fecisse criminatur. Vendiderat enim Pronapes Apollodori praedia (§. 31. 42.), opibusque suis dissimulatis exiguam tantum in censu pecuniam profitebatur, quo facilius publica munera sub-

terfugeret, §. 39. — *ὥσπερ οὗτοι τὰ τοῦ κλήρου πεποιήκασιν* plane eodem modo dictum est, ut apud Thucyd. II, 49: *καὶ πολλοὶ τοῦτο — καὶ ἔδρασαν εἰς φρέατα*, quum praecesserit *εἰς ὕδωρ ἑαυτοὺς ῥίπτειν*. *Δρᾶν* enim et *ποιεῖν* saepenumero nihil nisi prioris verbi notionem repetunt. Cf. Thucyd. V, 70. Herodot. V, 97.

§. 36. *δεδοκιμασμένος — τοιοῦτος εἶναι.* H. e. *ὅτι τοιοῦτός εἰμι*, vel *τοιοῦτος ὤν*. Sed quod sequitur *ἕν τι τῶν ὑπ' ἐκείνου δοκιμασθέντων* de rebus nondum factis, sed quas ille *τὸν δοκιμασθέντα* facturum esse judicaverat, paullo insolentius haud dubie dictum est. Atqui mores alicujus atque ingenium experimentis cognosse (*δοκιμάσαι*), hoc ipsum quodammodo continet: intelligere qualia ille etiam posthac facturus sit. Quamobrem haec quoque possunt *δοκιμασθέντα* dici, experimentis et quasi speciminibus praecognita. Et hanc interpretationem veriorem arbitror quam quae Reiskio placuit. Is enim „*significatne*," ait, „*eorum unum aliquid, quae sibi facienda proposuerat et fecisset ipse procul dubio si diutius superfuisset, eoque, quod ipse non potuit, mihi exsequendum demandavit?*" — Mox de gymnasiarchia vid. Boeckh. de oecon. r. p. A. I p. 494 sqq. et de Prometheis Meurs. Graec. fer. h. v. Loquutionem autem *γυμνασιαρχεῖν εἰς* — illustravimus ad or. de Dicaeog. her. §. 36.

§. 38. *οὐκ ἐκ συμμορίας τὴν ναῦν ποιησάμενος.* Quippe nondum institutis illo tempore symmoriis trierarchicis, quas circ. Olymp. CV, 4, quattuor igitur ante hanc litem annis primum institutas esse Boeckhius docet de oecon. r. p. A. II p. 100. *Ποιησάμενος* autem non de construenda nova nave, sed de reficienda atque instruenda vetere accipiendum est. Nam hoc tantum trierarcharum munus fuisse demonstrat id. ib. p. 97. Illud quoque *οὐδὲ δεύτερος αὐτὸς ὢν ἀλλὰ κατὰ μόνας* idem explicat p. 89, et *δύο ἔτη διαλιπών* ib. p. 82. *Ἀφοσιοῦσθαι* autem interpretatur Harpocratio: *τὸ μὴ ἐντελῶς τι ποιῆσαι, ἀλλ' ὥσπερ ὁσίας ἕνεκεν*, *perfunctorie tantummodo et quasi dicis causa aliquid agere.* Conf. Lex. Seguer. p. 472 in. Valcken. ad Herodot. IV, 154.

§. 39. ὡς ἱππάδα δὲ τελῶν —. *H. e. quasi equestris census tributa pendeat.* Fuerunt igitur etiam hac aetate vetera classium nomina, licet censu ipso haud dubie mutato. Conf. Boeckh. l. l. p. 42, quamquam is de Pronapis aetate incautius judicat. Qui fuerint autem hoc tempore magistratus, ad quos adipiscendos equester census requireretur, non liquet; nisi tales fuisse consentaneum est, qui cum aliqua pecuniae publicae administratione conjuncti essent. Nam ad ceteros haud dubie omnium classium civibus aditus patebat inde ab Aristidis aetate. Plura hac de re vid. ap. Boeckhium l. l. et de comit. p. 312. — Ceterum citat nostrum locum Harpocratio v. ἱππάς.

§. 40. ἐξελειτούργησεν. Inventu paullo rarius hoc verbum Reiskius merito dicit; equidem me id nusquam nisi hoc loco legere memini, neque in Londinensi H. Stephani editione aliunde citatur. Significat autem haud dubie ἐξ in hac compositione sicut in aliis compluribus perfectionem rei et absolutionem, h. e. ita illum liturgiis perfunctum esse, ut nihil reliqui faceret, quod desiderari posset: ut paullo post dicit: τί παραλέλοιπεν ὧν προσῆκεν; — Mox ἐν πρώτοις Wolfius prolegg. ad Dem. Leptin. p. XCVII dictum esse putat pro ἐν τοῖς τριακοσίοις, de quibus cf. not. ad or. de Philoct. her. §. 60; neque ego aliter sentio; sed articulum tamen et hic et infra in fine hujus §. desidero. De παιδικῷ χορῷ non opus est disputare; illud autem nonnullis offensioni fuit, quod sequitur: ὧν τὰ μνημεῖα τῆς ἐκείνου φιλοτιμίας — ἕστηκε. Id Reiskius ita corrigendum putat, ut scribatur ᾧ, scil. παιδικῷ χορῷ: quasi vero puerorum istorum causa tripus positus sit, ad nomina scilicet eorum posteritatis memoriae commendanda. In Tophami autem libro adscripsit aliquis ὧν μνημεῖα καὶ τῆς ἐκείνου φιλοτιμίας. At nihil mutandum est; pendet enim ὧν non a proximo μνημεῖα, sed a remotiore φιλοτιμίας; hoc autem φιλοτιμία τῶν λειτουργιῶν v. τῶν λελειτουργημένων nemo recte dici negabit; itaque etiam ὧν (h. e. τῶν λελειτουργημένων) ἡ φιλοτιμία recte dici apparet. Neque

duo aut tres genitivi, nam tertius est *ἐκείνου*, tali modo compositi ab optimorum scriptorum consuetudine abhorrent. Composuit ita Demosthenes in Androt. p. 609, 8: *τοσαύτην ὑπερβολὴν ἐποιήσατο ἐκείνων τῆς αὐτοῦ βδελυρίας.* Isocrates Panath. p. 249. A: *τὴν Πέλοπος μὲν ἁπάσης Πελοποννήσου κατάληψιν, Δαναοῦ δὲ τῆς πόλεως τῆς Ἀργείων.* Plura hujus generis vid. ap. Matthiaeum gr. Gr. p. 699. Bernhard. Syntax. p. 162 sq. Porro *μνημεῖα* plurali numero de uno tripode dictum recte comparavit Bernhardius p. 65 cum illo apud Demosthenem in Philippi epistola p. 159, 22: *ὑπομνήματα δὲ τῆς ἀδικίας στῆσαι ἀνδριάντα πρὸ τῶν πυλῶν*, ubi Reiskius temere singularem invexit. Plura vid. apud eundem Bernh., et ap. Matth. p. 801. De tripodibus autem dedicatis dictum est ad or. de Dicaeog. her. §. 41. *Ἐκεῖνος* credo equidem *δεικτικῶς* dictum esse; nihil enim obstat, quo minus aediculam illam, in qua tripus positus erat, conspici e dicasterio potuisse statuamus. Quodsi ponamus, in Odeo non solum *τὰς σίτου δίκας* sed alias etiam quae ad archontis jurisdictionem pertinerent, judicari solitas esse; Odeum proximum fuisse tripodum viae satis constat. Vid. Athenarum ichnographiam a C. O. Muellero delineatam in Ersch, et. Grub. Encyclop. tom. VI. Quamquam potest *ἐκεῖνος* etiam *notum illum tripodem* designare *ἀναφορικῶς*, ut *τοῦτο* apud Platonem Gorg. §. 61: *οὐ ἔστιν ἐν Πυθίου τοῦτο τὸ καλὸν ἀνάθημα.* Pronominis *ἐκεῖνος* hoc sensu usurpati exempla sunt apud Bernhardium Syntax. p. 279.

§. 43. *οὕτω καταβαίνειν.* — *Descendere de suggestu*, h. e. dicendi finem facere. Or. in Theocr. p. 1340: *βούλομαι δὲ δεηθεὶς ὑμῶν τὰ δίκαια — καταβαίνειν.* Demosth. de f. leg. p. 351: *δειξάτω καὶ παρασχέσθω, κἀγὼ καταβαίνω.* Lycurg. in Leocr. cap. 37: *βούλομαι δ' ἔτι βραχέα πρὸς ὑμᾶς εἰπὼν καταβῆναι.* Conf. Aristoph. Vesp. v. 1014.

§. 45. *οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ —.* Plane eadem clausula utitur or. de Ciron. her. et Demosth. in Conon.

IN ORATIONEM VIII.

DE CIRONIS HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Ciro, de cujus hereditate certatur, binas nuptias contraxerat, alteras cum consobrina sua, materterae filia, ex qua unam genuit filiam, alteras post prioris uxoris mortem cum Dioclis Phlyensis sorore, ex qua filios sustulit duos. Sed hi ante adultam aetatem obierunt, filia autem priore matrimonio genita postquam adoleverat collocata est Nausimeni Cholargensi, mox post hujus mortem, quum nullos dum liberos peperisset, alii cuidam civi Attico, ex quo natus est filius, qui hanc de avi materni hereditate causam agit. Mortuo enim Cirone quum bona ejus jure et legibus ad neminem nisi ad nepotem, qui unus ex ejus sanguine ortus supererat, pertinerent, tamen a Diocle, illo Phlyensi, cujus ille sororem in matrimonio habuerat, subornatus est quidam fratris Cironis filius, qui hereditatem sibi adjudicari postularet: esse enim illum alterum, qui nepotem se defuncti diceret, non modo e Cironis filia, sed ne e cive quidem Attica natum; et si maxime Cironis ex filia nepos esset, per leges tamen quae in hereditatibus capiendis virilem cognationem muliebri potiorem esse juberent, sibi potius, quippe fratris filio, quam illi, ex filia nepoti, hereditatem Cironis deberi. — Huic noster ita respondet, ut primum matrem suam Cironis filiam fuisse demonstret, dein potiorem fratris filio nepotem

esse ostendat. Atque filiam quidem Cironis matrem suam fuisse non solum amicorum ac familiarium avi sui testimoniis constare, sed vel inde satis apparere, quod quum ipse servos Cironis, qui eam in hujus domo natam educatamque et bis ab hoc collocatam nossent, ad quaestionem habendam deposceret, hanc provocationem adversarii recusarint. — Praeterea se quoque a Cirone ita semper habitum et tractatum esse demonstrat, ut nepotem ab avo: patremque suum, quum matrem duceret, ea omnia fecisse, quae in civilibus nuptiis fieri conveniret; et demotas quoque matrem suam elegisse ad Thesmophoria procuranda, unde manifestum esse, eam ab his quoque civem esse judicatam. Denique etiam Dioclem, qui frater erat alterius Cironis uxoris, nunc viduae, ita adversus se egisse, ut manifestum esset, se ab hoc quoque pro Cironis nepote agnosci. Nam quum venisset ad Cironem sepeliendum eumque in domum suam transferre voluisset, ut inde funus efferretur, tandemque viduae precibus concessisset ut ex illa ubi mortuus erat domo efferretur: neque Dioclem sibi neque ipsum adversarium obloquutum esse, neque repulisse se a funeris procuratione, sed postulasse etiam Dioclem, ut redderetur sibi ab actore pecunia, quam ipse in funus erogasset, quamquam postridie oblatam pecuniam accipere noluisse, sed omnem sibi ab adversario, fratris Cironis filio, redditam simulasse. Denique etiam ipso funeris die, quum apud avi sepulcrum Dioclem accusasset, quod et bona illius avertisset et istum adversarium contra se subornasset, obmutuisse Dioclem et tacendo veritatem illius accusationis ipsum quodammodo confessum esse.

Sequitur altera argumentationis pars: potius esse suum jus quam adversarii. Propiores enim esse posteros quam cognatos: ac si viveret adhuc mater sua, Cironis filia, plane dubitari non posse, quin huic, non fratri hereditas deberetur, ex quo consequi etiam filium hujus potiorem esse quam fratris filium. Sed etiam ex lege *κακώσεως* s. de mala parentum tractatione hoc idem

intelligi posse: nepotibus enim avi, non fratrum filiis patrui alendi officium imponi. — Ceterum omnem hanc controversiam Dioclis instinctu motam esse non aliam ob causam, quam ut hic Cironis bonis, quorum maximam partem jam ante averterit, nunc universis potiretur, exigua aliqua particula adversario, fratris filio, concessa: nam ne adversus hunc quidem quantum relictum sit profiteri Dioclem, sed nihil admodum relictum esse mentiri, sicut etiam adversus se antea mentitus sit, propterea que sumptus in funus factos, quasi de suo erogatos, reddi sibi postulaverit, ac postea ab illo altero sibi redditos esse simulaverit, quo scilicet se, nepotem, excluderet, ne videretur in avi sepulturam quidquam contulisse. Se tamen impiam illius malitiam elusisse, monumento satis splendido in tumulo avi suis sumptibus posito. — Neque vero mirum esse tam injusta atque nefaria Dioclem conari, quippe qui per omne vitae tempus omni nequitiae, turpitudinis et impudicitiae genere inquinatus sit; quo minus etiam judicibus committendum esse, ut talem hominem alienis bonis contra jus fasque potiri, se autem non hereditate solum avita sed etiam civitate spoliari paterentur. Nam quum matrem suam non modo Cironis filiam, sed etiam civem Atticam fuisse adversarii negent, his si fides habeatur, se quoque, quippe qui post Euclidem archontem natus sit, pro cive haberi non amplius posse.

Justam fuisse actoris nostri petitionem — si quidem vere Cironis ex legitima filia nepos fuit — non opus est multis demonstrare, licet secus visum sit Grammatico, qui argumentum orationis exposuit. Quam enim is affert legem, quae jubeat *προτιμᾶσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν ἀῤῥένων τῶν ἀπὸ τῶν θηλειῶν*, hanc non nisi ad *ἀνεψιῶν* et *ἀνεψιαδῶν* hereditates pertinere satis constat. Conf. or. de Apollod. her. §. 20. Nepotes autem ex filia non minus quam ex filio fratrum filiis praelatos esse in capiendis avorum hereditatibus quum ipsi naturae consentaneum sit, tum etiam certissimis testimoniis demonstrari potest. Conf. Bunsen. de jur. her. p. 17 sq. et legem

ap. Demosth. ctr. Macart. pag. 1067. Add. ibid. pag. 1057.

In Hypothesin.

Vers. 1. ἀδελφιδοῦς — κατὰ πατέρα —. Ex veterum Atticorum usu πρὸς πατρὸς potius dicendum erat, sicut mox ἀντιποιησάμενος pro ἀντιποιηθείς. Dein παρέλαβε τὴν οὐσίαν non recte dictum esse demonstrat orator ipse §. 37. cf. not. ad §. 43. Porro γράφεται de actione privata, licet rarius, nonnunquam tamen etiam apud veteres reperitur, velut ap. Aristophan. Nubb. v. 760. Isocrat. ctr. Callimach. c. 5, et γραφὴ de libello in actione tutelae ap. Demosth. ctr. Aphob. p. 817, 12. Conf. de ord. jud. p. 198. Proprie autem ἀμφισβητεῖ, aut si accuratius etiam rem designare voluisset, παρακαταβάλλει πρὸς τὸν ἀδελφιδοῦν dicendum fuisset. Nam quum adversarius apud archontem ἐπιδικασίαν τοῦ κλήρου instituisset et λῆξιν suam detulisset, huic suam petitionem noster opponit, eamque ejusmodi, qua illum plane excluderet; in quali petitione παρακαταβολὴν deponendam fuisse docuimus de ord. jud. p. 619. Priorem autem petivisse adversarium vel ex eo apparet, quod prior in judicio verba fecit. Vid. §. 6. Add. not. ad §. 34.

vers. 9. ἐπιπλέκεται δ' αὐτῷ καὶ ἡ κατὰ ποιότητα ζήτησις. H. e. *Adjungitur autem* στοχασμῷ s. *conjecturali quaestioni etiam quaestio qualitatis.* Nempe intelligenda est *qualitas legalis*, ποιότης νομική, de qua vid. Hermogenes partitt. rhet. p. 20 ed. Sturm. Quaerendum est enim utrum sit legibus consentaneum, fratris an filiae filium hereditatem capere. — De ἐργασίᾳ τῶν κεφαλαίων, quam merito in hac oratione Grammaticus laudat, cf. Ernest. Lex. rhetor. p. 179 et 135.

In orationem ipsam.

§. 1. Ἐπὶ τοῖς τοιούτοις κτλ. — Ipsis judicibus aegre ferendum est, si quis eo impudentiae procedat, ut non solum aliena bona petat, sed legum quoque sententiam fallaciis ac mendaciis obscurare et pervertere conetur.

Τὰ ἐκ τῶν νόμων δίκαια sunt *τὰ ἐν ταῖς νόμοις δίκ.*, legum praecepta, h. e. quae leges justa esse praecipiunt. *Μὴ μόνον* unice verum, alteramque lectionem *μὴ μόνων* plane non ferendam esse rès ipsa satis docet. Aliis locis difficilior est optio, ubi adverbium non minus quam adjectivum poni sermonis consuetudo et rei ipsius ratio patitur, ut in codicum dissensione — et solent hi hac in re saepissime variare, — nihil nisi graviorem auctoritatem sequi possis. Ita v. c. infra §. 18 potuit etiam *μόνον* ferri, neque mutatum a me esset, si de ceterorum codicum, praeter Vratislav., lectione satis constaret. Nimirum potest *μόνον* ad totam hanc notionem trahi *δῆλόν ἐστιν ἐκ τούτων*, cui opponitur *ἐξ ὧν ὁ πατὴρ ἔπραξε* (*δῆλόν ἐστι*): *μόνων* contra ad solum pronomen *τούτων* pertinet cui oppositum est *ἐξ ὧν ὁ πατὴρ ἔπρ.* Nostro autem loco nihil esse apparet, quod oppositum sit huic *τῶν ἀλλοτρίων*. Tetigit hanc rem Bremius ad Lysiam p. 450. Add. Orell. ad Isocr. orat. de permut. p. 217.

ἐκ θυγατρὸς αὐτοῦ γνησίας. Veterem lectionem *ἐκ τῆς θυγατρὸς* vel propter soloecismum mutari oportuisse apparet. Addito enim articulo non potuit adjectivum substantivo postponi, sed medio loco collocandum fuit *ἐκ τῆς γνησίας θυγατρός*. Ipsa autem sententia articulum ut non respuit, ita addi certe non postulat. Fuit quidem una tantum Cironis filia; sed de hac nihil dum auditoribus cognitum erat, ut deberet definite designari, et adversarii nullam fuisse contenderant, ut hoc ipsum, fuisse Cironis filiam, probandum adhuc oratori sit.

οὗτοί τε τοῦ κλήρου λαγχάνουσιν —. Haec particulae collocatio quomodo defendi posse videatur, dixi ad orat. de Philoctem. her. §. 2. Vim autem ac gravitatem quae inest in oppositione pronominum *οὗτοί τε* — *ἡμᾶς τε* ita demum plane perspicies, si illud quoque *ἡμετέρου πάππου* et *ἡμᾶς ἐκ θυγατρὸς αὐτῷ γν.* voce intentiore pronuntiari debuisse reputes: *Noster* avus decessit, *nos* nepotes reliquit; tamen *illi* petunt, *nos* injuria afficiunt. — Quod autem *ἡμετέρου* ait et *ἡμᾶς*, ostendit non se solum sed alios praeterea e Cironis filia liberos

esse. Ὑβρίζειν, quod in universum de petulanti juris alieni laesione dici monuimus ad or. de Nicostrat. her. §. 10, hoc tamen loco eo imprimis spectat, quod adversarii matrem actoris peregrinam et inhonestam haud dubie mulierem fuisse contenderant. Vid. §. 20: εἰ τοιαύτη τις ἦν ἡ μήτηρ ἡμῶν, οἵαν οὗτοί φασι, et §. 43.

§. 3. οὐ δεῖ μοι νομίζειν εἶναι. Pronomen ad εἶναι non ad δεῖ pertinere manifestum est; licet nonnunquam etiam δεῖ cum infinitivo dativum adjunctum habeat, velut apud Sophocl. Oedip. Colon. v. 717 Doed. νῦν σοι τὰ λαμπρὰ ταῦτα δεῖ φαίνειν ἔπη. Sed haec constructio tum demum locum habere videtur, ubi δεῖ significat *opus est*. Conf. Plat. Phileb. §. 64: ἐῤῥήθη γάρ που τότε ἐν τῇ παραβολῇ τῶν βίων, μηδὲν δεῖν μήτε μέγα μήτε σμικρὸν χαίρειν τῷ τὸν τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν βίον ἑλομένῳ, quod quomodo accipiendum sit, docet §. 30 — 35, scil. non opus esse sapienti voluptatem. De Re publ. X c. 9 p. 608. C: οἴει ἀθανάτῳ πράγματι ὑπὲρ τοσούτου δεῖν χρόνου ἐσπουδακέναι. Laudavit hos locos jam Matth. gr. Gr. pag. 754. Accedat Xenoph. Oecon. VII, 20: δεῖ μέντοι τοῖς μέλλουσιν ἀνθρώποις ἕξειν ὅ τι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν ἔχειν τοὺς ἐργαζομένους τὰς ἐν τῷ ὑπαίθρῳ ἐργασίας. Anab. III, 4, 5: δεῖ ἐπισάξαι τὸν ἵππον Πέρσῃ ἀνδρί. — Mox ὁ εἰληχὼς est Cironis ἀδελφιδοῦς, Diocles autem Phlyensis Cironis κηδεστής, levir, qui quam ob causam Orestes cognominatus sit nescire me non admodum aegre fero. Novimus tamen ex Aristophane alium quendam Orestem, cui et ipsi cognomentum hoc, non proprium nomen fuisse videtur, infamem illo tempore grassatorem nocturnum, quem furorem simulasse Scholiastes ait ad Av. v. 712 et ad Acharn. v. 1182. Et fieri potest ut etiam Diocles aliquando furiosus fuerit. Cf. Vales. ad Harpocrat. p. 490 Lips.

§. 4. ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιόν ἐστι. Ne quis articulum abesse malit, conferantur haec exempla: Plat. Lach. p. 181. C: χρῆν μὲν οὖν καὶ πρότερόν γε φοιτᾶν αὐτὸν παρ' ἡμᾶς καὶ οἰκείους ἡγεῖσθαι, ὥσπερ τὸ δίκαιον. Legg. I c. 6 p. 630. E: ὥσπερ τό τε ἀληθὲς οἶμαι καὶ τὸ δίκαιον

ὑπέρ γε θείας διαλεγομένους λέγειν. Ib. I c. 1 p. 624: θεός, ὥς γε τὸ δικαιότατον εἰπεῖν. Plura vid. ap. Ast. p. 31. Add. Lach. p. 190. C: καὶ ἡμῖν, ὡς τὸ εἰκός, ῥᾴων ἡ σκέψις ἔσται. Euthyphr. p. 3. A: πλείστων καὶ μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος τῇ πόλει γενήσεται, ὥς γε τὸ εἰκὸς ξυμβῆναι. Scilicet in his loquutionibus non praedicatum est illud τὸ εἰκός, τὸ δίκαιον, ut quum dicitur ὡς δίκαιον, cujus subjectum est infinitivus ex contextu orationis subaudiendus, sed est ipsum subjectum: *jus est* scil. *hoc ut fiat*, quasi dicas ὡς τὸ δίκαιον ἔχει, quod extat v. c. apud Antiphont. de caed. Herod. p. 747: ὑμετέρα ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις ἔσται, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔχει. — Proximae sententiae πολλῶν δὲ δικῶν κτλ. plane gemina habet Demosth. or. ctr. Pantaenet. p. 967: πολλῶν γὰρ δικῶν ἐν τῇ πόλει γεγενημένων, οὐδένα πω δίκην οὔτ' ἀναιδέστερον οὔτε συκοφαντικώτερον οἴομαι φανήσεσθαι δεδικασμένον ἧς νῦν οὑτοσὶ λαχὼν εἰσελθεῖν τετόλμηκεν. — Οὐδένες et aliae hujus pluralis formae apud oratores satis frequentes sunt. Cf. infr. §. 12. Demosth. Aristocr. p. 688, 18. Olynth. II p. 23, 6. Philipp. IV p. 145, 15. Isocr. Panegyr. c. 15. Orell. ad or. de permut. p. 291.

§. 5. ἔστι μὲν οὖν χαλεπόν —. Hanc quoque sententiam iisdem fere verbis expressam habet Demosth. or. I ctr. Aphob. p. 813: οἶδα μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι πρὸς ἄνδρας καὶ λέγειν ἱκανοὺς καὶ παρασκευάσασθαι δυναμένους χαλεπόν ἐστιν εἰς ἀγῶνα καθίστασθαι περὶ τῶν ὄντων ἁπάντων, ἄπειρον ὄντα παντάπασι πραγμάτων διὰ τὴν ἡλικίαν· ὅμως δὲ καίπερ πολὺ τούτων καταδεέστερος ὢν πολλὰς ἔχω ἐλπίδας καὶ παρ' ὑμῖν τεύξεσθαι τῶν δικαίων καὶ μέχρι γε τοῦ τὰ γεγενημένα διεξελθεῖν καὶ αὐτὸς ἀρκούντως ἐρεῖν —. δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄ. δ., μετ' εὐνοίας τ' ἐμοῦ ἀκοῦσαι, κἂν ἠδικῆσθαι δοκῶ, βοηθῆσαί μοι τὰ δίκαια. De hac loquutione, βοηθῆσαι τὰ δίκαια, dictum est ad orat. de Apollod. her. §. 4. Quid autem sit illud quod vereri se dicit orator noster ne sibi accidat et in dicendo officiat, quum ipse consulto obscurius tantum significet, a nobis quidem nemo explicari postulabit. De constructione τοιοῦτον, ὃ — conf. Heindorf. et Stallbaum.

ad Platon. Phaedon. p. 92. B. Bremi ad Aesch. in Tim. p. 106. Plenius dicendum fuisset τοιοῦτον οἷόν ἐστιν ἐκεῖνο, ὃ νῦν ὑπ' ἐμοῦ ἐστι προσδοκώμενον. — Παρασκευὰς λόγων καὶ μάρτυρας οὐ τἀληθῆ μαρτυροῦντας conjungit etiam Demosth. I ctr. Onetor. p. 864, 20.

§. 6. Absoluto prooemio primam argumentationis partem aggreditur, ut matrem suam Cironis filiam legitimam fuisse probet partim λόγων ἀκοῇ, ubi ea afferenda sunt, quibus qui interfuerunt, ipsi non jam superstites sunt, sed alii quae ab his sibi narrata meminerunt, jurati pro testimonio profitentur, quod est ἀκοὴν μαρτυρεῖν, partim consciorum, h. e. eorum qui ipsi interfuerunt et etiam nunc supersunt, testimoniis. Ἀκοὴ λόγων et apud oratores non raro dicitur, et apud alios quosvis scriptores; ἀκοὴ μαρτύρων autem dicuntur illi rumores, quatenus testes a se eos auditos esse profitentur. Similiter infra §. 29: ἀκοὴν μαρτυρούντων παρεχόμενος. Est igitur μαρτύρων vel μαρτυρούντων ἀκοὴ illud ipsum, quod testes se a defunctis accepisse testantur. Scilicet sola λόγων ἀκοῇ in judiciis demonstrari nihil potest, nisi accedat testium, qui suam hanc ἀκοὴν esse affirment, auctoritas. Itaque τὴν λόγων ἀκοὴν etiam μαρτύρων ἀκοὴν esse oportet. Diversam autem esse utriusque genitivi rationem apparet; alter enim objectivus est, alter subjectivus. Reiskium autem, qui h. l. post μαρτύρων add. πίστει, et §. 29 corrigendum censet τοὺς ἀκοὴν μαρτυροῦντας παρεχόμενος, nemo, opinor, audiet. — Mox ὡς κληρονομεῖν μᾶλλον ἡμῖν ἢ τοῦτον προσήκει mira inconcinnitate dictum est pro ἡμᾶς ἢ τοῦτον — aut ἡμῖν ἢ τούτῳ.

§. 7. ἐξ ἀδελφῆς τῆς αὐτοῦ μητρὸς αὐτὴν γεγενημένην. Similis pronominis anaphorici abundantia est de Pyrrh. her. §. 73: τὴν θυγατέρα τὴν ἐκ ταύτης ἀποφανθεῖσαν εἶναι — ἐπίδικον καταλιπεῖν αὐτήν. Non plane eadem est ratio exemplorum quae Matthiaeus congessit, gr. Gr. p. 876, ubi redintegrandae orationi interruptae pronomen inservit. Sed conferri potest de Astyph. her. §. 17: καὶ οὕτως αὐτὸν διατεθῆναι ὥστε ἐκ τῶν πληγῶν αὐτὸν

ἀσθενήσαντα ἀποθανεῖν. — Mox participia συνοικήσασα — τεκοῦσα ἀσυνδέτως conjuncta idem valent ac si dixisset μετ' οὐ πολὺν χρόνον τῆς συνοικήσεως ἐπειδὴ ἔτεκεν — ἐτελεύτησεν. Dein apparet commemorari debuisse non quamdiu vixerit mulier, sed quamdiu in matrimonio fuerit: itaque quod vulgo legitur μετὰ ἐνιαυτοὺς τριάκοντα verum esse non potest. Triginta enim anni dici non possunt χρόνος οὐ πολύς: neque vero potest deleta negatione scribi συνοικήσασα πολὺν χρόνον: nam breve illud matrimonium fuisse res ipsa manifestum facit. Corruptum igitur numerum esse apparet, permutatis fortasse siglis numeralibus $\overline{\gamma}$ aut $\overline{\delta}$ et $\overline{\lambda}$, quod genus conjecturae, licet aliorum temeritate quodammodo infamatum, hoc tamen loco plane necessarium est. Et non raro illas literas inter se permutari constat. Vid. Bast. comm. palaeogr. p. 802 et 711. Ne quis autem forte aetatis annos designari credat, obstat non solum res ipsa, quae matrimonii potius quam vitae annos commemorari postulat, sed etiam usus loquendi. Quippe qui tricenarius obiit, dici non potest μετὰ ἐνιαυτοὺς τριάκοντα ἀποθανεῖν, nisi commemoratum antea est, quo tempore natus sit. Ceterum Reiskius quoque et Jonesius corruptum esse numerum intellexerunt, et τρεῖς pro τριάκοντα scribendum censuerunt.

§. 8. ἐπειδὴ συνοικεῖν εἶχεν ἡλικίαν. Ita post ἡλικίαν solus infinitivus additur etiam ap. Lysiam de olea p. 284: οὐδ' ἡλικίαν ἔχων εἰδέναι περὶ τῶν τοιούτων. Et post ὥρα ap. Isae. de Astyph. her. §. 28: ὥραν εἶχον παιδεύεσθαι. Post ἐξουσία ap. Lys. in Andoc. p. 241: οὔκουν ἐξουσίαν χρὴ ποιεῖν τοῖς μηνυταῖς ἀδικεῖν. Plura aliorum nominum exempla afferre nihil attinet. — Post in dotis commemoratione praepositio σὺν ἱματίοις καὶ χρυσίοις significat, vestes quoque et aureum ornatum doti accensenda esse, ut si cum pecunia etiam illarum rerum pretium computetur, summa existat XXV minarum. De re conf. quae dicta sunt ad orat. de Menecl. hered. §. 9. Add. de ord. jud. p. 417.

§. 9. Inter probationes, quae deinceps proponuntur, unam nemo non requiret, quae quidem omnium et fa-

cillima et certissima fuisset, phratorum testimonium, qui filiam illam Cironis in tabulis suis, τῷ κοινῷ γραμματείῳ, inscriptam esse testarentur. Et usus esset haud dubie hac probatione Isaeus, si potuisset, h. e. si vere illa in phratriae tabulis inscripta fuisset. Nunc quum hac de re plane taceat, omissum illud a Cirone videtur, sive per negligentiam sive propter aliam causam quamcunque. — De structura interrogationis obliquae per εἰ — ἢ pro εἴτε — εἴτε vid. Matth. gr. Gr. p. 1253; sed notabilis est variatio harum particularum, qua Isaeus h. l. usus est. Magis etiam notabile, quod in altero membro ἢ οὔ dixit, in altero ἢ μή, quod qua ratione defendi possit, non satis intelligo. Videtur omnino illud οὔ corruptum esse. Et permutatarum inter se a librariis negationum exempla non rara sunt. Vid. var. lect. ad or. de Dicaeog. her. §. 14. Philoct. her. §. 2. Apollod. her. §. 28. Astyphil. her. §. 7.

§. 10. ἵνα μᾶλλον αὐτοῖς πιστεύητε κτλ. H. e. *Quo magis testibus meis fidem haberetis, si testimonii sui veritatem non posthac demum probare parati essent, sed jam nunc probassent.* Hoc non dubito quin multis obscurum futurum sit, iis quidem certe, qui in simili sententia apud Lycurgum in Leocr. cap. 9 miris modis nuper errarunt, et ne indicatam quidem veram viam agnoscere potuerunt. Nempe hoc quidem satis planum esse arbitror, quo sensu testes μέλλοντες δώσειν ἔλεγχον dicantur, quippe quos testimonii sui veritatem praestare, si impugnetur, oporteat in judicio ψευδομαρτυριῶν. Quicunque igitur pro teste loquitur, is se testimonii sui veritatem praestare ac probare, si opus sit, paratum esse ostendit. Sed qua tandem ratione, qui servos ad quaestionem dedi postulavit, hac ipse re testes suos dicere potest ἔλεγχον δεδωκέναι περὶ ὧν μαρτυροῦσι? Tenendum est igitur, si quis earum rerum causa, quarum testes producturus erat, etiam de servis quaestionem haberi vellet, hanc ad rem etiam ipsos illos testes adhiberi solitos, et quidem ita, ut, quum provocaret adversarium ad servos vel exhibendos vel accipiendos, huic pro-

vocationi iidem illi testes adessent, qui se res illas, de quibus agebatur, testaturos professi erant. Hi igitur quum adsunt provocationi ejusque ipsi quodammodo participes fiunt, manifestum hac ipsa re documentum edunt, sibi de veritate earum rerum, quas testimonio suo confirmaturi sunt, adeo persuasum esse, ut non timeant, ne contrariis servorum indiciis mendacii arguantur. Hic erat igitur ille ἔλεγχος, quem dari a testibus suis actor voluit quo magis judices fidem iis haberent. Eodemque modo Lycurgus cap. 9: *οἶμαι δεῖν*, inquit, *τοὺς μάρτυρας μὴ δώσοντας ἔλεγχον μαρτυρεῖν, ἀλλὰ δεδωκότας. Παρεκαλεσάμην γὰρ αὐτοὺς πρόκλησιν — γράψας καὶ ἀξιῶν βασανίζειν τοὺς τούτου οἰκέτας.* H. e. *Adesse mihi eos jussi, quum provocarem adversarium ad servos exhibendos.* Pinzgeri ad h. l. imperitiam non miror; is enim *παρακαλεῖσθαι* idem esse putat, quod *προκαλεῖσθαι*; sed Blumium miror tantopere falli potuisse, ut non hoc solum Pinzgero crederet, sed etiam testes, de quibus Lycurgus loquitur, non alios esse quam ipsos adversarii servos in quaestionem postulatos opinaretur.

§. 11. *ταύτην τὴν μαρτυρίαν.* H. e. qua probatur, adversarios vere provocatos esse ab actore ad servos exhibendos.

§. 12. *ὑμεῖς μὲν τοίνυν καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ βάσανον ἀκριβέστατον ἔλεγχον νομίζετε —.* Eandem sententiam verbis fere iisdem expressam profert Demosth. orat. I ctr. Onetor. p. 874. nec minus diserte, quamquam alio modo, eloquitur Isocrates Trapezit. cap. 27, quos locos cum hoc nostro contulit jam Porphyrius apud Eusebium Praep. euang. X, 3 p. 466: *τὰ περὶ βασάνων εἰρημένα παρ' Ἰσαίῳ ἐν τῷ περὶ τοῦ Κίρωνος* (vulgo *Κύλωνος*) *κλήρου καὶ παρὰ Ἰσοκράτει ἐν τῷ τραπεζιτικῷ κεῖται, καὶ παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ κατ' Ὀνήτορος ἐξούλης σχεδὸν διὰ τῶν αὐτῶν εἴρηται.* Neque dubitari potest, quin Demosthenes et hic et supra §. 4 et 5 non casu tam similis sit magistri, sed hujus verba repetere voluerit, ut ad rem suam accommodatissima; quemadmodum etiam alii non raro aliorum dicta aut iisdem verbis aut leviter immu-

tata suis interponunt, quam rem qui crimini vertunt et furti eos accusant, parum prudenter judicare videntur. Sed de his disputare non hujus est loci; conf. tamen Spengel συναγ. τεχν. p. 108. — De tormentis autem eorumque fide, quae major veteribus quam testimoniorum videri solebat, alios quosdam locos citavit Hudtwalcker. de Diaetet. p. 51. Conf. etiam quae a nobis dicta sunt de ord. jud. p. 679.

§. 13. ἀξιώσει —. Futuro tempore utitur, non quasi ille non antea jam hoc ipsum postulaverit, quippe quem priore loco verba fecisse ostendat §. 6, sed inest in futuro quaedam indignationis significatio, quam indicat etiam interrogationis figura, quasi dicas οἷός ἐστιν ἀξιοῦν: *non verecundatur postulare?* Similiter supra quoque §. 11 futuri participio usus est: ὁ νῦν ὑμᾶς ἀξιώσων τοῖς αὐτοῦ μάρτυσι πιστεύειν. Et sane illa voluntas non solum praeteriti temporis fuit, sed vult ille etiam nunc, nec desinet velle ante sententiae pronunciationem. — Sequentis autem futuri vim: οὕτως οἰησόμεθα δεῖν — commodissime expresseris vertendo: *licebit, opinor, nobis credere* —. Post τούτους δὲ φεύγοντας verbum deesse apparet. Nam Stephani conjectura: ἀξιώσαντες εἰς βασάνους ἐλθεῖν τούτους δὴ τοὺς φεύγοντας — placere nemini potest. Reiskius ἐπιδείξαντες excidisse suspicatur, quod sensui certe satisfacit.

§. 15. ἵνα γνώσεσθε —. Ἵνα, *ut* significans, cum futuro indicativo construi Grammatici negant, velut Thom. M. p. 473, contendit Brunckius ad Aristoph. Equitt. v. 9, nullis tamen allatis veterum scriptorum exemplis; quae autem a Zennio afferuntur ad Viger. p. 557, nihil faciunt ad rem. Non temere igitur Bekkerus ἵνα in οἷς mutatum velit; sed tamen abstinendum mutatione censeo: quippe non solum consilium h. l. designatur, sed est certa rei futurae praedictio. *Etiam alia habemus documenta, quae ubi attulerimus, cognoscetis profecto etc.* Itaque ἵνα a primitiva significatione *ubi* non plane descivit; est quodammodo ἐν ᾧ γνώσεσθε vel ὅπερ ἐὰν γένηται, γνώσεσθε. Atque hanc rationem sequitur etiam

Bernhardius Syntaxi p. 401. — Jam quod affertur argumentum de sacris quibus actorem ac fratres Ciro adhibere consueverit, similia leguntur in orat. de Cleon. her. §. 31. de Astyph. her. §. 30. De Dionysiis ruralibus s. parvis per pagos celebratis, ludisque scenicis in theatris pagorum actis vid. Boeckh. Diss. de Lenaeis etc. in Comm. Acad. Boruss. ann. 1816. p. 76. Et gymnica quoque certamina in pagis institui solita vidimus ad or. de Menecl. hered. §. 42. Ad talia igitur spectacula pertinet hoc ἐθεωροῦμεν καθήμενοι παρ' αὐτόν, in quo accusativus αὐτόν ne quem offendat, vid. similia exempla cum hoc nostro collata apud Valckenar. ad Herodot. VIII c. 140. Add. Elmsl. ad Aristoph. Acharn. v. 767 et quos laudat Matthiaeus gr. Gr. p. 1173. Ita etiam proximo versu παρ' ἐκεῖνον non erat quod Reiskius mutaret.

§. 16. τῷ Διὶ τῷ Κτησίῳ. Frequentissima hujus mentio fit apud veteres; minus tamen publice quam privatis religionibus eum videntur coluisse, ut πλουτοδότην, qui daret κτῆσιν ἀγαθὴν, quemadmodum infra apud Isaeum legimus. Signum ejus in cella penaria, ἐν τῷ ταμιείῳ, collocari solitum refert Harpocratio v. Κτησίου. Plura vid. ap. Küster. ad Suid. I p. 604. Casaub. ad Athenae. XI c. 46. Spanhem. ad Julian. orat. I p. 69. Taylor. ad Demosth. in Mid. p. 531. Appar. crit. III p. 360 sq. Ceterum ab ejusmodi sacris domesticis et privatis extraneos cur arcendos crediderint veteres et Graeci et Romani verissime Lobeckius nuper exposuit Aglaopham. p. 276. — Mox συνετίθεμεν est *una cum avo prosicias arae imponebamus*, ἐπετίθεμεν ἐπὶ τὸν βωμόν, ut Dionysius habet A. R. VII, 72.

§. 17. μόνους ἐκγόνους —. Quippe filii, quos e Dioclis sorore sustulerat, jam dudum obierant. Cf. §. 7. 8. Ἐκγόνους fuerunt qui proprie de filiis tantum dici contenderent, de nepotibus autem ἐγγόνους. Vid. Hesych. hh. vv. Sed promiscue utrumque vocabulum filios et nepotes omninoque posteros significare docuerunt Albert. ad Hesych. I p. 1066. Ernest. ad Callimach.

epigr. 29. et ad Homer. Od. III. v. 123. Oudendorp. ad Thom. Mag. p. 849. Add. Dorvill. ad Charit. p. 327. — *Λοιποὺς καταλελειμμένους* dictum est ἐκ παραλλήλου, ut aiunt, quemadmodum apud Lucian. vit. auct. cap. 27: *τίς λοιπὸς ἡμῖν καταλείπεται*, et apud Plautum Cistellar. extr.: *Nunc quod ad vos, spectatores, relicuum relinquitur*. Similia plura vid. ap. Fritzschium Quaest. Lucian. p. 143.

§. 18. *γάμους εἱστίασε.* Supra §. 9 epulum nuptiale a patre dari vidimus, nunc a marito. Scilicet uterque, pater, quum filiam domo dimitteret, maritus, ubi novam nuptam domum deduxerat, cognatos et amicos convivio excipere solebant. Et de epulo nuptiali in paterna domo vid. Homer. Od. IV, 3 sqq.; de altero in domo mariti Iliad. XIX, 299. — De *γαμηλίᾳ* dictum est ad orat. de Pyrrh. her. §. 76.

§. 19. *ἄρχειν εἰς τὰ Θεσμοφόρια καὶ ποιεῖν τὰ νομιζόμενα.* Vid. quae diximus ad or. de Pyrrh. her. §. 79. — *Ἄρχειν εἰς τὰ Θ.* potius conjungendum censeo quam *προὔκριναν εἰς τὰ Θ.*; est autem illa loquutio comparanda cum *χορηγεῖν, γυμνασιαρχεῖν εἰς* — de qua vid. not. ad or. de Dicaeog. her. §. 36. Dioclem Pitthensem ab altero Diocle, Cironis leviro, diversum esse apparet; hic enim Phlyensis fuit. *Πιτθεῖ* formam a Reiskio et Bekkero receptam ego quoque retinendam putavi, quum etiam in orat. de Menecl. her. §. 29 *Πιτθέως* non *Πιθέως* libri offerant. Vid. ib. not.

§. 20. *μὴ οἴεσθ' ἂν* —. De collocatione particulae, quam non ad imperativum sed ad eos qui sequuntur infinitivos pertinere manifestum est, conf. not. ad orat. de Pyrrh. her. §. 39. Add. Lycurg. in Leocr. cap. 17 extr.: *καίτοι οἴεσθε ἄν, εἰ τῇ Λεωκράτους διανοίᾳ χρησάμενοι πάντες ἔφυγον, τούτων ἄν τι γενέσθαι τῶν καλῶν ἔργων, ἢ ταύτην ἂν ἔτι τὴν χώραν κατοικεῖν ἡμᾶς;* ubi eadem quoque est particulae repetitio. Sed nostro loco hoc imprimis notabile, quod particula aliis infinitivis apposita, apud alios omissa et tacite repetenda est, qua de re conf. quae diximus ad or. de Apollodor. her. §.

33. — Ἠμφισβητήθη τοιοῦτον οὐδέν h. e. οὐδεμία τοιαύτη ἀμφισβήτησις ἐποιήθη. Neque enim τοιοῦτον οὐδὲν h. l. rem designare, quae in controversiam vocatur quilibet, opinor, intelliget: illud potius significatur, quod internum verbi objectum ego, si liceat, dixerim. Scilicet saepissime adject. et pronomina generis neutrius apponuntur verbis non ut rem designent externam ad quam pertingat verbi actio, sed ut ipsam verbi actionem vel a qualitate vel a quantitate vel alia quapiam ratione definiant; v. c. in hoc apud Theocritum XXIII, 34 ἅλμυρα κλαίειν accusativum longe alia ratione accipiendum apparet atque in κλαίειν τὰ πάθη; et ap. Herodot. III, 124 πολλὰ ἀπαγορεύειν non est *multas res vetare*, sed *studiose et frequenter vetare*, quasi dicas πολλὰ ἀπαγορεύματα ποιεῖσθαι, quemadmodum accipienda sunt alia innumera, in quibus vulgo adjectiva pro adverbiis posita dicunt. Item ταῦτα ἠπεροπεύειν Hom. Il. III, 399 explicandum ταῦτα τὰ ἠπεροπεύματα ποιεῖσθαι, et τόδε μὴ χαράσσου, Eurip. Med. 154, si recte explicatur ab Elmslejo μὴ οὕτω χαράσσου, accipiendum erit quasi dictum sit μὴ τόδε τὸ χάραγμα χαράσσου. Eodem igitur modo τοιοῦτόν τι ἀμφισβητεῖν erit τοιοῦτό τι ἀμφισβήτημα (mel. τοιαύτην τινὰ ἀμφισβήτησιν) ποιεῖσθαι, et passive τοιοῦτόν τι ἀμφισβητεῖται, τοιαύτη τις ἀμφισβήτησις γίγνεται v. ποιεῖται.

§. 21. Sequentis argumentationis vis eo nititur, quod funeris procurandi jus et officium ad eos proprie pertinebat, qui defuncti vel cognatione vel testamento heredes futuri erant, quamobrem non semel oratores ex eo, quod quis aliquem vel sepelivit vel non sepelevit, hereditatem quoque ad eum pertinere vel non pertinere probant. Conf. de Nicostr. her. §. 19. de Astyph. hered. §. 4 et 32. Demosth. ctr. Macart. p. 1072 in. ctr. Leoch. p. 1090. Atque ex nostra oratione hoc quoque discitur, nonnunquam certe corpus defuncti etiam ex heredis aedibus, non ex iis, ubi decesserat, efferri solitum.

§. 22. δεδεημένη γὰρ εἴη —. Hujus structurae aliquot exempla habent Schaefer. Melett. p. 102. Ast. ad Platon. Polit. IV, 1.

§. 23. *τῶν δὲ ἀῤῥαβῶνα δεδωκέναι.* Ita cum Bekkero utique scribendum fuit pro *τὸν δὲ ἀῤῥ.* Nam non pro omnibus istis rebus arrhabonem datum, sed pro nonnullis praesentem pecuniam numeratam fuisse sequentia docent. Opponuntur igitur inter se *τι* et *τῶν δὲ*, ut ap. Aeschin. de f. leg. p. 265: *ἐξ ὧν αὐτοὺς ἀνῃρήκασί τινες, οἱ δὲ καὶ δημοσίᾳ ἐτελεύτησαν.* Cf. Fisch. ad Weller. I p. 326. 329. Arrhabo quid sit, nemo ignorat. Pro *οὗτος* Reiskius mavult *αὐτός*, ut significet *ipsum de suo erogasse.* Non tamen opus est quidquam mutari. Repetitur pronomen demonstrativum saepenumero, ubi abesse commode poterat. Ita §. 2: *αἴτιον δὲ τοῦ ταῦτα ποιεῖν αὐτοὺς ἐστιν ἡ τούτων πλεονεξία.* — Mox *διωμολογήσατο — συστῆσαι τοὺς λαβόντας* significat: *condixit se ad me adducturum esse eos, qui arrhabonem accepissent*, scilicet ut coram me arrhabonem sibi datum esse et res ad sepulturam necessarias a se praestandas profiterentur. Ita *συστῆσαι* de debitore, qui adducitur ad alterum, ut coram hujus se debitorem esse confiteatur, est apud Demosth. ctr. Spudiam p. 1029, 26. De alio verbi usu vid. de ord. jud. p. 503.

§. 24. *σὺ δὲ τίς εἶ; σοὶ δὲ τί προσήκει θάπτειν;* Ita solet in exclamatione et interrogatione *δὲ* poni cum indignationis vel admirationis significatione. Demosth. Mid. p. 582 init.: *οὐκ ἂν εὐθέως εἴποιεν· τὸν δὲ βάσκανον! τὸν δὲ ὄλεθρον! τοῦτον δὲ ὑβρίζειν;* Plat. Lys. p. 205. A: *τούτων δέ τι σταθμᾷ;* Conf. Hoogeveen. Schützii p. 173. — De structura *εἰσίῃς τὴν οἰκίαν* pro *εἰς τὴν οἰκίαν* vid. Valckenar. ad Eurip. Phoeniss. v. 1099. Bekkerus tamen tom. 5 p. 697 scribendum conjicit *οὐ μὴ εἴσει εἰς τὴν οἰκίαν*, propterea, opinor, quod in vetando post *οὐ μή* futurum potius ind., quam conjunctivus vel praes. vel aor. usurpari solet. Conf. Elmsl. ad Soph. Oed. Col. v. 177. Verum potest sane aliquis etiam in vetando hac figura uti, ut affirmet non futurum esse, quod alter velit: *non intrabis domum* pro *noli intrare.* — Paullo post *νῦν δὲ*, quod frequentissimi est usus, idem fere valet quod *ἀλλὰ γάρ* vel *ἀλλ' ὅμως*, ut bene exponit

Devarius p. 239, et semper id quod re vera factum est opponit ei quod fieri poterat vel debebat. *Εἰς ἕω* est *cras mane*; *εἰς ἐρχομένην ἡμέραν* explicat Harpocrat., hunc ipsum locum citans.

§. 26. *οὐδὲν γὰρ ὅμοιον ἦν μοι πρὸς τοῦτον.* H. e. *non eadem mihi adversus hunc ratio erat* scil. quae huic adversus me. Id quomodo intelligendum sit, proxima verba declarant. Videri igitur possit *ἐμοὶ* potius scribendum fuisse ad oppositionem notandam; sed hac in re minus nonnunquam diligentes veteres scriptores fuisse constat. Vid. Bernhard. Syntax. p. 274. 275. Itaque etiam paullo infra retineri potuit vetus scriptura *τούτῳ δέ μ' οὐ προσῆκεν ἐᾶν*, et retinuissem, si Bekkerum absque codicum auctoritate *δ' ἔμ' οὐ* — reposuisse compertum haberem. Nunc semel receptum exturbare nolui.

§. 27. *ἐπὶ τοῦ μνήματος.* Veterem lectionem *ἐπὶ τοῦ βήματος* corruptam esse apparet. Quemnam enim hunc suggestum fuisse cogitabimus? An forte in magistratus *ἀρχείῳ*, quum *ἀνάκρισις* ageretur? Sed neque in *ἀνακρίσει* unquam litigantes in suggestu constitisse novimus, neque per se credibile est, hoc tum demum actum esse, lite jam inchoata et libello petitionis delato. Itaque non dubitavi *μνήματος* corrigere. In funere, apud ipsum sepulcrum, actor de Diocle conquestus est. De hoc usu praepositionis *ἐπί* cum genitivo vid., si tanti est, Matth. gr. Gr. p. 1162.

§. 28. *πόθεν χρὴ πιστεύεσθαι τὰ εἰρημένα κτλ.* Simillimum hujus nostri locum et paucissimis tantum verbis discrepantem ex alia quadam Isaei oratione pro tutore, ut videtur, conscripta citat Dionysius Halicarn. tom. V p. 606. O. G. VII p. 328. eaque similitudo Reiskium et Bekkerum induxit, ut errasse Dionysium suspicarentur et memoriter citantem hunc ipsum nostrae orationis locum cum alius orationis fragmento perperam composuisse. Itaque inserenda quoque huic loco e Dionysio putarunt verba *πρὸς θεῶν*, quae nullus Isaei codex agnoscit, et Bekkerus in fragmentis p. 143 geminum illum locum plane omisit. Incaute, meo quidem judi-

cio. Nam non raro veteres oratores iisdem locis, aut nulla aut exigua verborum mutatione, in pluribus orationibus usos esse quis est qui ignoret? Conf. Dionys. de Lys. jud. p. 491 et Reisk. O. G. VI p. 195.

§. 29. *τῶν μὲν παλαιῶν ἀκοὴν μαρτυρούντων παρεχόμενος.* Quum sequatur *τῶν δ' ἔτι ζώντων* huic *τῶν μὲν παλαιῶν* oppositum; hoc quoque de hominibus, non de rebus accipiendum videri possit. At vix ego arbitror *παλαιοὺς* dici posse homines, qui tam brevi ante nos tempore vixerunt, patrum nostrorum aequales. Itaque de rebus accipere malim, ut genitivus sit objecti, pro *περὶ τῶν παλαιῶν*, et oppositio sit formae potius verborum quam significationis. Atque haec Reiskii quoque sententia est. De *ἀκοὴν μαρτυρούντων* vid. ad §. 6. — Paullo infra *τούτους* — *πεφευγότας* Reiskius pendere censet a verbo *παρεχόμενος*, aut etiam e praemissis *ἐπιδεικνύς* supplendum esse. At hoc quidem nimis remotum est neque ad hujus membri constructionem ullo modo pertinere potest; a *παρεχόμενος* autem illi accusativi pendere non possunt, nisi zeugmatis figura oratorem usum esse statuas, ut e *παρεχόμενος* subintelligatur illud ipsum *ἐπιδεικνύς* aut tale quid. Sed nihil obstat quo minus haec quoque verba pendeant a proximo *συνῄδεσαν*.

§. 30. Hinc jam alteram probationis partem aggreditur, ut suum jus, utpote nepotis ex filia, potius esse demonstret, quam adversarii, fratris filii. Propiores enim esse *τοὺς ἐκγόνους* quam *τοὺς συγγενεῖς*, *τοὺς ἐξ ἐκείνου γεγονότας* quam *τοὺς μετ' ἐκείνου φύντας*, quod nos dicimus, *descendentes* propiores esse quam *collaterales*. Conf. Bunsen. de I. her. pag. 7 sq. *Ἁπλῶς φανερὸν, in universum satis perspicuum*, sed quod tamen accuratius singulatim demonstrandum sit, id quod se facturum pollicetur: *ἀκριβέστερον διδάξομεν.* Fallitur itaque Reiskius, quum corrigendum putat *καὶ πᾶσιν ὑμῖν*, ut *ἁπλῶς* significet *prorsus, sine exceptione*, *καὶ* autem ante *πᾶσιν* intensivum sit. Nam alias, ait, omisso *πᾶσιν*, illud *ἁπλῶς* vi careret planeque supervacaneum esset. De formula *πῶς γάρ;* omnium frequentissima vid. Hemsterhus. ad

Lucian. Tim. Tom. I. p. 330. Bergl. et Wagner. ad Alciphr. I ep. 13. Koen. ad Gregor. Corinth. p. 144.

§. 31. *συνοικῆσαι μὲν ἂν τῇ γυναικὶ κύριος ἦν.* Ex lege, quae virgines *ἐπικλήρους* a proximis cognatis in matrimonium duci jubebat. Atque haec quidem nemini ignota; de altera autem lege, ex qua epiclerorum bona a filiis, simulatque adoleverant, etiam vivis utrisque parentibus capiebantur conf. or. de Aristarch. her. §. 12. Demosth. in Stephan. II p. 1135, 3. — *Ἥβησαν* cur sperneretur prae Scaligeri et Reiskii conjectura, nulla causa fuit. Apparet enim totius enunciationis rationem esse ejusmodi, ut hoc quoque membrum *ἀλλ' οἱ γενόμενοι παῖδες* instar protasios sit hypotheticae: *ἀλλ' οἱ παῖδες, εἴ τινες ἐγένοντο,* cui recte adjungitur *ὁπότε ἥβησαν*, et subintelligenda e prioribus apodosis *οὗτοι ἂν ἦσαν κύριοι.* Ceterum Kühnius quoque ap. Polluc. I, 57 *ἥβησαν* v. *ἡβῶσιν* reponendum censuit. Nam quod ibi scriptum est *ἥβωσαν*, typothetae imputandum videtur. — *Ἡβᾶν ἐπὶ διέτες*, *octodecim annos natum esse*, explicavit Boeckhius in Prooem. Catalog. Lectt. Berolin. a. 1819.

§. 32. *ἐκ τοῦ περὶ τῆς κακώσεως νόμου.* Similem argumentationem ex eadem lege cognovimus in or. de Cleonym. her. §. 39 ubi vid. not. *Γονέων* autem definitionem, ut proprie pater tantum et mater, avus et avia, proavus et proavia hoc nomine comprehendantur, remotiores autem non jam *γονεῖς* sint sed *πρόγονοι*, si non ex ipsis legibus, tamen ex communi usu loquendi petitam esse facile credo cum Bunsenio p. 8; illud tamen probare non possum, quod idem vir doctissimus etiam jus capiendae hereditatis iis tantum cognatis, qui unum ex his *γονεῦσι* cum defuncto communem haberent, competiisse statuit. Vid. quae contra hanc sententiam subtiliter disputata sunt a Gansio I p. 349 sqq.

§. 33. *πρὸς ἕνα δὲ τὸν πρῶτον τῶν συγγενῶν προσάξω.* Primum cognatum eum dici, qui proximus est, h. e. fratrem, res ipsa satis docet; et videmus etiam in sequentibus filiae et nepotis propinquitatem cum fratre comparari. Neque hoc Reiskium fugit; sed quod is

προσάξω intransitive dictum esse statuit pro *προσελεύσομαι, προσβαδιοῦμαι, προσχωρήσω*, non arbitror probari posse. Mihi potius *καθ' ἕκαστον τοῦ γένους* etiam hujus verbi objectum esse videtur, licet paullo liberius collocatum post *καὶ* conjunctionem. Poterat enim ita: *πρὸς ἕνα — προσάξω τοῦ γένους καθ' ἕκαστον* (vid. Buttm. ad Demosth. Mid. p. 176. Schaefer. ad Dionys. de C. V. p. 44 et 358) *καὶ ἐρωτήσω ὑμᾶς. Γένος* autem hoc quidem loco opponitur *τῇ συγγενείᾳ*, ut *ἐκγόνους* tantum significet. Ita etiam paullo infra: *γένος γὰρ ἀλλ' οὐχὶ συγγένεια τοῦτ' ἐστίν.* Conf. Bunsen. p. 6 sq. *Προσάγειν* denique significabit *admovere comparandi gratia, conferre, componere.* Ceterum conferri cum hoc loco potest Demosth. ctr. Macart. p. 1057: *ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι τὸν υἱὸν καὶ τὴν θυγατέρα οἰκειότερον εἶναι ἑκάστῳ ἡμῶν μᾶλλον ἢ τὸν ἀδελφιδοῦν. καὶ οὐ μόνον παρ' ἡμῖν τοῦτο νενόμισται, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις.*

§. 34. *πάντες γὰρ ὑμεῖς* —. Paternas et avitas quoque hereditates non per *ἐπιδικασίαν* sed per *ἐμβατείαν* capi solitas esse constat. Hac igitur noster quoque Cironis nepos uti haud dubie potuisset; sed quum occupatus esset adversarii petitione, qui ipsum non solum nepotem Cironis esse negaret, sed, etiamsi nepos esset, sibi tamen potius hereditatem deberi contenderet, omittenda fuit *ἐμβατεία*, et huic in judicio occurrendum. Et potuit quidem vel *διαμαρτυρίᾳ* uti vel *εὐθυδικίᾳ*: hac tamen, non illa, usum esse apparet, propterea, opinor, quod vulgo *εὐθυδικία* ipsis quoque judicibus magis quam *διαμαρτυρία* probari solebat, qua de re conf. de Apollod. her. §. 3. — *Ἀγχιστεία* quum propinquitatem cognationis significet non simpliciter, sed quatenus cum jure succedendi in alterius bona conjuncta est, haec *ἀνεπίδικος* recte dicitur, quum de hoc jure nulla contentio movetur, et *παρειληφέναι τὴν ἀγχιστείαν ἀνεπίδικον* filii dicuntur ac nepotes, quibus illud jus in paterna avitaque bona sine controversia tributum est. — In fine hujus §. *τὸν τῆς κακώσεως νόμον* dictum est ad instar Thucydidei illius *τὸ τῶν Μεγαρέων ψήφισμα*, cujus generis alia

exempla vid. ap. Matthiaeum gr. Gr. p. 650. Schaefer. Apparat. crit. in Demosth. II p. 209. 232. 400. Sed ὧν ἕνεκα τἄλλα γίγνεται vereor ut sanum sit. Nam quod Reiskius ait: *τἄλλα, id est τὰ σύμπαντα, tota haec controversia* — haec qua ratione τἄλλα dicatur, nemo dixerit. Scribendum utique censeo ὧν ἕνεκα ταῦτα γίγνεται.

§. 35. Exponit nunc actor, quantum bonorum a Cirone relictum sit, quorum potiundorum spe Dioclem, qui pleraque jam nunc in potestatem habeat, hanc sibi litem excitasse demonstrat. Reliquerat autem ille primum praedium in Phlyensium pago καὶ ταλάντου ῥᾳδίως ἄξιον. *Καί* intensivum esse apparet, ut de Apoll. her. §. 19 οὐσίας καὶ πεντεταλάντου; et satis amplum, ut pro Atheniensium modulo, praedium fuisse intelligitur ex iis, quae de agrorum pretiis congessit vir summus de oecon. r. p. A. I p. 67 sqq. Nam si unius plethri pretium quinquaginta fere drachmarum fuisse statuatur, hunc Cironis agrum centum et viginti plethrorum fuisse oportet h. e. jugerum Magdeb. circiter quinque et quadraginta. Phlya autem pagus fuit tribus Cecropidis. — Porro domus duas in urbe, alteram μισθοφοροῦσαν, quam elocare solebat, unde μισθός h. e. locarium redibat, alteram, in qua ipse habitabat. Prioris illius pretium erat drachmarum bis mille; ita enim illud interpretandum est δισχιλίας εὑρίσκουσαν, de pretio, quo venire poterat, non de locario annuo; id quod intelliget, qui contulerit quae de pretiis praediorum urbanorum habet Boeckhius l. l. p. 72. Et de hoc usu verbi εὑρίσκειν vid. Dorvill. ad Charit. p. 268. cf. de Hagn. her. §. 49. De Bacchi templo in Limnis, cui haec Cironis insula propinqua fuisse dicitur, vid. interpp. ad Thucyd. II cap. 15 et Boeckh. de Lenaeis etc. p. 70 sq. Citatur autem hic locus ab Harpocratione s. v. ἐν Λίμναις Διόνυσον, ubi tamen olim Διονύσιον scriptum fuisse fidem facit Suidae locus ex illo desumptus. — Dein post ἀνδράποδα μισθοφοροῦντα numerum excidisse apparet; et notavit hoc jam Bekkerus. Sunt autem servi μισθοφοροῦντες partim opifices, qui pensionem quandam statis

temporibus hero persolvunt, quae vocatur ἀποφορά, partim operarii, qui aliis elocantur. Vid. Boeckh. de oecon. r. p. A. I p. 78. Add. Casaubon. ad Theophr. Char. c. 22 et Pollux VII, 130 sqq. — Παιδίσκας diversas esse a θεραπαίναις ex hoc ipso loco satis apparet. Distinguuntur item apud Lysiam de caed. Eratosth., ubi p. 11 et 19 vides θεράπαιναν τὴν εἰς ἀγορὰν βαδίζουσαν, quae obsonatur, contra παιδίσκην p. 14, quae in coenaculo ministrat. Et videntur omnino παιδίσκαι elegantiores ac delicatiores fuisse, viliorum officiorum immunes. — Jam harum omnium rerum universum pretium fuisse dicitur πλέον ἢ ἐνενήκοντα μνῶν, in qua computatione servorum pretium non numeratum esse apparet. Nam praedia sola, urbana et rustica, minarum sunt trium et nonaginta; servi quoque et ancillae si accesserint, minae efficiuntur CVI. Sed hi proprie non sunt τῆς φανερᾶς οὐσίας, quo nomine immobilia potissimum designantur.

§. 36. ἐκείνην μὲν γὰρ οὐκ ἐξεδίδου —. Videmus igitur hoc juris fuisse et vulgo fieri solitum, ut uxor quae parere adhuc per aetatem posset, a viro seniore et ad liberos procreandos non jam idoneo diverteret. — In sequentibus notanda subjecti mutatio: βουλεύσαιτο enim non amplius de Diocle dicitur sed de Cirone. Conf. not. ad or. de Dicaeog. her. §. 3. Διαφθείρειν scil. τὸ ἔμβρυον, de abortu, unde etiam διαφθορή eodem sensu apud Hippocratem Epidem. VII, 48 p. 869 ed. I. A. v. d. Linden. Frequentius tamen apud hunc est ἀποφθείρειν, Epidem. IV, 2, 5 p. 743. IV, 12, 13. p. 751, unde ἀποφθορή ib. III, 2, 10 p. 719 et ἀπόφθαρμα ib. II, 2, 33 p. 691 extr. In aliis autem Hippocratis libris ἐκτιτρώσκειν potius dicitur.

§. 37. τά τε οὖν χρέα — καὶ τόκους κτλ. Omissus apud alterum nomen articulus ne quem offendat conf. exempla a Krügero congesta ad Dionys. Hal. historiogr. p. 140 et ad Xenoph. Anab. p. 92, quibus plura addere nihil attinet. — Pro ἀφείλετο αὐτῷ, quod olim h. l. scribebatur, Reiskius aut ὑφείλετο αὐτῷ scribendum conjecit, aut ἀφ. αὐτὸν [v. αὐτοῦ]. Neque injuria: nam Homerica

exempla verbi ἀφαιρεῖσθαι cum dativo incommodi constructi valere non possunt ad tuendam hanc structuram apud Atticum scriptorem; et quae a Matthiaeo afferuntur gr. Gr. p. 766 et a Bernhardio Synt. p. 123, diversi sunt generis, quippe in quibus sit ἀφαιρεῖν τινί τι, *aliquem liberare ab aliqua re molesta et ingrata.* Sed nostro loco veram esse lectionem ex duobus optimis codd. receptam nemo dubitabit. De loquutione δι' αὐτοῦ ποιεῖσθαι cf. ad or. de Philoetem. her. §. 35. — Mox pro ἐτελεύτησεν Scaliger malebat τελευτήσειεν. Nimirum is hoc membrum ὁπότε τελευτήσειεν hypotheticum totiusque loci sententiam hanc esse statuit, quam Reiskius quoque vertendo expressit: *gnarus autem me aliquando eorum de jure futurum esse arbitrum avo e vivis sublato*, (h. e. simul avus sublatus esset,) *non aditu quidem ad avum me exclusit neque congressibus et consuetudine ejus me arcuit etc.* Similiter etiam Jonesius. At haec potius est sententia: *Quum videret, quandoquidem avus mortuus erat, me hereditatem ejus universam petiturum, non aditu quidem, ad mortuum scil., me exclusit, neque prohibuit quo minus eum funeris causa curarem et secum una versarer* —. Ὁπότε cur *quandoquidem* verterim, non *postquam* periti sua sponte intelligent. Monuit de discrimine particc. ὅτε et ὁπότε etiam Hermann. ad Soph. Oed. Col. v. 1696. Optativum autem ab hoc loco alienum esse non jam opus est demonstrare.

§. 38. βιάσασθαι μὲν — οὐκ ᾤμην δεῖν. Pervellem Bekkerus de librorum lectione certiores nos fecisset, ut constaret horumne auctoritatem an suum ac Reiskii judicium sequutus sit δεῖν quum rescriberet pro vetere lectione οὐκ ᾤμην δή, quam contra libros equidem mutatam nolim. Sunt enim loci non pauci, in quibus his verbis οἴεσθαι, νομίζειν, ἡγεῖσθαι adjuncta est etiam *voluntatis* significatio, quae eadem inest etiam in Latino verbo *cogito*, in nostro *denken, gedenken.* Itaque βιάσασθαι οὐκ ᾤμην pro βιάσασθαι οὐκ ἐβουλόμην non minus recte dicitur, quam *vi agere non cogitabam* pro *vi agere nolebam.* Exempla vid. ap. Heindorf. ad Platon. Protag.

88. Lobeck. ad Phryn. parerg. p. 753. Buttmann. Excurs. V ad Demosth. Midian. p. 231. — *Συγγιγνωσκόντων* recte Reiskius explicat: *idem mecum cenentibus.*

§. 39. *καὶ ταῦτα μὲν οὕτως ἀναγκασθεὶς ἐποίησα τοῦτον τὸν τρόπον.* Cave *οὕτως* et *τοῦτον τὸν τρόπον* pleonastice s. *ἐκ παραλλήλου* dicta putes, ut dicitur nonnunquam *ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ*, cujus generis exempla vid. in H. Stephani Thesaur. c. 10987 B.; nostro loco *οὕτως* ad *ἀναγκασθεὶς* pertinet, *τοῦτον τὸν τρόπον* ad *ἐποίησα*: *His rationibus permotus ita egi.* — *Τὸν ἐξηγητήν*, *unum ex interpretibus religionum*, quem accuratius definiri nihil attinet. Ita noster quoque vernaculus sermo articulo uti solet, ubi nos quidem, qui loquimur, unam ac certam rem cogitamus, auditoribus autem hanc accuratius definiri non opus est, sed sufficit generis designatio. *Ἐξηγηταὶ* tres fuerunt, qui de religionibus et jure sacro, quo pertinent etiam funerum justa, consulentibus responsa dabant. Vid. Demosth. in Euerg. et Mnesib. p. 1160, 4. Lys. in Andoc. p. 204. Harpocrat. v. *ἐξηγητής*, qui hunc ipsum Isaei locum citat, Suid. Lex. Seguer. p. 252, 4. Add. Ruhnken. ad Timae. Lex. Plat. p. 109. Sluiter. Lectt. Andoc. p. 154. De *ἐνάτοις*, inferiis nono post sepulturam die latis, vid. not. ad orat. de Menecl. her. §. 39. *Ἐπιφέρειν* de sacrificiis et inferiis proprie dici solitum, ut Latinorum *inferre*, illustravit Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 225. *Ἱεροσυλίαν* autem vocat adversariorum facinus, quoniam contra fas erat et sacra manium jura laedebat, qui proximorum potissimum officia requirere credebantur. Denique *ἐκκόπτειν discutere, eludere*, eodem sensu dicitur a Lysia in Ergocl. p. 820: *ἵνα αὐτῶν ἐκκόψῃς τὰς συκοφαντίας.* et Dinarch. in Demosth. p. 79: *τὰς προφάσεις καὶ τοὺς φεναχισμοὺς ἐκκόψατε αὐτοῦ.*

§. 40. Absoluta probatione perorationem ingreditur, qua invidiam Diocli, gratiam et favorem sibi conciliare studet. — *Σχεδόν τι ταῦτ' ἐστίν*: *Haec fere sunt.* Ita solet *τι* post *σχεδὸν* addi, ubi si abesset, nemo requireret. Vid. Schaefer. ad Dionys. Hal. de C. V. p. 177.

Appar. crit. ad Demosth. V p. 144. — Mox ἔσχε τὴν οὐσίαν pro εἶχε utique reponendum censui; requiritur enim *accipiendi* significatio, quae inest in aoristo: *accepit pecuniam*, — non *habebat*; nam habet quidem etiam nunc. *Αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτῶν εἰσποιήσας filium se illarum patri, vitrico suo, ipse instituens*, supposito scil. testamento, quod nullum ab illo scriptum erat. Et nisi magnopere fallor ne potuit quidem per leges recte a vitrico adoptari. Vetabat enim lex, si filiae essent ἐπίκληροι, ne quis adoptaretur nisi ita, ut unam ex his uxorem duceret. Vid. de Pyrrh. her. §. 42. Soror autem ὁμομήτριος duci a fratre non potuit. Cf. Bunsen. de I. h. p. 148. Muret. Varr. Lectt. XV, 5. Perfecit igitur illud Diocles non solum contra defuncti voluntatem sed etiam contra leges, bonaque patris adoptivi occupavit; quae quum reddi filiarum mariti uxoribus suis ex jure postularent, tractati sunt a Diocle ad eum modum, quem statim actor exponit.

§. 41. *κατοικοδομήσας καὶ ἐπιβουλεύσας ἠτίμωσε.* Pertinet huc quodammodo Harpocrationis observatio: *κατῳκοδόμησεν ἀντὶ τοῦ κατέκλεισεν εἰς οἴκημα καὶ ἀπέκτεινεν. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατὰ Διοκλέους πολλάκις.* Diocles enim ille, in quem scripta fuit haec quam citat Isaei oratio, dubitari vix potest quin idem sit cum hoc nostro, quem et ipsum accusatum a Cironis nepote fuisse haec verba demonstrant §. 44: *τοῦτον μὲν οὖν* (scil. *τὸν Διοκλέα*) *οἷός ἐστι, καὶ νῦν ἀκούετε καὶ αὖθις ἀκριβέστερον πεύσεσθε, ὅταν κατ' αὐτοῦ τὴν δίκην ἡμεῖς εἰσίωμεν.* Duae igitur pro Cironis nepote scriptae erant Isaei orationes, altera haec nostra de avita hereditate adversus fratris Cironis filium, altera contra ipsum Dioclem, quae periit*). Atque in hac omnia Dioclis facinora, quorum hic brevius tantum et obiter mentio fit, accuratissime dataque opera exposita erant, ipsumque illud, quod ab Harpocratione ex-

*) Laudatur *Ἰσαῖος ἐν τῷ κατὰ Διοκλέους ὕβρεως* ab Harpocrat. v. *καταδικασάμενος* —, *κατὰ Διοκλ.* simpliciter in *διαγορεύειν*, *ἐκπλινθεύσας* et alibi; denique *πρὸς Διοκλέα* in *ἀμαζόνιον*.

plicatur, verbum κατῳκοδόμησεν, quod saepenumero ibi extitisse dicit, pertinuisse videtur ad narrationem hujus in alterius sororis maritum facinoris. Quamquam scrupulum injicit, quod Harpocratio explicationi suae addit καὶ ἀπέκτεινεν. Nam interfectum hunc quidem non esse apparet; quamobrem, nisi errasse Harpocrationem statuamus, ad alius cujuspiam facinoris narrationem verbum illud pertinuisse oportebit. Atque de hac quidem re equidem in neutram partem quidquam affirmem; κατοικοδομεῖν autem ipsum per se nihil aliud significare, nisi *includere aliquem aliquo loco, obstructo omni exitu* satis constat. Vid. praeter Vales. ad Harpocrat. p. 338 ed. Lips. Duker. ad Thucyd. III, 81. et de verbo ἀποικοδομεῖν similiter usurpato Schaefer. ad Plutarch. V p. 140. Apparet autem nostro loco potius inverso ordine dicendum fuisse ἐπιβουλεύσας καὶ κατοικοδομήσας; sed talia πρωθύστερα non admodum rara esse nemo ignorat. Ἠτίμωσε quo sensu accipiendum sit, non liquet. Meierus quidem de ord. jud. p. 320 not. 82 de stupro cogitat per vim illato, quo facto is qui stupratus erat ἄτιμος factus sit. Sed mihi et haec ipsa facinoris immanitas incredibilis videtur, neque si quis hoc modo, nulla sua culpa, vim ab inimico perpessus esset, propterea ἀτιμίᾳ eum notari potuisse existimo. Fateamur igitur oportet nescire nos, quonam modo ille inclusus a Diocle ἄτιμος factus sit; nisi forte verbum ἠτίμωσε improprie dictum accipiamus pro: *gravi et infami contumelia affecit;* quamquam hujus usus nullum exemplum me invenire memini, et ἠτίμασε potius scribendum suaserim, quod cum illo altero saepe permutari constat.

§. 42. φελλέα δὲ [χωρία ἄττα]. Huc pertinet Harpocrationis glossema: Φελλέα. Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. τὰ πετρώδη καὶ αἰγίβοτα χωρία φελλέας ἐκάλουν. Apparet, opinor, Harpocrationem φελλέα pro accusativo habuisse singulari, a nominativo φελλεύς; quod si ita est, haec verba χωρία ἄττα lecta ab eo non esse manifestum est; quae si legisset, φελλέα (aut φέλλεα) non potuit non pro adjectivo potius agnoscere, a nomi-

nativo φελλέος (φέλλεος) *). Et fuerunt qui τοὺς φελλέας etiam (τὰ) φελλέα dicta esse statuerent; in qua sententia Bekkerum quoque fuisse apparet, quum χωρία tantum ut spurium uncinis incluserit, ἅττα genuinum ratus. Et confirmari haec sententia videri possit aliorum grammaticorum auctoritate, velut Etym. M. p. 790, 13 et Phot. II p. 644 ed. Cant.: φελλέα· τὰ πετρώδη καὶ αἰγίβοτα χωρία, ὡς Ἰσαῖος, quos Ruhnkenius quoque sequutus ad Timaei Lex. Plat. p. 270, a φέλλος, inquit, natae formae φελλεὺς, scilicet τόπος, φελλὶς, scil. γῆ, φέλλεα et φελλία, scil. πεδία. Mihi tamen admodum levis haec auctoritas esse videtur, quum istos Etym. et Photii locos ex Harpocrationis fonte fluxisse appareat, sed turbato illo et corrupto, omissis scilicet verbis, quae omitti nullo modo debebant, sed desunt etiam in Harpocrationis codice Vratislaviensi: φελλέας ἐκάλουν, quibus additis φελλέα illum pro accusativo habuisse vocis φελλεύς mihi quidem, ut dixi, manifestum esse videtur. Itaque hunc ego auctorem sequutus χωρία ἅττα uncinis inclusi. Scilicet margini adscripserat ea aliquis ut explicaret rariorem vocem φελλέα, quam pro plurali perperam habuit. Ceterum de voce φελλεύς praeter Ruhnkenium ad Timaeum l. l. conf. etiam Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 273: φελλεῖς δὲ ἔλεγον Ἀττικοὶ τοὺς πετρώδεις τόπους, οἵτινες κάτωθεν μέν εἰσι πετρώδεις, ἐπιπολῆς δὲ ὀλίγην ἔχουσι γῆν. Hos etiam φελλοὺς dixerunt, teste Hesychio tom. II p. 1499: φελλός, σκληρὸς τόπος καὶ δυσεργὴς καὶ ἐξ ἐπιπολῆς πετρώδης. Porro φελλία, quod est apud Xenoph. Cyneget. cap. 5 §. 18: ὅταν τοὺς λίθους, τὰ ὄρη, τὰ φελλία, τὰ δασέα ἀποχωρῶσι.**) Dein φελλεῶνας ap. Arrian.

*) Φελλέος enim adj. παροξυτόνως pronuntiatum prorsus abnorme est, neque comparari potest cum ἀργαλέος, σμερδαλέος et simm. de quibus vid. Herodian. π. μονήρ. λέξ. p. 4. Itaque ipse ap. Harpocrat. accentus a φελλεύς hanc vocem derivandam suadet. Quod autem Isaei codices habent φελλεάδε (h. e. ut arbitror φελλεὰ δέ) nullius est momenti, neque permovebit hoc quemquam ut adjectivum φελλεός in usu fuisse credat.

**) Erravit Ruhnkenius φελλία pro adjectivo habens. Sub-

de venat. p. 210: *οἷα τὰ τραχέα καὶ οἱ φελλεῶνες καὶ τὰ σιμὰ καὶ τὰ ἀνώμαλα.* Denique etiam *φελλίδας*, quod vocabulum restituendum in decreto Aexonensium apud Boeckh. Corp. Inscr. no. 93 vers. 1: *ΚΑΤΑ ΤΑΔΕ ΕΜΙΣΘΩΣΑΝ ΑΙΞΩΝΕΙΣ ΤΗΝ ΦΕΛΛΙΔΑ*, pro *ΦΙΛΛΕΙΔΑ* vel *ΦΕΛΛΕΙΔΑ* et vers. 32: *ΟΙ ΜΙΣΘΩΤΑΙ ΤΗΣ ΦΕΛΛΙΔΟΣ*, pro *ΦΙΛΛΕΙΔΟΣ* vel *ΦΕΛΛΕΙΔΟΣ*; nisi quis hoc posterius et ipsum genuinum esse censeat, *ΕΙ* diphthongo pro *Ι* posita, ut saepe; quamquam priore loco *ΦΕΛΛΙΔΟΣ* praebet Pittaci apographum. Vid. Boeckh. not. ad no. 214 p. 345, qui etiam apud Pollucem I, 227 *φελλίς* extare monuit. — Quod autem in Lex. Seguer. p. 315, 10 legitur: *Φέλλερα, τὰ πετρώδη καὶ αἰγίβοτα χωρία,* corruptum e *Φέλλεα* esse apparet, itemque *Φελλά* apud Suid. h. v. ubi eadem sequitur explicatio, quae unde fluxerit supra dixi.

§. 43. *ὡς ἀκούομεν.* Vid. de hoc praesentis temporis usu Schaefer. ad Plutarch. tom. V p. 134. Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 80. Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 192. Matth. gr. Gr. p. 956. *Δεδωκὼς* autem significat: *daturum se pollicitus est* vel *obtulit*; nondum enim dedisse apparet ex iis, quae §. 37 legimus: *μέρος πολλοστὸν τούτῳ μεταδιδοὺς εἰ κατορθώσειεν*, ubi addita condicio ostendit, quomodo illud *μεταδιδοὺς* accipiendum sit. Et de hoc verbi *διδόναι* et compositorum usu longe frequentissimo conf. Wyttenbach. ad Plutarch. Morall. tom. II p. 341 Lips. Buttmann. ad Demosth. Mid. p. 169. Baehr. ad Plutarch. Alcib. p. 91 et in Creuzeri Melett. III p. 30. — Quod autem actor ait, si mater sua civis non fuerit, ne se quidem fratresque suos cives esse posse, quippe post Euclidem archontem natos; pertinet hoc ad Aristophontis legem, illo archonte latam, quae sanxit ne quis in posterum civis haberetur, nisi qui et patre et matre civibus natus esset. Vid. Herald. de rer. jud. auct. II c. 17 §. 4. Meier. de bon. damn. p. 70 sq.

---

stantivum esse a *φελλός*, ut *χωρίον* a *χῶρος*, accentus demonstrat.

Platner. Symbol. ad I. A. p. 106 et 237. Add. de comit. p. 72.

§. 44. παθὼν ὅ τι προσήκει. De adulterorum deprehensorum poenis vid. de ord. jud. p. 328.

§. 46. οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ —. Conf. ad or. de Apollod. her. §. 45. Addendus autem in fine titulus fuit *ΜΑΡΤΥΡΙΑ*. Vid. ad or. de Pyrrh. her. extr.

IN ORATIONEM IX.

DE ASTYPHILI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Astyphilus quidam Euthycratis filius Mytilenis militans obiit. De hereditate ejus lis exorta est inter Cleonem, fratrem patruelem, et eum cui hanc orationem Isaeus conscripsit, fratrem defuncti uterinum. Mater enim Astyphili post prioris mariti mortem Theophrasto cuidam nupserat, ex quo matrimonio hic actor noster natus est. Cleo autem Astyphili bona non sibi petiit, sed filio suo nondum adulto, quem ab illo adoptatum esse contendit, adeoque neminem nisi hunc heredem fore in animum induxerat, ut statim mortis nuntio Athenas perlato fundum Astyphili per ἐμβατείαν occuparet (vid. §. 3 c. not.) reliquaque omnia, quae illius fuissent, jam filii sui facta esse palam dictitaret. Idem vero mortuum Astyphilum, quum Mytilenis, ubi obierat, in patriam reportatus esset, neque sepelivit neque debita dis manibus justa persolvit; sed his omnibus pietatis officiis Theophrastus vitricus cum amicis illius et commilitonibus perfunctus est, quum actor noster tunc temporis propter militiam Athenis abesset. Sed reversus hic in urbem statim Astyphili hereditatem petit cognationis jure, παρακαταβολῇ contra Cleonem usus. Erat autem, si naturalem tantum cognationem spectes, Cleonis ejusque filii cum Astyphilo cognatio sane meliori jure, quam actoris. Leges enim ad hereditatem ejus, qui sine liberis decessit, primum

vocant agnatos h. e. a patre cognatos*) usque ad ἀνεψιῶν παῖδας, h. e. fratrum patruelium et amitinorum filios, qui etiam ἀνεψιαδοῖ dicuntur;**) hi si desunt, tunc demum vocantur cognati materni, inter quos primus est frater uterinus. At vero Cleonis pater, Thudippus, qui frater fuerat Euthycratis, patruus igitur Astyphili, per adoptionem in aliam familiam transierat, in eaque familia etiam nunc Cleo erat Cleonisque filius, quamobrem naturalis illa cum Astyphilo cognatio abolita erat vimque suam omnem amiserat, ut nihil inde juris in Astyphili hereditatem derivari posset. Atque hanc ipsam ob causam hereditatem isti petebant non cognationis jure, sed ex testamento, quo Astyphilus Mytilenas profecturus Cleonis filium adoptasset.

Prima igitur et praecipua hujus orationis pars in eo versatur, ut testamentum illud non ab Astyphilo factum sed ab adversariis suppositum esse demonstretur. Ac primum quidem actor hoc utitur argumento, quod nemo neque ex propinquis Astyphili neque ex phratoribus ac demotis testis in tabulis testamenti scriptus sit, sed homines alieni et ignoti. Esse autem plane non credibile, neminem illorum adhibitum fuisse; ipsum potius Cleonem curaturum fuisse, ut quam plurimi vel cognati vel phratores ac demotae illius testamenti atque adoptionis testes essent, aut si forte rem celari Astyphilus voluisset, neminem potius testem, quam alienos plane atque ignotos adhibiturum fuisse. — Deinde ne hoc quidem credibile esse, Astyphilum, qui multarum antea expeditionum particeps fuisset, in quibus omnibus se vitae pericula multa subire nosset, nunquam tamen testamentum fecisse, nisi ante hanc ipsam, quae postrema omnium fuerit, ex qua se vel maxime speraret salvum

*) Notandum tamen non plane eandem agnationis notionem esse apud Athenienses, quam apud Romanos; quippe apud hos amitini non numerantur in agnatis; apud Athenienses contra hi quoque agnati sunt haud dubie. Vid. Bunsen. p. 27. Gans. I p. 275 sq.

**) Conf. nott. ad or. de Hagn. her. §. 1.

esse reversurum. — Porro inimicitiam inter Astyphilum et Cleonem intercessisse paternam, eamque et gravissimam et justissimam. Nam Euthycratem, Astyphili patrem, a Cleonis patre Thudippo, quum rixarentur inter se de patrimonio, ita esse mulctatum, ut e vulneribus moreretur: eumque morientem liberis suis mandasse, ne unquam quemquam ex Thudippi familia ne ad sepulcrum quidem suum accedere paterentur: Astyphilum autem paterni mandati adeo observantem fuisse, ut, dum viveret, nunquam ne colloquutus quidem sit cum Cleone. — Denique suppositum esse testamentum etiam inde apparere, quod Hierocles, Astyphili et proinde actoris quoque avunculus, apud quem illud depositum esse dicebatur, ad multos etiam alios adierit, quos instigaret ad petendam Astyphili hereditatem, seque, si partem sibi bonorum concederent, testamentum prolaturum promiserit, quo illi heredes scripti essent: quam condicionem, ab aliis repudiatam, Cleonem cupide accepisse.

Absoluta hac probationis parte jam aggreditur demonstrare, praeterquam quod proximus ipse Astyphili cognatus sit, alias etiam easque justissimas causas esse, quamobrem sibi potius quam adversariis hereditas debeatur. Nam a patre suo Theophrasto Astyphilum et parvulum multis magnisque beneficiis affectum esse, et postquam adoleverit mutua semper gratia fuisse conjunctissimos, quamobrem dubitari non posse, quin Astyphilus sibi potius quam istis inimicis suis bona sua relinqui voluerit. His igitur de causis aequum esse, ut judices quoque sibi potius quam Cleonis filio hereditatem adjudicent.

Acta est haec causa circ. Olymp. XCVII, 3 a. C. 390 aut certe non multo post tempore. Obiit enim Astyphilus in expeditione Mytilenensi, quae illo anno suscepta est Thrasybulo duce. Vid. Xenoph. Hellen. IV, 8, 28. Plehn. Lesbiac. pag. 75. Clinton. Fast. Hell. pag. 106. — Quae autem praeterea §. 14 ab oratore memorantur expeditiones, quibus Astyphilus interfuerit, ex his Thebanum bellum illud dici statuo, quod conflatum

est Ol. XCVI, 2 a. C. 395, quum Athenienses foedere cum Thebanis facto contra Lacedaemonios pugnarent apud Haliartum. Vid. Xenoph. l. l. III, 5, 16 sqq. Winiewski comm. in Demosth. or. de cor. p. 20. Voemel. ad Demosth. Philipp. I p. 174. Fuit hoc Corinthii belli initium, teste Pausania III, 9, 6; nihil tamen impedit, quo minus hanc partem etiam proprio Thebani belli nomine designatam esse credamus: et Boeoticum appellat Diodorus XIV, 81. — Proximo autem post pugnam Haliartiam anno revocatus ex Asia Agesilaus quum per Thessaliam iter faceret conflixit cum Thessalis Boeotorum sociis. Atque huc pertinere arbitror, quod etiam in Thessaliam Astyphilus militatum abiisse dicitur: verisimile est enim aut accita a Thessalis Atheniensium quoque auxilia, aut ipsos Athenienses, quum praeviderent Agesilaum per Thessaliam iter facturum, ad eum arcendum copias misisse: quamquam Xenophon hujus rei mentionem non facit; sed tamen Agesilaum in ingressu Boeotiae etiam Athenienses sibi oppositos invenisse narrat Hell. IV, 3, 15. Agesil. c. 2 §. 6. — Corinthiae denique expeditiones plures fuerunt inde ab Olymp. XCVI, 3 a. C. 394 usque ad proximum ante illam Mytilenensem annum, ex quibus cuinam Astyphilus et unine an pluribus interfuerit non satis apparet. Hoc autem liquet oratorem in enumerandis his bellis non temporis ordinem sequutum sed ea potius ratione usum esse, ut primum nominaret quod illi tempori proximum esset, postremo autem loco, quod esset remotissimum.

---

§. 1. Sine prooemio statim rem ipsam brevi narratione indicare et quae probaturus sit proponere aggreditur. Est autem narratio ejusmodi, quae ipsa quodammodo prooemii loco haberi debeat, quum adjuncta sint satis multa, quae et attentum docilemque auditorem facere et conciliare dicenti possint, quibus rebus omne prooemii consilium contineri et res ipsa docet et rhetores praecipiunt. Igitur hoc quoque Quintilianus monuit

(IV, 1, 72), supersederi nonnunquam prooemio posse, et esse interdum vim prooemii etiam nullo exordio. Atque simili initio sine prooemio utitur Isaeus etiam in oratione de Pyrrhi hereditate, itemque in postrema de Hagniae. Propositio autem *πειράσομαι δ' ὑμῖν ἐπιδεῖξαι* — quum quattuor res ostendere videatur quae orator probaturus sit, re tamen vera duas tantum significat: neque testatum esse Astyphilum, et sibi potius quam cuiquam alii bona ejus adjudicari debere. Neque enim singulatim haec tria probaturus est: non adoptasse illum, non donasse cuiquam bona sua, non denique testamentum reliquisse; sed hoc unum, quod postremo loco posui, quo probato illa quoque, quae hoc continentur, probata esse apparet, quippe quum non aliter nisi testamento adoptatum Cleonis filium pecuniamque ei relictam esse adversarii contendant. Sed pluribus modis et quasi per partes eandem rem eloquitur, quo disertius nihil plane juris adversariis competere significet. — *Μιτυλήνην*, quemadmodum in codicibus non solum Isaei sed ceterorum quoque scriptorum ubique fere legitur, non putavi mutandum, licet alteram formam *Μυτιλήνην* veriorem esse nummi et inscriptiones satis demonstrent, eamque Bekkerus in Thucydide, Isocrate, Demosthene, Gaisfordius in Herodoto aliquoties etiam contra codicum consensum reposuerint. Utriusque formae auctoritates vid., ut alios mittam, ap. Plehnium Lesbiacorum cap. I p. 10 sqq. De constructione *τῶν εἰς Μιτυλήνην στρατιωτῶν* nemo se doceri volet.

§. 2. *ὥστε γένει μὲν διὰ τὸν νόμον οὐδὲν προσήκουσιν Ἀστυφίλῳ* — sublato scilicet per adoptionem naturalis agnationis jure. Conf. infr. §. 33 et de Aristarch. her. §. 4. Demosth. ctr. Leoch. p. 1087 sq.

§. 3. *εἰς τὸ χωρίον ἐνεβάτευσε.* Hoc non licuit per leges nisi suis heredibus h. e. filiis vel nepotibus naturalibus iisque adoptivis, qui inter vivos adoptati erant; qui autem testamento essent adoptati, hos *ἐπιδικασίᾳ* uti oportebat. Quamquam Isaeus de Pyrrh. her. §. 61 universe loquens *τὰς ἐπιδικασίας*, ait, *οἱ εἰσποίητοι πάντες*

ποιοῦνται: sed minus hoc accurate dictum, et qui inter vivos adoptati erant, sicuti per *διαμαρτυρίαν* aliorum *ἐπιδικασίας* submovere poterant (cf. prooem. ad or. de Menecl. her.) ita ipsos sine *ἐπιδικασίᾳ* per *ἐμβατείαν* hereditates occupare potuisse ostendit Demosth. ctr. Leoch. p. 1086, 18: *καὶ ἐνεβάτευσεν οὕτως εἰς τὴν οὐσίαν, ὡς ὑπ' ἐκείνου ζῶντος ἔτι εἰσποιηθείς.* — Huc igitur pertinet etiam quod sequitur *πρίν τι ὑμᾶς ψηφίσασθαι:* est enim idem ac si dixisset *οὐκ ἐπιδικασάμενος παρ' ὑμῖν*, quo sensu dicitur etiam *πρὸ δίκης* de Aristarch. her. §. 24.

§. 4. *ἐπειδὴ δ' ἐκομίσθη τὰ ὀστᾶ.* Peregre defunctorum ossa ac cineres in patriam referri solitos supra diximus ad or. de Nicostr. her. §. 26, notumque est vel ex iis, quae de publico militum funere leguntur apud Thucydidem II c. 34. Add. Kirchmann. de funn. III, 7. Quodsi quis in vicinia patriae obiisset, etiam integrum corpus eo reportari solebat; quo pertinet ap. Platon. Theaet. init. Terpsionis interrogatio, qui quum Theaetetum Corintho ab exercitu Athenas relatum audiat, *mortuumne*, inquit, *an vivum?* — De *προθέσει* conf. ad or. de Menecl. her. §. 37. Kirchmann. I, 12, et de reliquis *νομιζομένοις* ad eand. or. ib. et §. 46. — Ceterum apparet privatum Astyphili funus, non publicum fuisse, licet militans obierit. Igitur aut non in proelio cecidit, aut non omnes semper, qui ita cecidissent, publice utique sepeliri oportebat.

ὅτι ἀσπάζοιτο αὐτὸν Ἀστύφιλος. Nimirum ἔστι τις αἴσθησις τοῖς ἐκεῖ περὶ τῶν ἐνθάδε γινομένων (Lycurg. in Leocr. c. 35. cf. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 305) et durat etiam in manibus amoris odiique sensus, ut aliorum aditu ad sepulcrum suum oblatisque honoribus gaudeant, alios ne accedere quidem eo velint. Huc pertinet quod legimus §. 19: *Εὐθυκράτης ἐπέσκηψε τοῖς οἰκείοις μηδένα ποτὲ ἐᾶσειν ἐλθεῖν τῶν Θουδίππου ἐπὶ τὸ μνῆμα τὸ ἑαυτοῦ*, cujusmodi *ἐπισκήψεις* non paucae extant hodieque cippis inscriptae. Conf. Petrettini Papiri Grego-Egizi p. 12.

τοὺς ἐπιτηδείους — τῶν παρόντων. *H. e. ex iis qui*

funeri affuerunt, qui multi fuerunt, συστρατιῶται *plerique, testes vobis citabo defuncti amicos ac familiares.* Reiskium hic haerere potuisse miror. Is enim ambigit, utrum οἱ παρόντες ii sint, qui tum funeri affuerint, an qui nunc vel adsint in urbe vel in vivis adhuc supersint; „*quamquam,*“ ait, „*si hoc significare orator voluisset, videtur potius dicturus fuisse* ἐκ τῶν περιόντων: *et paene vergit animus, ut aiam Isaeum ita reliquisse.*“ Neque illud mihi dubium videtur ἐκείνου quin de Astyphilo potius quam de Theophrasto actoris patre accipiendum sit, quamquam Reiskius aliter statuit.

§. 5. ὅτι μὲν οὐκ ἔθαψε —. Hic quoque Reiskius οὖν addi vult, qua de re dictum est ad or. de Dicaeog. her. §. 39. Mox autem ἄν particula potuit sane facillime excidere propter similitudinem literarum in αὐτός: potuit autem etiam ab ipso oratore omitti. Scilicet omissa particula hoc dicit, vix credibile sibi videri ipsius adversarii tantam fore impudentiam, ut neget — *ne ipse quidem adversarius facile negaverit;* addita autem hoc, non esse futurum ut neget. Confidentius igitur loquitur qui addit particulam optativo, dubitantius qui omittit, idque constat inter eruditos, licet in ratione ex optativi natura ac particulae significatione repetenda dissentiant. Conf. Göttling. ad Aristot. Polit. p. 350. Reisig. de ἄν part. p. 123 sqq. Matthiae. gr. Gr. p. 981. Bernhard. Synt. p. 410 sq. — Οὐδ᾽ αὐτὸς qua ratione a Bekkero mutatum sit nescio; ego librorum scripturam servandam duxi: *ne ipse quidem negaverit,* et *praeterea testimoniis comprobatum est.* — Mox liberiore structura post participium ἠσθόμην καρπουμένους subjungitur sine conjunctione optativus ὁ δὲ υἱὸς αὐτοῦ ποιηθείη. Similiter post infinitivum ap. Aeschyl. Agam. v. 617: ταῦτ᾽ ἀπάγγειλον πόσει· ἥκειν ὅπως τάχιστ᾽ ἐράσμιον πόλει· γυναῖκα πιστὴν δ᾽ ἐν δόμοις εὕροι μολών. Sophocl. Philoctet. v. 615: ὑπέσχετο τὸν ἄνδρ᾽ Ἀχαιοῖς τόνδε δηλώσειν ἄγων· οἴοιτο μὲν μάλισθ᾽ ἑκούσιον λαβών· εἰ μὴ θέλοι δ᾽, ἄκοντα. Lys. in Agorat. p. 497: λέγων — νῦν μὲν δεῖν αὐτοὺς ἡσυχίαν ἔχειν, εἰ δέ ποτε οἴκαδε κατέλθοιεν, τότε καὶ τιμω-

ϱήσοιντο τοὺς ἀδικοῦντας. Nam ipse quidem transitus ab infinitivo vel participio ad tempus finitum, sed addita conjunctione, non admodum rarus est, multoque etiam frequentior a tempore finito ad infinitivum. — Quod sequitur de testamento apud amicum deposito conf. not. ad or. de Philoctem. her. §. 7. Add. infr. §. 22. De Ἡφαιστιάδαις, qui pagus erat Acamantidis, vid. Steph. Byz. h. v. Hesych. I p. 1666. Boeckh. Corp. Inscr. tom. I p. 402. Hos etiam Ἡφαιστίδας vocatos esse neque usquam relatum memini neque credibile videtur, quamobrem veram formam reponere non dubitavi.

§. 7. τὰς διαθήκας ἅς ἐποιήσατο. Sane mire dictum pro ἅς ποιήσασθαι αὐτὸν λέγουσιν. Neque tamen Reiskio assentior, qui aut ἅς οὐδέποτε ἐποιήσατο scribendum suadet aut ἅς ἐποιήσαντο, ut sit: *quod hi commenti sunt.* Videtur enim in illo ipso ἐποιήσατο quaedam irrisio inesse. De βωμοῖς πατρῴοις h. e. τῶν πατρῴων θεῶν conf. ad or. de Menecl. her. §. 1 et 46.

§. 8. ἅπαντα δὲ ταῦτα μάλιστα εἰδέναι ὅτι γένοιντο. Utique scribendum censeo μάλιστ' ἄν, una litera addita. Neque enim abesse potest particula ubi additur condicio (εἰ — ποιοῖτο), ex qua aliud quid (ὅτι μάλιστ' ἂν γένοιντο) consequuturum esse praevidemus. Rursus detrahenda litera videri possit verbo γένοιντο; sed pluralem satis tuentur Lysiae, Xenophontis aliorumque exempla. Vid. Lys. in Theomnest. p. 346 §. 4. de affect. tyr. p. 760 §. 1. Bremi Excurs. X p. 448. Krüger. ad Xen. Anab. p. 62 et Bernhard. Syntax. p. 418. De ipso more phratores ac demotas cum cognatis adhibendi in testamento condendo conf. Platner. Symbol. ad I. A. p. 138.

§. 10. ἡμῖν non opus est cum Reiskio trahere ad οὔσης τῆς ἀμφισβητήσεως, id quod ipsa collocatio vix permittit, sed significat actorem et adversarios, quorum utrisque multo gravius est hoc testimonium, illi quidem ut prosit, his ut obsit, quam illud alterum, quod pro his contra illum dicitur. Mox quod Aldus dedit — μαρτυρίαν ἣν οἱ ἀναγκαῖοι — μή φασι παραγενέσθαι, non opus est commendare prae soloeca Reiskii lectione ἣν — μή

φασι. Est autem brachylogiae genus in hunc modum explicandum, ut subintelligatur verbum unde accusativus pendeat: ἣν μαρτυροῦντες μή φασι παραγενέσθαι. Similiter or. in Neaer. p. 1388 extr.: ταύτην τὴν γραφὴν ἣν Νέαιραν ἐγὼ ἐγραψάμην ξένην οὖσαν ἀστῷ συνοικεῖν h. e. ἣν ἀπενεγκὼν ἐγραψάμην Νέαιραν — aut ἣν γραψάμενος ἐπῃτίασα Νέαιραν —. Ita Demosth. in Boeot. de nom. p. 1000, 3: καὶ τῆς ἀρχῆς ἀμφισβητεῖν ἣν ὑμεῖς ἐμὲ ἐχειροτονήσατε h. e. ἣν ὑμεῖς δόντες ἐμὲ ἐχειρ. Neque diversi generis est τὴν ναυμαχίαν ἀπεωσάμεθα Κορινθίους ap. Thucyd. I c. 32 pro τὴν ναυμαχίαν νικήσαντες ἀπεωσ. Κορ., aut ταῦτα ἡ ἐμὴ νεότης — ἐς τὴν Πελοποννησίων δύναμιν λόγοις ὡμίλησε pro ταῦτα διεπράξατο ὁμιλοῦσα, ap. eund. VI, 17, aut quod Sophocles habet Ajac. v. 1096: τοιαῦτ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔπη pro τοιαῦτα ἔπη λέγοντες ἁμαρτάνουσιν. Breviter de universo hoc genere monuit etiam Hermannus de ellips. et pleon. p. 172 sq. Opusc. I p. 200.

§. 11. λάθρᾳ cum ι subscr. tacite Bekkerus reposuit, sive codices sequutus sive rationem, quam ego verissimam censeo. In codicibus autem λάθρᾳ non minus saepe quam λάθρα scriptum extare constat. Vid. Bast. epist. crit. p. 160. comment. palaeogr. p. 719. Seidler. ad Eur. Tro. v. 40. Alterum dativum esse, alterum accusativum pl. adject. λάθρος (Hesych. II p. 411) non dubium est. Accusativum tuentur pauci poetarum loci, in quibus ultima syllaba corripitur, velut Hom. hymn. in Cer. v. 240, ubi conf. I. H. Voss. Dativum agnosces etiam in Jonico λάθρῃ, quamquam huic quoque non raro ι suum in codd. detractum est. Cf. var. lect. ad Herodot. VIII, 112.

§. 12. εἰ μὲν ὁ Ἀστύφιλος μηδένα ἐβούλετο εἰδέναι κτλ. Apparet hoc loco id quod etiam aliunde constat, non semper celatos esse testes, quid scriptum esset in testamento, cui adhiberentur, quemadmodum in or. de Nicostr. her. §. 13 legimus: οἱ πολλοὶ οὐδὲ λέγουσι τοῖς παραγενομένοις ὅ τι διατίθενται, ἀλλ' αὐτοῦ μόνου τοῦ καταλιπεῖν διαθήκας μάρτυρας παρίστανται. Docet autem

illud etiam Demosthenis locus ctr. Spud. p. 1032, 27. 1033, 5. — Dein refellit hic locus etiam eorum opinionem, qui Heraldum, ut videtur, sequuti Animadv. p. 104, testium nomina non in ipsis testamenti tabulis inscribi (ἐγγράφεσθαι), sed in tergo scripti jam et obsignati testamenti adscribi (ἐπιγράφεσθαι) solita esse statuunt. Habemus enim hic sane testes ἐν τῷ γραμματείῳ ἐγγεγραμμένους, et usus est hoc loco ad opinionem istam refellendam etiam Platnerus de lit. et act. II p. 318. Conjecerit autem fortasse aliquis, subscripta in ipsis tabulis esse testium nomina tunc demum, si quis eos celare nollet, quid scriptum esset; contra si id celatum vellet, extrinsecus tantum in tergo nomina adscribi solita. Sed ne haec quidem conjectura habet quo muniatur. Scilicet non ipsi testes sua manu nomina vel subscribebant vel adscribebant, sed scribebantur haec vel ab ipso testatore vel ab alio cui id officium demandatum esset, nullo alio consilio, quam ut scirent heredes, quosnam possent, si opus esset, in judicio testes citare, qui vel scribendo vel deponendo testamento affuissent. Id plane manifestum faciunt oratoris nostri verba in or. de Nicostr. her. l. l.: τοῦ δὲ συμβαίνοντός ἐστι καὶ γραμματεῖον ἀλλαγῆναι καὶ τἀναντία ταῖς τοῦ τεθνεῶτος διαθήκαις μεταγραφῆναι. οὐδὲν γὰρ μᾶλλον οἱ μάρτυρες εἴσονται εἰ, ἐφ' αἷς ἐκλήθησαν διαθῆκαι, αὗται ἀποφαίνονται. Videlicet si ipsi subscripsissent, manum certe suam agnoscere debebant. — In sequentibus animadvertenda est indicativi et optativi modi compositio — ὅτι υἱὸν ἐποιεῖτο — ὅτι διαθήκας καταλίποι, cujus generis exempla sat multa congesserunt Dorvill. ad Chariton. p. 279. Ast. ad Plat. Polit. p. 412. Haitinger. in Actt. Philol. Monac. III p. 165. Baehr. in Creuzer. Melett. III pag. 49. quamquam aliorum ex his alia est ratio. Nostro quidem loco indicativus designat, quod jam tunc reapse faciebat, optativus, quod in mente habebat.

§. 13. οὔσπερ καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων κοινωνοὺς ἀνθ' αὑτοῦ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔμελλε καταλιπεῖν. Aut fallor, aut scripsit Isaeus οἷσπερ — — κοινωνὸν —. Scilicet qui

testamento adoptatur, ei nulla ante patris adoptivi mortem cum hoc est sacrorum communio ejusmodi, in qua postea phratores et gentiles in hujus locum succedant; sed ipse, qui adoptatus est, simulac hereditatem accepit, in sacra patris adoptivi transit, ideoque in horum communione cum phratoribus ac gentilibus illius locum obtinet. Ἱερὰ autem et ὅσια significant omnia divina humanaque, in quae testatori heres succedit, et hoc quidem loco ea, quae cum phratriarum gentiumque ac cognationum jure conjuncta sunt. Conf. Platner. Symbol. p. 115. Wachsmuth. Antiqu. Hell. II, 1 p. 3.

νόμου γε ὄντος ἐξεῖναι ὅτῳ βούλοιτο δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ. Poterat etiam aut *ὅτῳ βούλεται* aut *ὅτῳ ἂν βούληται*, ut or. de Aristarch. her. §. 2: *ὁ νόμος κελεύει τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι ὅτῳ ἂν ἐθέλῃ.* et alias saepissime, neque deerunt fortasse qui ita debuisse scribi censeant. At vero optativi hoc loco non diversa est ratio ab ea quam attigi ad or. de Pyrrhi her. §. 21, ut significet eorum, qui olim has leges sanxerunt, cogitationem, quemadmodum et *ἵνα* post tempora praesentia cum optativo construi vidimus, et *ἐὰν* construitur in or. de Aristarch. her. §. 13: *κελεύει γὰρ ὁ νόμος σὺν ταύταις κύριον εἶναι δοῦναι, ἐάν τῳ βούλοιτο, τὰ ἑαυτοῦ.* Sed diversus est locus Xenophontis de vectigg. 5, 12: *γνώσεται δὲ — ἐπεὶ — εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται, ηὐξημένας τε τὰς προσόδους καὶ ταύταις ἐξὸν τοῖς πολίταις χρῆσθαι ὅ τι βούλοιντο,* ubi recte L. Dindorfius *βούλονται* rescribi jubet.

§. 14. De expeditionibus, quarum h. l. mentio fit, dictum est in prooemio. — In constituenda autem lectione eatenus certe putavi librorum auctoritatem deserendam esse, ut *ὅποι* scriberem pro *ὅπου*, licet hoc quoque Bernhardius tueatur Syntax. p. 350. sed exemplis usus huic nostro loco non plane similibus. Mihi quidem *συλλεγόμενον* utique cum *ὅποι* conjungendum videtur, quandoquidem de exercitibus oratorem loqui arbitror, qui Athenis conscriberentur in alias terras profecturi. *Ἁπανταχῇ* autem pro *ἁπανταχοῖ* neminem, puto, offendet cum *ἀπεδήμει* conjunctum, licet *ἄλλοσε* praecedat. Hoc enim

ad ὅποι accommodatum esse apparet per quandam attractionem.

§. 15. τῷ οὖν ἂν ὑμῶν φανείη πιστόν, — — — πῶς τοῦτον πιστὸν ἤδη —; Quae in initio proposita est apodosis, interrogative quidem, ut saepe, prolata, eadem in fine periodi verbis paullulum immutatis repetitur, cujus generis non rara sunt apud optimos quosque scriptores exempla, ex quibus nonnulla Reisigius tractavit Conjectan. p. 314 sq. Add. Herm. ad Soph. Ajac. v. 827. Fritzsch. Quaest. Lucian. p. 164. Mutanda igitur fuit Reiskii interpunctio, qui quum terminari periodum statueret in verbis ἐθελοντήν τε ἐκπλεῖν, non potuit non offendi eo, quod nova deinceps periodus tam abrupte et sine ullo conjunctionis vinculo inchoaretur, quamobrem scribendum suasit καίτοι τὸν καὶ μάλιστα κτλ. Nunc mutata interpunctione — et mutavit jam Bekkerus — haec offensio nulla est. Quod autem ad ἐθελοντήν attinet est illud adverbium. Conf. Lobeck. ad Phrynich. p. 5. 6. Bekk. Anecd. III p. 1368. Et magis etiam fefellit Reiskium ratio, quum στρατευομένου pro στρατευσαμένου aut ἐστρατευμένου positum statuit et omnino in usu temporum non admodum diligenter hos scriptores, h. e. oratores, esse pronuntiat. Sed haec nunc refutare nihil attinet; et similia viri praestantissimi judicia passim ab aliis reprehensa sunt, velut a Schaefero ad Plutarch. tom. IV p. 328. — Recte autem in fine hujus §. codicum lectionem τῷ pro τὸν spretam esse nemo, opinor, dubitabit, nisi cui forte Bernhardius Syntax. p. 103 persuaserit de modi ac mensurae nescio cujus significatione, quae inesse h. l. in isto dativo videtur viro doctissimo, quae tamen qui conveniat universae loci sententiae neque exposuit ille, neque ego intelligo, nisi hoc video longe diversa ab eo comparari quum afferat primum Aristoph. Plut. 48: τῷ τοῦτο κρίνεις; ubi τῷ est τίνι πράγματι, dein Acharn. 711: τῷ γὰρ εἰκός; ubi τῷ est τίνι ἀνθρώπῳ, sicut hac ipsa paragrapho τῷ οὖν ἂν ὑμῶν φανείη πιστόν;

§. 16. ὥστε πολὺ δὴ θᾶττον διαθέμενον. Requirat

hic aliquis ἂν particulam, neque immerito, quum res non vere facta sit, sed ponatur tantum ut quae futura fuerit, si quidem omnino tale quid mandare Astyphilus in animum induxisset. Sed solent tamen non raro Graeci etiam quae reapse hypothetice proferenda erant, ita eloqui ut certissima et propemodum vere facta, omissa condicionis significatione; quamobrem, quum indicativis praeteritorum saepenumero utantur sine particula, nihil obstat quo minus etiam participiis ita uti potuisse concedamus. Quippe ὥστε διαθέμενον potest sane commutari cum ὥστε διέθετο, et hoc quidem recte dici docebunt quae attulimus ad or. de Cleon. her. §. 46 et de Nicostr. her. §. 11. Notandum autem hoc quoque, participium etiam post ὥστε positum esse propter aequabilitatem membrorum οὕτω μισοῦντα, ὥστε διαθέμενον, ut pariter utrumque aptum sit a verbo ἐπιδείξω, per quandam attractionem, quae Reiskium quidem adeo offendit, ut emendationem proposuerit hujusmodi: ὥστε πολὺ δὴ θᾶττον διαθέμενον, μ. π. τ. ἑ. ο. δ. Κ., μέλλειν τελευτᾶν, ἢ τὸν τούτου κτλ. — De θᾶττον — μᾶλλον vid. ad or. de Cleon. her. §. 43, et de ipsa re supra ad §. 4.

§. 17. καὶ οὕτως αὐτὸν διατεθῆναι. Poterat paullo concinnius aut ita scribi: καὶ οὕτως αὐτὸν διαθεῖναι, non mutato infinitivi subjecto, aut ita: καὶ οὕτως ἐκεῖνος (ὁ Εὐθυκράτης) διατεθῆναι, ut in hoc quoque membro sicut in superiore nominativus non accusativus subjecti adderetur infinitivo; sed non rara est talis structurae variatio apud optimos quosque scriptores. Cf. Plat. Charmid. §. 2: καὶ μὴν ἤγγελταί γε ἡ μάχη ἰσχυρὰ γεγονέναι καὶ πολλοὺς ἀποθανεῖν. quo exemplo usus est etiam Matthiaeus gr. Gr. p. 1057. — Mox αὐτὸν ante ἀσθενήσαντα additum est sane praeter necessitatem, neque tamen praeter Isaei consuetudinem. Conf. ad or. de Ciron. her. §. 7.

§. 18. καὶ Ἀραφηνίων καὶ πολλοὶ —. Quod Palmerius conjecit οἱ πολλοί, non videtur necessarium.*) Quippe

*) Bekker. Add. p. 697 καὶ tollendum putat, et pro καὶ Ἀραφηνίων fuisse κἀραφηνίων, unde extiterit librorum scriptura καὶ ῥαφηνίων.

καὶ πολλοί est *et quidem multi* h. e. *sane multi* v. *permulti*, intensiva particulae vi, quae eadem est in *καὶ μάλα, καὶ πάνυ, καὶ λίαν, καὶ μεγάλα* aliisque *φράσεσι καὶ πολλαῖς*, quarum exempla congerere nihil attinet. Sunt autem Araphenii tribus Aegeidis. — Paullo post ad *παρασχοίην* e praecedentibus facile suppletur *τοὺς μαρτυρήσοντας*, ut non opus sit addi, quod Reiskius suasit. De *ἐξωμοσίᾳ* v. ejuratione testium, qui quum ad testimonium dicendum provocabantur, nihil sibi compertum esse jurabant de illa re, cujus causa citati essent, vid. de ord. jud. p. 672. Recitata igitur testimonii formula (vid. ib. pag. 677. 678) sequebatur nunc Hieroclis ejuratio, se testimonium illud dicere non posse. Itaque titulum *ΕΞΩΜΟΣΙΑ* addi oportuit. — *Ἐναντία τούτων* est *ἐναντία τῶν δικαστῶν*.

§. 19. *τῶν δὲ μὴ γενομένων πίστιν ἐθέλειν ἐπιθεῖναι.* H. e. *περὶ τῶν μὴ γενομένων*, de quo genitivi usu cf. Schaefer. ad Dionys. de comp. verb. p. 213 et ind. s. v. *περί*. Id. ad Soph. Antigon. v. 11. ad Homer. ind. s. v. genit. App. crit. ad Demosth. II p. 209 et 232. Add. Matth. gr. Gr. §. 342. Ad *πίστιν ἐπιθεῖναι*, qua loquutione nihil est apud oratores frequentius (vid. de Nicostr. her. §. 16 et 17. Demosth. ctr. Aphob. III p. 852, 15. ctr. Timoth. 1196, 17. in Callipp. 1243, 27 et al. pass.) tacite suppletur *τοῖς λόγοις, τοῖς εἰρημένοις*: est enim *iis quae a te dicta sunt fidem addere jurejurando*; idque jusjurandum, in tali quidem testimonii recusatione, sanctissimum fuisse, *ὅρκον καθ᾽ ἱερῶν*, docet Lycurg. in Leocrat. p. 151. — Quod sequitur *ὁ Εὐθυκράτης ὁ πατὴρ Ἀστυφίλου* notandum est propter articulum nomini proprio praemissum, quem, ubi appositio additur, frequentius omitti grammatici docent. Additi autem articuli sat multa exempla sunt, velut apud ipsum Isaeum de Hagn. her. §. 30: *ὁ Γλαῦκος ὁ τοῦ Ἁγνίου ἀδελφός*. Orat. de Halones. p. 86, 16: *τοῦ Διὸς τοῦ Ὁρίου*. ap. Lycurg. in Leocr. cap. 20: *τῷ Κλεομάντει τῷ Δελφῷ*. ap. eund. cap. 6: *τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας*. et cap. 30: *τοῦ Ἱππάρχου τοῦ προδότου*. ap.

Thucyd. V, 31: τῷ Διὰ τῷ Ὀλυμπίῳ ubi conf. Duk. VIII, 75: ὁ Θρασύβουλος ὁ τοῦ Λύκου. Xenoph. Cyrop. I, 3, 1: τὸν Κῦρον τὸν υἱόν, aliaque plurima apud Krügerum de authent. p. 61 et ad Anab. p. 339. De futuri infinitivo ἰάσειν post ἐπέσχηψε sufficiet nunc laudare virorum doctissimorum observationes Lobecki ad Phrynich. Parerg. p. 747. 748. Schaeferi ad Dionys. de c. v. p. 211. Popponis ad Thucyd. prolegg. p. 159. Denique τὴν τηθίδα male Reiskius vertit *aviam*; debebat *amitam* aut *materteram*. Vid. Demosth. ctr. Macart. p. 1059, 4 et impr. Lobeck. ad Phrynich. p. 134.

§. 21. ἐν αἷσπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι ἑστιῶνται. Advertenda est verbi vis reciproca, ut significet *epulis se invicem excipiant*. Id autem moris fuit in plerisque sacris publicis, ut propinqui et amici et ad rem divinam una faciendam invitarentur et epulis sacrificalibus exciperentur, cujus rei testimonia passim extant apud Meursium in Graecia feriata. Publica autem sacra tam ea dico quae δημοτελῆ fuerunt, quam quae δημοτικά, de quibus conf. Harpocrat. in δημοτελῆ ἱερά, etiam φυλετικὰ quae dicebantur haud dubie ad analogiam τῶν δημοτικῶν, ut δεῖπνα φυλετικὰ sunt ap. Athenaeum V, 185 C. et φρατριῶν ἱερά, qualia fiebant Apaturiorum festo. — ὁπότε περ ἐπιδημοίη: *quoties in patria adesset:* nam plerumque aberat propter vitam militarem.

§. 22. παρ' ἑαυτῷ Ἀστύφιλον ταύτας καταλιπεῖν. Ita cum Reiskio et Bekkero rescribendum fuit etiam absque codicum auctoritate, e quibus tamen Crippsianus et Laurentianus illud ipsum habent. Neque enim παρά, quum est *apud*, cum accusativo ab Atticis construitur nisi ubi loci propinquitas significatur, ut τῆς συνοικίας τῆς παρὰ τὴν πυλίδα or. de Philoctem. her. §. 20. et καθήμενοι παρ' αὐτόν de Ciron. her. §. 15, aut ubi aliqua motus notio subest, ut Thucyd. III, 3: τριήρεις βοηθοὶ παρὰ σφᾶς παροῦσαι. Conf. Krüger. ad Xen. Anab. p. 123. Nam Thomas Magister p. 678 sq. Valckenarius ad Herodot. VIII, 140, Elmslejus ad Arist. Acharn. v. 767 (p. 203 comm. Dindorf.) aliique multi diversa componunt,

et apud Aristophanem illud παρ' ἁμὲ πολυτίματος a Megarensi dicitur, neque ejusmodi idiotismis, quales ubivis apud plebejos homines reperiuntur, uti debemus ad linguae leges convellendas.

§. 24. πρὶν ληχθῆναι τοῦ κλήρου h. e. πρὶν τὴν λῆξιν γενέσθαι. Passivum impersonaliter usurpatum, ex quo genere hujus quidem verbi aliud exemplum non est in promptu, aliorum sat multa sunt apud Matth. gr. Gr. p. 596. — Mox γίνοιτο est δέοι γενέσθαι (cf. ad or. de Cleon. her. §. 44.) neque optativus h. l. potentialis est, cui ἂν utique addendum fuisset, sed propter obliquam orationem positus, in qua quidem etiam indicativus poni potuit γίγνεται aut ἐγίγνετο, sicuti mox ἐστὶ pro εἴη et ἀποφαίνει pro ἀποφαίνοι. Quamquam in hoc Bekkerum praesentis temporis usus offendit, maluitque ἀποφανοῖ reponi, quod mihi quoque melius videtur. Apparet enim non eandem esse hujus loci rationem atque eorum, quos supra cognovimus or. de Dicaeog. her. §. 35 et de Menecl. her. §. 2. Quippe in his dicitur de re jamjam futura, quam quis nunc ipsum facere aggreditur, *in eo est ut faciat*; contra nostro loco suspensa res est a condicione quadam, quae expectari debebat, εἴ τις αὐτῷ κοινώσαιτο. Hoc autem recte a Reiskio exponitur: *si quis secum praedam partiri et se in communionem ejus admittere vellet*, eademque significatione illud verbum legitur de Hagn. her. §. 20 de pactione pecuniae partiendae. cf. Monk. ad Eur. Alcest. v. 438. — De loquutione ὅρκον διδόναι vid. de ord. jud. p. 686.

§. 25. οὐδὲ τὰ γενόμενα ἐθέλει μαρτυρεῖν. Respicit ad ea, de quibus §. 17. 18 dictum est. Mox τὰ ψευδῆ συλλαμβάνει dicitur eadem constructione, qua apud Demosth. in Aristocrat. p. 665, 14: ἃ βούλεται διαπράξασθαι συλλάβωμεν αὐτοῦ —, nisi quis hic τούτων supplendum statuat. Nostro tamen loco accusativus nihil offensionis habet, non magis quam illud βοηθεῖν τὰ δίκαια de quo me alias dicere memini. Est enim *adjuvare aliquem mendaciis proferendis*.

§. 26. αὕτη ὑμῖν ἡ μαρτυρία οὐ μικρὸν τεκμήριον ἔσται.

Reiskio titulum *ΜΑΡΤΥΡΙΑ* excidisse autumanti cave ne credas. Videlicet illud ipsum testimonium designatur, quod modo recitatum est, ejus cui Hierocles operam suam, pretio pacto, obtulerat, ex quo satis apparet eum ne Cleoni quidem gratuitam operam praestare. *Εὕρημα* eodem sensu dicitur, quo *ἑρμαῖον*, de lucro adventicio et indebito. Conf. Lys. fr. or. adv. Archebiad. p. 309 Foertsch. et Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 109.

§. 27. Sequitur nunc altera pars argumentationis, qua probatur ab actore se, etiamsi nulla cognatione Astyphilum contingeret, tamen vel propter summam gratiam ac benevolentiam quae intercesserit inter Astyphilum ac se patremque suum propter multa et maxima beneficia ab hoc in illum collata, meliore jure hereditatem petere posse, quam Cleonem. Injuria autem hac in parte Isaeum criminatur Reiskius, quasi non praestiterit quod se praestiturum promisit. „*Fidem*“ inquit „*promissis tuis, Isaee, non facis, aut oblitus tui loqueris inconsentanea. Docere contendens actorem, etiamsi Astyphilum nulla parte cognationis attigisset, tamen ab eo heredem fuisse scribendum, doces ita ut planum facias actori matrem cum Astyphilo fuisse communem. Ergone fratres uterinos negas esse inter se προσήκοντας? Atqui quae potest propior esse consanguinitas, quam duos ex eodem utero prodisse? Non hoc doces, quod te profiteris facturum, etiamsi Astyphilus frater actoris non fuisset, tamen actorem ab eo heredem necessario* (?) *scribendum fuisse. Nam si Theophrastus matrem Astyphili domum suam non duxisset, non videtur operam daturus fuisse, ut Astyphilus liberaliter educaretur, neque curasset eum beneficiis promereri.*“ Atqui non tamen propter illam consanguinitatem, sed propter Theophrasti beneficia Astyphili hereditatem sibi deberi actor contendit; quae tanta fuerunt, ut etiam absque illa consanguinitate, per se sola satis valerent ad vindicandam Theophrasti filio hereditatem. Sane si Theophrastus Astyphili matrem non duxisset, nunquam fortasse futurum fuit, ut ejusmodi beneficiis illum afficeret; sed diversa tamen est beneficiorum et

propinquitatis ratio, et potuit vitricus fieri Astyphili, neque tamen bene de eo mereri, potuit bene mereri, neque tamen vitricus esse. Quod quum vitricus fuerit eaque propinquitas beneficiis illis occasionem dederit, taceri hoc ab oratore nullo modo potuit, neque vituperandus est quod commemoravit quae utique commemorari oportebat, sed hoc unum quaerendum utrum propinquitatis an beneficiorum gratiaeque ex iis enatae ratione usus sit ad tuendam causam actoris. Est autem hac sola usus, ideoque fecit quod debuit quodque se facturum proposuit.

παρὰ Ἱεροκλέους. Ab Hierocle mulier illa desponsata est, utpote qui frater ejus et post patris mortem *κύριος* esset.

§. 28. De educato apud vitricum privigno conf. quae dicta sunt ad or. de Apollod. her. §. 7. Et videtur sane Theophrastus etiam tutor Astyphili fuisse, id quod ex eo imprimis colligitur, quod fundum ejus coluit. Hoc enim nisi a tutore aut a conductore bonorum (*μισθωτῇ τοῦ οἴκου*) fieri non potuit. Et vitricum privigno tutorem destinari videmus etiam in Demosthenis patris testamento, or. I in Aphob. p. 814. De constructione *ὥραν εἶχον παιδεύεσθαι* vid. ad or. de Ciron. her. §. 8. Testimonium autem quod recitari jubet prius haud dubie est necessariorum et familiarium actoris et Theophrasti, ut recte Reiskius monuit; alterum *τῶν διδασκάλων* non sine articulo commemorari debuisse idem statuit, quamobrem scripsit *τὴν τῶν διδασκάλων*. Hunc ego contra codices imitari nolui; et exempla omissi articuli non absimilia sunt Thucyd. IV, 72: *ὑπὸ μεγέθους τῶν παρόντων κακῶν.* Ib. VIII, 33: *ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων.* ib. 105: *ὑπὸ πλήθους τῶν ἐπικειμένων νεῶν.* Plat. de re publ. V, 4 p. 453. B: *ἐν ἀρχῇ τῆς κατοικίσεως.* Xenoph. Anab. I in. *τελευτὴν τοῦ βίου.* Ib. I, 8, 13: *μέσον τῶν ἑαυτοῦ ἔχων,* aliaque apud Krüger. p. 67. ad Dionys. p. 168. Schaefer. ad Soph. Oedip. Col. 1468. Jacobs. animadv. ad Athen. p. 18. — De adverbio *ὅποι* ad homines relato non opus est monere, quandoquidem

nihil est tali relatione etiam apud Latinos frequentius (cf. Drakenb. ad Liv. VIII, 30, 15. Bentl. ad Horat. I od. 12, 19. Heindorf. ad Sat. I, 2, 78. Balbach. obss. Plaut. p. 54. Cort. ad Sall. Catil. 5, 2. Ruddiman. II p. 374 Lips.), neque magis de verbo φοιτᾶν, quod proprium esse hac de re nemo ignorat. Cf. Valcken. Schol. in N. T. I p. 224. — In titulo debebam potius Reiskii conjecturam sequi, μαρτυρίαι, quam codicum scripturam, μαρτυρία, nisi forte quis dualem esse numerum opinetur, cujus in hujusmodi titulis exemplum me invenire non memini. Recitantur vero duo testimonia, alterum eorum, qui Astyphilum a patre actoris educatum esse norant, alterum communium Astyphili et actoris praeceptorum.

§. 29. ἐπεὶ τοίνυν ἐδοκιμάσθη ὁ ἀδελφός H. e. ἐπειδὴ εἰς ἄνδρας s. εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐνεγράφη. De illa epheborum δοκιμασίᾳ vid. de comit. p. 78 sq. et Boeckh. de ephebia Athenn. in progr. lectt. semestr. aestiv. 1819. — Mox quod a vitrico privignam desponderi videmus, fecit hoc ille haud dubie Astyphili consensu ac permissu, qui quum ipse sororis suae κύριος esset eamque cui vellet in matrimonium dare posset, vitrico tamen, cujus prudentiae hac in re plus quam suae confideret, hoc negotium permisit, et quod ab hoc actum erat, postea sua auctoritate comprobavit: id quod indicant etiam ipsa oratoris verba καὶ ταῦτα τῷ Ἀστυφίλῳ ἐξήρκει. Meierus autem de ord. jud. p. 410 mulierem illam etiam Astyphili non ὁμομητρίαν sororem fuisse statuit, sed ab Euthycrate e priore quodam matrimonio procreatam, non alia, ut videtur, ratione commotus, quam quod non diserte ὁμομητρία sed ὁμοπατρία tantum dicitur. Itaque ne vitricum quidem ejus fuisse Theophrastum, sed tutorem tantummodo. At illa mihi ratio non valida videtur; quippe ὁμοπατρία dicitur, ut significetur eam non e Theophrasto sed e priore marito Euthycrate procreatam fuisse; ὁμομητρίαν quoque dici nihil attinebat. Mecum sentit etiam Platnerus II p. 251.

§. 30. εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ — ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ. Simili

ratione avi erga nepotes amorem probari vidimus in or. de Ciron. her. §. 15. Qui sequitur locus: καὶ εἰς τοὺς θιάσους τοὺς Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγεν, citatur ab Harpocratione v. θίασος una cum Demosth. de f. leg. pag. 403, 19. 431, 25 et Xenoph. Memm. II, 1, 31. Θίασον autem esse docet τὸ ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ καὶ τιμῇ θεῶν. Conf. Phot. et Suid. h. v. apud quos ἐπὶ τέλει scriptum est pro ἐπὶ τελετῇ, ceterosque grammaticos, quos singulatim citare nihil attinet. Constat enim θιάσους qui proprie dicuntur sodalitia fuisse privata, a quibus sacra quaedam in honorem hujus vel illius numinis, cujus se tutelae sodales commendassent, statis temporibus peragi solerent. Ita v. c. Διονύσου θιασῶται commemorantur apud Boeckhium C. I. tom. I. p. 537 et Welckerum Syllog. epigr. p. 12 in inscriptione sepulcrali in honorem pueri sodalitio illi, ut videtur, adscripti, et apud Whelerum Itin. I p. 84 vers. Francogall. ed. Amstel. 1689 decretum extat sodalitii mercatorum et nautarum Tyriorum, συνόδου τῶν Τυρίων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων, qui θιασίτας se ipsi vocant, et pro numine tutelari Herculem coluerunt, unde etiam Ἡρακλεῖσται vocantur vers. 36, et Herculis τέμενος habent atque sacerdotem, praeterea ἀρχιθιασίτην et ταμίαν. Similem Sarapiastarum thiasum cognovimus ex inscriptione 120 ap. Boeckh. p. 161, quamquam hi, quantum quidem apparet, non θίασον se ipsi vocant, sed τὸ κοινὸν τῶν Σαραπιαστῶν. Habent autem hi et ipsi ταμίαν suum, praeterea scribam et προεφανιστρίαν pluresque ἱεροποιούς. Porro duos θιασωτῶν titulos honorarios vir summus edidit no. 109 et 110 p. 151 sq., quorum altero τὸ κοινὸν τῶν θιασωτῶν quaestori suo, τῷ ταμίᾳ, et curatoribus, τοῖς συνεπιμεληταῖς, altero autem sodalibus quibusdam bene de se meritis coronae honorem tribuit. Denique etiam collegium Jovis Hospitalis, ἡ σύνοδος τοῦ Διὸς τοῦ ξενίου, huc pertinet, cujus mentio fit in titulo 124. p. 169, una cum ναυκλήροις καὶ ἐμπόροις τοῖς φέρουσι τὴν σύνοδον: nam hos quoque thiasos fuisse non est quod dubitetur. Et fuerunt omnino minora hujusmodi sodalitia

permulta, etiam peregrinis superstitionibus addicta et arcanis sacris initiata, qualia sunt quorum cum contemptu Demosthenes meminit ll. ll. et de coron. p. 313, 23. Sed de his accuratius disputare non est hujus loci. In universum autem conferendi sunt A. van Dale Diss. antiquitt. et marmm. illustr. p. 728 sqq. Casaub. ad Athen. VIII, 16. Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 507. Küster. ad Suid. v. *θίασος*. Interpp. ad Hesych. I p. 1717. Böttiger. Mus. archaeolog. I p. 92. De sodalium nominibus *θιασώτης* et *συνθιασώτης* conf. Herodian. post Phrynich. Lobeck. p. 471 ibiq. nott. Deterior est forma *θιασίτης* in inscr. Wheler. et ap. Pollucem VI, 8.

εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ — ἦγε — πανταχῇ. Bekkero in Add. p. 697 legendum videtur *πανταχοῖ*. Sed vulgatam satis defendent quae Bernhard. habet Syntax. p. 350.

§. 31. *ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν οἶμαι* scil. *ταῦτα ποιῆσαι αὐτόν*, quod e praecedentibus subintelligendum esse etiam particula addita monet, quam quidem non ad indicativum *οἶμαι* sed ad infinitivum omissum pertinere manifestum est. Ita Lys. in Euandr. p. 792: *τί προσδοκῆσαι δεῖ —; ἆρ᾽ ἂν ὀλίγα τοιαῦτα ἐν τῷ ἐνιαυτῷ διαπράξασθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οὐκ ἂν οἶμαι.* Plat. Protag. p. 122: *οὐδ᾽ ἂν εἷς φανείη· οὐδέ γ᾽ ἂν οἶμαι.* Cf. Matth. gr. Gr. p. 1202. — Mox Reiskius in his *πολὺ μᾶλλον προσήκειν ἐμοὶ ἢ τῷ Κλέωνος υἱεῖ* aut post *ἐμοί* aut post *υἱεῖ* deesse putat *τῶν ἐκείνου*. Atqui hoc e praecedentibus tam facile subintelligitur, ut addi nihil opus fuerit.

§. 32. *οἵτινες οὕτω διέκειντο πρὸς αὐτόν*. Reiskio *μὲν* post *οὕτω* interponendum videtur, praeter necessitatem. Vid. ad or. de Philoct. her. §. 44. Quod sequitur *πρότερον ἐπὶ τὴν οὐσίαν ἦλθον πρὶν ἐκείνῳ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι* dictum est ex usu non Graecorum tantum linguae proprio, sed apud Latinos quoque et nostrates aliosque pervagato, ut prius aliquid factum dicamus quam aliud, etiamsi hoc quidem aliud nunquam factum sit. Ita Plato Lachet. p. 180 §. 4: *καὶ πρότερον ἐκεῖνος ἐτελεύτησε πρίν τι ἐμοὶ διενεχθῆναι.* Lys. in Eratosth. p. 394: *Πολεμάρχῳ δὲ παρήγγειλαν οἱ τριάκοντα τὸ ἐπ᾽ ἐκείνων εἰθισμένον*

παράγγελμα, πίνειν κώνειον, πρὶν τὴν αἰτίαν εἰπεῖν δι' ἥντινα ἔμελλεν ἀποθανεῖσθαι. Eodem modo infr. §. 36: ὥς αὐτὸς πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι. nec multum distat §. 20: οὐδεπώποτε διελέχθη Κλέωνι, ἀλλὰ πρότερον ἐτελεύτησεν. Atque similiter nonnunquam etiam futurum esse negamus aliquid antequam aliud quid factum fuerit, quod quidem ejusmodi est, ut hoc facto illud jam ne possit quidem fieri. Homer. Iliad. XVIII, 283: οὐδέ ποτ' ἐκπέρσει· πρίν μιν κύνες ἀργοὶ ἔδονται. Strab. IX. p. 427: μὴ πρότερον ἐπανήξειν πρὶν ἀποθανεῖν. — In fine hujus §. ἀλλὰ καὶ τὸ γένος παρατιθέντες illud τὸ γένος apparet esse *gradum cognationis*, quemadmodum paullo post τῷ τούτων γένει προσέχειν τὸν νοῦν, de qua significatione dictum est ad or. de Nicostr. her. §. 16. Παρατιθέντες autem idem valet quod παραγράψαντες, scil. ἐν τῇ λήξει s. τῇ ἀντιγραφῇ. Ita νόμοι παραγεγραμμένοι dicuntur a Demosth. de coron. p. 263, 20. adv. Leptin. p. 487, 10.

§. 33. οὗτοι μέντοι —. Δεικτικῶς loquitur: hi quos astare videtis, phratores Astyphili, mox testimonium dicturi. Neque opus erat hos nunc jam ab oratore disertius designari, quinam essent, quandoquidem hoc ipsi haud dubie in testimonio profitebantur, ad illud exemplum quod extat apud Demosth. ctr. Macart. p. 1060, 24. 1061, 11. Erat igitur testimonium in hunc fere modum conceptum: οἱ δεῖνα μαρτυροῦσι φράτορες εἶναι Ἀστυφίλῳ καὶ εἰδέναι πολλάκις ἐληλυθότα τὸν Κλέωνος υἱὸν ὡς τὴν μερίδα ληψόμενον, ἀλλ' οὐδεπώποτε τοὺς φράτορας αὐτῷ κεκρεανομηκότας. Est autem ἡ μερὶς pars victimae in communibus sacris immolatae, cujus carnes ex more inter phratores distribuendae erant: idque κρεανομεῖν dicitur et κρεανομία. Conf. Demosth. l. l. p. 1078, 22. Apollodor. περὶ θεῶν ap. Harpocr. s. v. μεῖον. Talis viscerationis etiam in demorum sacris mentionem habet decretum Piraeensium apud Boeckhium C. I. I p. 139. — Voluit igitur Cleonis filius ejusdem phratriae haberi, cujus fuerat Astyphilus, ut hoc tamquam praejudicio phratorum uti posset apud judices ad probandam adoptionem suam. Nam quum initio quidem ejusdem phra-

triae fuissent Cleo et Astyphilus, quippe fratres patrueles, ille tamen quum per adoptionem in aliam familiam transiisset, simul phratriam quoque mutaverat, ut nunc ejus filio, si quidem ab Astyphilo adoptatus esset, revertendum esset in illam, quam Cleo reliquerat; quamobrem non id solum operam dedisse putandus est, ut viscerationis particeps fieret, sed etiam ut inscriberetur in phratorum album, *τὸ κοινὸν γραμματεῖον*, quamquam hujus rei diserte mentionem orator non fecit, utpote quae cum illa altera necessario conjuncta esset. Conf. Demosth. ctr. Leochar. p. 1092 extr. 1093, 20.

§. 34. Sequitur peroratio, simul argumentationis capita summatim repetens, simul aequitatem judicum et benevolentiam implorans. *Ἐξ ὧν ἀντωμόσαμεν σκεψάμενοι ψηφίσασθε* h. e. *ἐκ τῆς ἑκατέρου ἀντωμοσίας*, *ita ut judicium vestrum dirigatis ad ea, quae in ἀντωμοσίᾳ ab utroque nostrum proposita sunt.* Nihil frequentius hac loquutione *σκοπεῖν* v. *σκέψασθαι ἔκ τινος*, omisso objecto, quod ex ipsa orationis sententia facile subauditur. Lys. de affect. tyr. p. 771: *ἃ χρὴ πάντας ἐνθυμουμένους μὴ τοῖς τούτων λόγοις πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἔργων σκοπεῖν ἃ ἑκάστῳ τυγχάνει πεπραγμένα.* ib. 772: *ἔτι τοίνυν, ὦ. ἄ. δ., καὶ ἐκ τῶν ἄλλων τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων ἄξιον σκέψασθαι.* Thucyd. VI, 36: *οὐκ ἐξ ὧν αὐτοὶ ἀγγέλλουσι σκοποῦντες λογιεῖσθε τὰ εἰκότα.* Id. I, 1: *ἐκ δὲ τεκμηρίων ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει* —. h. e. *ἐξ ὧν σκοποῦντι*, ut recte monuit Schaefer. ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 325. — Quod sequitur *τοὺς νόμους οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε βεβαιώσατέ μοι* illustratum est ad or. de Nicostr. her. §. 17.

§. 35. *ἀλλ' ὑμᾶς αὐτοὺς βραβευτὰς ἁπάντων καταστήσατε.* Similiter Andocides in Alcib. p. 114: *δέομαι δ' ὑμῶν τῶν λόγων ἴσους καὶ κοινοὺς ἡμῖν ἐπιστάτας γενέσθαι καὶ πάντας ἄρχοντας περὶ τούτων καταστῆναι*, quem locum perite illustravit Luzacus ap. Sluiter. Lectt. Andoc. p. 222. Scilicet quemadmodum ab Andocide auditores in concione admonentur, ut epistatarum atque archontum personam omnes suscipiant, ita in judicio ab Isaeo bra-

beutae esse jubentur, ut eorum instar, qui solemnia certamina moderantur neque concedunt, ut quis contra leges dolis atque artificiis victoria potiatur, ipsi quoque in sententia dicenda jus tantum et aequum spectent, neque adversarii eloquentia judicium suum a vero deflecti patiantur. Ita apud Aristotelem rhetor. I cap. 46 pag. 164 ed. Aem. Porti, Spir. 1592 τοῦ δικαίου βραβευτὴς judex esse dicitur, quum ex animi sui sententia quod justum videtur pronuntiat, neque ad aliam ullam rem, ne leges quidem et pacta litigantium, si contra verum illud jus esse censuerit, judicium suum dirigit. Et alii quoque non raro hoc ipso vocabulo et verbo βραβεύειν utuntur, ubi libertatem arbitrii, nulla re externa vel aliena impeditam, significare volunt. Aliquot exempla congessit Dorvillius ad Chariton. p. 445.

§. 36. ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἐκείνου —. Valesio ad Harpocr. p. 88 (324 Lips.) ἠρία reponendum suadenti recte obloquitur Reiskius. Significantur autem τὰ πατρῷα ἱερά, de quibus vid. ad or. de Menecl. her. §. 1. Similem Valesii conjecturam, in Dinarchi or. ctr. Aristogit. p. 86 pro ἱερὰ πατρῷα legendum esse ἠρία πατρῷα, probatam Meiero de ord. jud. pag. 203, merito improbavit Wurmius Comm. in Dinarch. pag. 175. 176. — Cum seqq. ἃς αὐτὸς πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι propter collocationem verborum comparari potest Isocrat. Plataic. p. 300: τοὺς δ' οὐ πρότερον παύσονται πρὶν ἂν οὕτως ὥσπερ ἡμᾶς διαθῶσιν. Mox παρανοίας αἱρήσετε sane insolenter dictum de judicibus, non de adversario, cujus proprie est illud αἱρεῖν. Simili tamen libertate Aeschin. in Ctesiph. p. 544: μηδ' αἱρεῖτε παρανοίας ἐναντίον τῶν Ἑλλήνων τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων. Euripides Orest. v. 789 Pors.: μή σε ψῆφος Ἀργείων ἕλῃ. Quamquam apud poetam talia neminem offendant; ab oratore ita potius scriptum expectaveris: παράνοιαν αὐτοῦ καταγνώσεσθε, ut de Cleon. her. §. 50. Nam αἱρεῖν de accusatore dictum aliam habet rationem. Aliud etiam est καθαιρεῖν, de condemnatione dictum, quemadmodum ἡ καθαιροῦσα ψῆφος ap. Lysiam in Agorat. p. 467. Pollucem VIII, 15

et τίνες ἐν Ἀργείοις λόγοι καθεῖλον ἡμᾶς κἀπεκύρωσαν θανεῖν; apud Eurip. l. l. 851.

§. 37. εἰ γὰρ τοῦτον ἐποιήσατο υἱόν, οὗ τῷ πατρὶ πολεμιώτατος ἦν. Quod ante Bekkerum legebatur, ὃς τῷ π. πολ. ἦν, corruptum esse apparet. Patri enim Astyphili puerulus ille Cleonis filius πολεμιώτατος dici non potuit, qui haud dubie ne natus quidem fuit quum ille moreretur. Neque vero ipsum Cleonem ita dictum crediderim, quae Reiskii fuit et Bekkeri sententia, quum τοῦτον in τούτου mutarent: nam Cleonis et Euthycratis inimicitiam nusquam orator commemorat, sed Cleonis et Astyphili saepissime, ut §. 16. 20. 22. 31. Itaque non dubitavi Sauppii emendationem recipere.

IN ORATIONEM X.

DE ARISTARCHI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Aristarchus Sypalletius e Xenaeneti Acharnensis filia quattuor suscepit liberos, duas filias totidemque filios, Cyronidem et Democharem. Ex his Cyronides in avi materni domum per adoptionem transiit, quamobrem mortuo Aristarcho tota ejus hereditas ad alterum filium Democharem pervenit, eoque ante adultam aetatem extincto alteraque ex filiabus item mortua omnium Aristarchi bonorum jure et legibus heres erat filia una adhuc superstes, eamque, ut epiclerum, in matrimonium petere poterant proximi cognati. Erant autem proximi Aristarchi frater Aristomenes cum filio Apollodoro. At vero Aristomenes neque ipse eam duxit, neque filio suo collocavit, sed alii cuidam extraneo cum dote exigua, bona autem ab Aristarcho relicta, quorum hanc mulierem heredem esse oportebat, omnia cum filia sua Cyronidi dedit, Aristarchi filio illi, qui per adoptionem in Xenaeneti domum transierat ideoque omne jus in patris bona succedendi amiserat. Ex hoc Cyronidis matrimonio quum filius natus esset, hunc illi filium Aristarcho instituerunt atque ab avi nomine Aristarchum et ipsum appellarunt. Hoc quoque mortuo liberis nullis relictis heres ei ac filius ex testamento instituitur frater Xenaenetus. Huic autem de hereditate controversiam movet Aristarchi illius veteris nepos ex filia, quae una

post Cyronidis adoptionem, Democharis et alterius filiae mortem in illius domo remanserat, et cui tota hereditas jam dudum debita fuerat. Petit autem hereditatem matri suae ut Aristarchi illius majoris filiae, non ut minoris per adoptionem sorori, quamquam in anacrisi hunc petitionis suae titulum profiteri coactus erat, quippe quum adoptionem illam rescindere prius non potuisset.

Igitur hoc primum demonstrat, quum Cyronides per adoptionem in aliam domum transiisset eoque paternae hereditatis capiendae jus amisisset, Demochares autem et altera filia improles obiissent, omnia Aristarchi bona jure et legibus ad matrem suam pervenisse. Cyronidis autem filium contra jus per adoptionem heredem eorum factum esse: neque enim ab ipso Aristarcho per testamentum adoptari potuisse, quum filium hic Democharem superstitem reliquerit, neque postea ab hoc Demochare, quippe qui ante pubertatem obierit ideoque nullum testandi jus habuerit. Neque vero Cyronidem Aristarcho, patri suo, filium instituere potuisse posteaquam per adoptionem in aliam familiam transierit, sed tantum ipsi in paternam domum reverti licuisse, si filium ex se natum in adoptiva domo reliquisset; multo autem minus illud ab Aristomene et Apollodoro fieri potuisse, quippe quibus nil nisi filiam Aristarchi in matrimonium petere licuerit.

Quod autem etiam illo argumento adversarii usi sint, ut dicerent Aristarchi bona obaerata fuisse et a se sua pecunia liberata, id prorsus fictum esse vel ex eo patere, quod nemo sanus in obaeratam domum filium aliquem ex suis instituat, sed id potius omnes providere soleant, ut, si ipsi obaerati sint, filii sui in alias domus adoptentur, ne paternorum malorum heredes fiant.

Neque vero illud contra jus suum quidquam valere posse, quod tam longo tempore praeterlapso hereditatem matris petat. Nam patrem suum olim, quum petere vellet, deterritum esse ab adversariis, qui minitarentur, nisi ille dote uxoris contentus esset, se jure suo usuros ipsosque eam in matrimonium petituros esse. De-

inde bellum intervenisse Corinthium, in quo ipsi ac patri suo militandum fuisse: postea accidisse sibi, ut aerarii debitor fieret ideoque a jure suo persequendo excluderetur. Neque quando quis petat, sed quo jure petat spectandum esse.

Quodsi Aristarchum illum minorem, Cyronidis filium, virum bonum se ac fortem in militia praestitisse et pro patria mortem obiisse adversarii dicant, propterea que aequum esse contendant ut testamentum ejus ratum habeatur, hanc rationem tum demum valere posse si de sua pecunia testatus esset, non item si de aliena. Praeterea adversarios jam una hereditate potitos esse per Cyronidis adoptionem in avi materni domum; neque igitur fas esse etiam alteram, sibi matrique suae per summam injuriam ereptam, illis adjudicari, quum praesertim Xenaenetus ille, qui Aristarchi hereditatem petat, bonis suis ad nefarias libidines explendas abutatur.

Tempus hujus orationis aliquatenus certe cognosci potest ex iis, quae §. 20 narrantur. Nam quum bello Corinthio se patremque suum actor militasse dicat, pax illa, cujus ibidem mentio fit, non alia esse potest quam Antalcidea, quae facta est Ol. XCVIII, 2. a. C. 387. Itaque post hunc annum orationem habitam esse apparet. Per aliquot autem post pacem annos actor, cujus interim pater decessisse videtur, propter ἀτιμίαν, quum aerario deberet, a lite instituenda prohibitus est. Quamdiu ἄτιμος fuerit non eloquitur; sed quum Aristarchus minor in bello obierit (§. 22), Corinthio haud dubie, intra quinquennium certe post hujus obitum hanc de majoris Aristarchi hereditate litem institutam esse censeo, quandoquidem post hoc tempus praescriptio ei a Xenaeneto opponi potuit, de qua conf. quae dixi de ord. jud. p. 636. Igitur etiamsi extremo tantum belli Corinthii tempore Aristarchum minorem mortuum esse statuamus, circ. a. 388 Ol. XCVIII, 1, non tamen post 384, Ol. XCIX, 1, orationem nostram habitam esse oportebit: et Krügerus quoque ad Clinton. Fast. Hell. p. 111 huic Olympiadi ineunti, aut superiori exeunti eam assignat.

Sed de illa praescriptione pluribus mihi disputandum videtur contra Platneri, viri doctissimi, opinionem de lit. et act. II p. 327. Nam quum in libro de ord. jud. l. l. hanc ego sententiam amplexus essem, ut de hereditate contra ipsum quidem primum heredem, quamdiu viveret, controversiam moveri potuisse statuerem, contra si hujus morte ad alium, ipsius heredem, bona pervenissent, praescriptionem fuisse quinquennii: huic sententiae obloquutus Platnerus quinquennii praescriptionem etiam in primi heredis gratiam constitutam fuisse h. e. etiam contra hunc de hereditate controversiam non nisi intra quinquennium ab ejus morte, qui illam reliquisset, moveri potuisse contendit. Adversatur autem Platneri opinioni primum hujus ipsius Aristarcheae causae exemplum. Nam Aristarchum minorem, qui primus cognominis sui, avi paterni, tanquam filius adoptivus hereditatem cepit (§. 8 sqq.), viginti certe annos natum fuisse apparet, quum militans obiret: itaque si intra quinquennium post majoris Aristarchi mortem hereditatem ab iis, qui suum jus potius esse contenderent, peti oportuit, apparet eam nunc quidem, tam multis post annis, nullo modo peti potuisse, et debuisse utique actorem nostrum excludi. Ipse autem ita loquitur §. 18, ut mirum quidem videri posse et excusandum esse profiteatur, quod tam sero petat: jus autem suum propterea deterius factum et adversarios ista praescriptione uti posse ad se excludendum ne verbo quidem significat. Similiter Demosthenes loquitur ctr. Macart. p. 1073, 5: *τούτων οὐδὲν ἔμελε Θεοπόμπῳ οὐδὲ Μακαρτάτῳ τούτῳ, ἀλλὰ τοῦτο μόνον τὸ τὰ μὴ προσήκοντα ἑαυτοῖς ἔχειν καὶ ἐγκαλεῖν ὅτι πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται. ἐγὼ δ᾽ ᾤμην, ὦ ἄνδρες δικασταί, προσήκειν τὸν τἀλλότρια ἀδίκως ἔχοντα οὐκ ἐγκαλεῖν, ὅτι πλείω χρόνον εἶχεν, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι, μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ τῇ τύχῃ, ὅτι πολλαὶ καὶ ἀναγκαῖαι διατριβαὶ ἐγένοντο ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ, ὥστε νυνὶ περὶ τούτων ἡμῖν ἀγωνίζεσθαι.* Et manifestum ex his ipsis verbis esse arbitror, hanc quoque de Hagniae hereditate causam amplius quinquen-

nio post mortem Hagniae contra Macartatum actam esse. Etiam Pyrrhi hereditas a Xenocle petita est viginti post Pyrrhi mortem annis; neque praescriptionem ei opposuit Endii frater. Nam qui a Platnero huc trahitur locus §. 58 non recte ab eo intellectum esse, et quomodo accipiendus sit satis a me demonstratum esse arbitror. Denique, ne de Dicaeogenis causa dicam, etiam Archiadis hereditatem ab eo, cui Demosthenis oratio contra Leocharem scripta est, perlongo post Archiadis mortem tempore petitam esse non uno illius orationis loco apparet. Vid. impr. p. 1086. 1087.

Jam vero ipsa legis verba, quemadmodum afferuntur ab Isaeo de Pyrrh. her. §. 58, meam sententiam manifestissime confirmant, quae Platnerus, quum sibi adversari intelligeret, corrigere conatus est: id autem quam infeliciter cesserit, quum supra in comm. ad or. de Pyrrh. h. satis expositum sit, nunc nihil opus est repetere. Accedit autem alia lex, quam nihilo felicius quum explicare tum in corruptelae suspicionem vocare conatur, apud Demosthenem ctr. Macart. p. 1054: Ἐὰν δ' ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου — προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν. παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. — ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτὰ ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ. Apparet, opinor, duo proponi petitionum genera: alterum contra ipsum illum, cui hereditas adjudicata sit (τὸν ἐπιδεδικασμένον), alterum, ἐὰν μὴ ζῇ ὁ ἐπιδεδικασμένος, contra eum ad quem hujus morte hereditas pervenerit. In priore nulla commemoratur προθεσμία: in altero autem additur, ei demum petere licere, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ, h. e. qui illam praescriptionem (quinquennii) non elabi passus sit. Vides etiam hanc legem nostrae sententiae patrocinari. Sed Platnerus, ut hoc quoque argumentum eludat, interpretationem comminiscitur hujusmodi: verba ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ non de petitore accipi vult sed de eo, unde petatur, illius, cui primum hereditas adjudicata sit, herede. Significari

autem nescio quam hereditatis capiendae praescriptionem. Haec quid sibi velint non satis me intelligere fateor.*) Addit autem Platnerus non satis perspicua esse legis verba (quae mihi quidem planissima videntur), et videri aliquid excidisse post κατὰ ταὐτά, ubi ego nihil desidero: nam referendum hoc est ad ea, quae ante proposita sunt καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν et παρακαταβολὰς δ', εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. Ista autem legum tractandarum ratio num aliis placitura sit nescio: mihi quidem, ut dicam quod sentio, et permira esse videtur, in viro praesertim juris peritissimo, et summopere improbanda.

In Hypothesin.

Vers. 3. τοῦτον μὲν τὸν Κυρωνίδην. Scribendum haud dubie τούτων τὸν μὲν Κ. cum Bekk. tom. 5 p. 697.

Vers. 4. Pro τοῦ κατὰ μητέρα πάππου Atticus scriptor dixisset τοῦ πρὸς μητρὸς πάππου, et mox κατέλιπε pro κατέλειψε, de qua sequioris graecitatis forma conf. Lobeck. ad Phrynich. parerg. p. 713 sq. — Paullo post dubitari non potest, quin recte Aristomenes κατὰ νόμον ἐπίτροπος, tutor legitimus filiae a fratre relictae dicatur; neque ipse orator §. 5. 6, ubi de erepta puellae pecunia

*) Adscribam ipsa Platneri verba: *Durch diese Bestimmung* (ᾧ ἡ προθ. μ. ἐ.) *soll wohl derjenige namhaft gemacht werden, den man nach dem Tode des* ἐπιδικασάμενος *belangen kann, also dessen Erbe. Auf diesen geht wahrscheinlich das:* ᾧ — ἐξήκῃ, *und diese Worte sollen die noch nicht eingetretene Vollendung der Verjährung insoweit bezeichnen, als dieselbe den Rechtserwerb der Erbschaft aufschiebt. Auch im Deutschen könnte man den Satz: wem die Verjährungszeit noch nicht abgelaufen ist, nicht bloss auf den Verlierenden, sondern auch auf den Gewinnenden beziehn. Der Sinn ist also der: Nach dem Tode dessen, welcher die Erbschaft durch richterlichen Zuspruch erhalten hat, kann man seinen Erben belangen, insofern die Verjährungszeit von 5 Jahren noch nicht abgelaufen ist. Freilich ist der Ausdruck nicht ganz klar, da der Erbe des* ἐπιδικασάμενος *nicht näher bezeichnet wird. Es scheint daher nach* κατὰ ταὐτά *etwas ausgefallen zu seyn.*

ipsaque in matrimonium extraneo collocata exponit, haec qui potuerint ab Aristomene fieri, alia ratione explicat, nisi ut ἀδελφὸν eum fuisse dicat ἐκείνου τοῦ Ἀριστάρχου, patris puellae; scilicet quoniam ad hunc tutelam legitimam pertinuisse satis notum erat auditoribus. Atque eandem legitimam cognatorum tutelam indicant etiam haec in or. de Cleon. her. §. 9: Δεινίας γὰρ ὁ τοῦ πατρὸς ἀδελφὸς ἐπετρόπευσεν ἡμᾶς, θεῖος ὢν ὀρφανοὺς ὄντας. ad quem locum conf. quae citata sunt. — Quod autem vers. 20 legitur κληρονόμον — ἐνεστήσατο, prorsus est contra Atticorum consuetudinem, qui aut ποιεῖσθαι κληρονόμον dicunt aut καθιστάνειν, ut Demosth. in Androt. p. 603 extr. Etiam vers. 30 jure mireris, μικρὸν dici Aristarchum minorem, quem virili aetate mortuum esse pateat e §. 22; nisi forte hoc ipsum *minorem* significare voluit grammaticus, ut opponeret hunc Aristarchum alteri majori, ipsius et actoris avo; quamquam vix alibi μικρὸν hoc sensu dictum aliquem invenias.

In orationem ipsam.

§. 1. Ἐβουλόμην μὲν —. Usus hic imperfecti sine ἂν satis quidem frequens, ut exemplis non opus sit; cf. tamen Isae. pro tutore fragm. III, 1 et de fundo fragm. IV, 1. Et perparvum saepe est discrimen, utrum addatur in hac loquutione particula, an omittatur, nisi quod addita ea voluntatem significamus a condicione suspensam: *vellem, si liceret;* omissa autem particula etiam condicionis notio nulla subintelligitur, sed hoc potius indicatur, vere nos illud voluisse, etiamsi omittenda fuerit voluntas, scilicet quod frustra nos velle cognorimus. Atque id ipsum nostro loco indicatur membro opposito νῦν δὲ οὐκ ἐξ ἴσου διακείμεθα —, qualia opposita sunt etiam Il. Il. ἠβουλόμην μὲν — ἐπεὶ δὲ — et μάλιστα μὲν ἐβουλόμην — νῦν δέ μοι συμβέβηκεν, ut apud Aeschin. in Ctesiph. p. 383: ἐβουλόμην μὲν — ἐπειδὴ δὲ πάντα καταλέλυται. Aristoph. Ran. 891: ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε — 895: ὅμως δ', ἐπειδή σοι δοκεῖ, δρᾶν

triae fuissent Cleo et Astyphilus, quippe fratres patrueles, ille tamen quum per adoptionem in aliam familiam transiisset, simul phratriam quoque mutaverat, ut nunc ejus filio, si quidem ab Astyphilo adoptatus esset, revertendum esset in illam, quam Cleo reliquerat; quamobrem non id solum operam dedisse putandus est, ut viscerationis particeps fieret, sed etiam ut inscriberetur in phratorum album, τὸ κοινὸν γραμματεῖον, quamquam hujus rei diserte mentionem orator non fecit, utpote quae cum illa altera necessario conjuncta esset. Conf. Demosth. ctr. Leochar. p. 1092 extr. 1093, 20.

§. 34. Sequitur peroratio, simul argumentationis capita summatim repetens, simul aequitatem judicum et benevolentiam implorans. Ἐξ ὧν ἀντωμόσαμεν σκεψάμενοι ψηφίσασθε h. e. ἐκ τῆς ἑκατέρου ἀντωμοσίας, *ita ut judicium vestrum dirigatis ad ea, quae in ἀντωμοσίᾳ ab utroque nostrum proposita sunt.* Nihil frequentius hac loquutione σκοπεῖν v. σκέψασθαι ἔκ τινος, omisso objecto, quod ex ipsa orationis sententia facile subauditur. Lys. de affect. tyr. p. 771: ἃ χρὴ πάντας ἐνθυμουμένους μὴ τοῖς τούτων λόγοις πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἔργων σκοπεῖν ἃ ἑκάστῳ τυγχάνει πεπραγμένα. ib. 772: ἔτι τοίνυν, ὦ. ἄ. δ., καὶ ἐκ τῶν ἄλλων τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων ἄξιον σκέψασθαι. Thucyd. VI, 36: οὐκ ἐξ ὧν αὐτοὶ ἀγγέλλουσι σκοποῦντες λογιεῖσθε τὰ εἰκότα. Id. I, 1: ἐκ δὲ τεκμηρίων ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει —. h. e. ἐξ ὧν σκοποῦντι, ut recte monuit Schaefer. ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 325. — Quod sequitur τοὺς νόμους οὓς ὑμεῖς ἔθεσθε βεβαιώσατέ μοι illustratum est ad or. de Nicostr. her. §. 17.

§. 35. ἀλλ᾽ ὑμᾶς αὐτοὺς βραβευτὰς ἁπάντων καταστήσατε. Similiter Andocides in Alcib. p. 114: δέομαι δ᾽ ὑμῶν τῶν λόγων ἴσους καὶ κοινοὺς ἡμῖν ἐπιστάτας γενέσθαι καὶ πάντας ἄρχοντας περὶ τούτων καταστῆναι. quem locum perite illustravit Luzacus ap. Sluiter. Lectt. Andoc. p. 222. Scilicet quemadmodum ab Andocide auditores in concione admonentur, ut epistatarum atque archontum personam omnes suscipiant, ita in judicio ab Isaeo bra-

beutae esse jubentur, ut eorum instar, qui solemnia certamina moderantur neque concedunt, ut quis contra leges dolis atque artificiis victoria potiatur, ipsi quoque in sententia dicenda jus tantum et aequum spectent, neque adversarii eloquentia judicium suum a vero deflecti patiantur. Ita apud Aristotelem rhetor. I cap. 46 pag. 164 ed. Aem. Porti, Spir. 1592 τοῦ δικαίου βραβευτής judex esse dicitur, quum ex animi sui sententia quod justum videtur pronuntiat, neque ad aliam ullam rem, ne leges quidem et pacta litigantium, si contra verum illud jus esse censuerit, judicium suum dirigit. Et alii quoque non raro hoc ipso vocabulo et verbo βραβεύειν utuntur, ubi libertatem arbitrii, nulla re externa vel aliena impeditam, significare volunt. Aliquot exempla congessit Dorvillius ad Chariton. p. 445.

§. 36. ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἐκείνου —. Valesio ad Harpocr. p. 88 (324 Lips.) ἠρία reponendum suadenti recte obloquitur Reiskius. Significantur autem τὰ πατρῷα ἱερά, de quibus vid. ad or. de Menecl. her. §. 1. Similem Valesii conjecturam, in Dinarchi or. ctr. Aristogit. p. 86 pro ἱερὰ πατρῷα legendum esse ἠρία πατρῷα, probatam Meiero de ord. jud. pag. 203, merito improbavit Wurmius Comm. in Dinarch. pag. 175. 176. — Cum seqq. ἃς αὐτὸς πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι propter collocationem verborum comparari potest Isocrat. Plataic. p. 300: τοὺς δ' οὐ πρότερον παύσονται πρὶν ἂν οὕτως ὥσπερ ἡμᾶς διαθῶσιν. Mox παρανοίας αἱρήσετε sane insolenter dictum de judicibus, non de adversario, cujus proprie est illud αἱρεῖν. Simili tamen libertate Aeschin. in Ctesiph. p. 544: μηδ' αἱρεῖτε παρανοίας ἐναντίον τῶν Ἑλλήνων τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων. Euripides Orest. v. 789 Pors.: μή σε ψῆφος Ἀργείων ἕλῃ. Quamquam apud poetam talia neminem offendant; ab oratore ita potius scriptum expectaveris: παράνοιαν αὐτοῦ καταγνώσεσθε, ut de Cleon. her. §. 50. Nam αἱρεῖν de accusatore dictum aliam habet rationem. Aliud etiam est καθαιρεῖν, de condemnatione dictum, quemadmodum ἡ καθαιροῦσα ψῆφος ap. Lysiam in Agorat. p. 467. Pollucem VIII, 15

et τίνες ἐν Ἀργείοις λόγοι καθεῖλον ἡμᾶς κἀπεκύρωσαν θανεῖν; apud Eurip. l. l. 851.

§. 37. εἰ γὰρ τοῦτον ἐποιήσατο υἱὸν, οὗ τῷ πατρὶ πολεμιώτατος ἦν. Quod ante Bekkerum legebatur, ὃς τῷ π. πολ. ἦν, corruptum esse apparet. Patri enim Astyphili puerulus ille Cleonis filius πολεμιώτατος dici non potuit, qui haud dubie ne natus quidem fuit quum ille moreretur. Neque vero ipsum Cleonem ita dictum crediderim, quae Reiskii fuit et Bekkeri sententia, quum τοῦτον in τούτου mutarent: nam Cleonis et Euthycratis inimicitiam nusquam orator commemorat, sed Cleonis et Astyphili saepissime, ut §. 16. 20. 22. 31. Itaque non dubitavi Sauppii emendationem recipere.

IN ORATIONEM X.

DE ARISTARCHI HEREDITATE.

PROOEMIUM.

Aristarchus Sypalletius e Xenaeneti Acharnensis filia quattuor suscepit liberos, duas filias totidemque filios, Cyronidem et Democharem. Ex his Cyronides in avi materni domum per adoptionem transiit, quamobrem mortuo Aristarcho tota ejus hereditas ad alterum filium Democharem pervenit, eoque ante adultam aetatem extincto alteraque ex filiabus item mortua omnium Aristarchi bonorum jure et legibus heres erat filia una adhuc superstes, eamque, ut epiclerum, in matrimonium petere poterant proximi cognati. Erant autem proximi Aristarchi frater Aristomenes cum filio Apollodoro. At vero Aristomenes neque ipse eam duxit, neque filio suo collocavit, sed alii cuidam extraneo cum dote exigua, bona autem ab Aristarcho relicta, quorum hanc mulierem heredem esse oportebat, omnia cum filia sua Cyronidi dedit, Aristarchi filio illi, qui per adoptionem in Xenaeneti domum transierat ideoque omne jus in patris bona succedendi amiserat. Ex hoc Cyronidis matrimonio quum filius natus esset, hunc illi filium Aristarcho instituerunt atque ab avi nomine Aristarchum et ipsum appellarunt. Hoc quoque mortuo liberis nullis relictis heres ei ac filius ex testamento instituitur frater Xenaenetus. Huic autem de hereditate controversiam movet Aristarchi illius veteris nepos ex filia, quae una

post Cyronidis adoptionem, Democharis et alterius filiae mortem in illius domo remanserat, et cui tota hereditas jam dudum debita fuerat. Petit autem hereditatem matri suae ut Aristarchi illius majoris filiae, non ut minoris per adoptionem sorori, quamquam in anacrisi hunc petitionis suae titulum profiteri coactus erat, quippe quum adoptionem illam rescindere prius non potuisset.

Igitur hoc primum demonstrat, quum Cyronides per adoptionem in aliam domum transiisset eoque paternae hereditatis capiendae jus amisisset, Demochares autem et altera filia improles obiissent, omnia Aristarchi bona jure et legibus ad matrem suam pervenisse. Cyronidis autem filium contra jus per adoptionem heredem eorum factum esse: neque enim ab ipso Aristarcho per testamentum adoptari potuisse, quum filium hic Democharem superstitem reliquerit, neque postea ab hoc Demochare, quippe qui ante pubertatem obierit ideoque nullum testandi jus habuerit. Neque vero Cyronidem Aristarcho, patri suo, filium instituere potuisse posteaquam per adoptionem in aliam familiam transierit, sed tantum ipsi in paternam domum reverti licuisse, si filium ex se natum in adoptiva domo reliquisset; multo autem minus illud ab Aristomene et Apollodoro fieri potuisse, quippe quibus nil nisi filiam Aristarchi in matrimonium petere licuerit.

Quod autem etiam illo argumento adversarii usi sint, ut dicerent Aristarchi bona obaerata fuisse et a se sua pecunia liberata, id prorsus fictum esse vel ex eo patere, quod nemo sanus in obaeratam domum filium aliquem ex suis instituat, sed id potius omnes providere soleant, ut, si ipsi obaerati sint, filii sui in alias domus adoptentur, ne paternorum malorum heredes fiant.

Neque vero illud contra jus suum quidquam valere posse, quod tam longo tempore praeterlapso hereditatem matris petat. Nam patrem suum olim, quum petere vellet, deterritum esse ab adversariis, qui minitarentur, nisi ille dote uxoris contentus esset, se jure suo usuros ipsosque eam in matrimonium petituros esse. De-

inde bellum intervenisse Corinthium, in quo ipsi ac patri suo militandum fuisse: postea accidisse sibi, ut aerarii debitor fieret ideoque a jure suo persequendo excluderetur. Neque quando quis petat, sed quo jure petat spectandum esse.

Quodsi Aristarchum illum minorem, Cyronidis filium, virum bonum se ac fortem in militia praestitisse et pro patria mortem obiisse adversarii dicant, propterea que aequum esse contendant ut testamentum ejus ratum habeatur, hanc rationem tum demum valere posse si de sua pecunia testatus esset, non item si de aliena. Praeterea adversarios jam una hereditate potitos esse per Cyronidis adoptionem in avi materni domum; neque igitur fas esse etiam alteram, sibi matrique suae per summam injuriam ereptam, illis adjudicari, quum praesertim Xenaenetus ille, qui Aristarchi hereditatem petat, bonis suis ad nefarias libidines explendas abutatur.

Tempus hujus orationis aliquatenus certe cognosci potest ex iis, quae §. 20 narrantur. Nam quum bello Corinthio se patremque suum actor militasse dicat, pax illa, cujus ibidem mentio fit, non alia esse potest quam Antalcidea, quae facta est Ol. XCVIII, 2. a. C. 387. Itaque post hunc annum orationem habitam esse apparet. Per aliquot autem post pacem annos actor, cujus interim pater decessisse videtur, propter ἀτιμίαν, quum aerario deberet, a lite instituenda prohibitus est. Quamdiu ἄτιμος fuerit non eloquitur; sed quum Aristarchus minor in bello obierit (§. 22), Corinthio haud dubie, intra quinquennium certe post hujus obitum hanc de majoris Aristarchi hereditate litem institutam esse censeo, quandoquidem post hoc tempus praescriptio ei a Xenaenete opponi potuit, de qua conf. quae dixi de ord. jud. p. 636. Igitur etiamsi extremo tantum belli Corinthii tempore Aristarchum minorem mortuum esse statuamus, circ. a. 388 Ol. XCVIII, 1, non tamen post 384, Ol. XCIX, 1, orationem nostram habitam esse oportebit: et Krügerus quoque ad Clinton. Fast. Hell. p. 111 huic Olympiadi ineunti, aut superiori exeunti eam assignat.

Sed de illa praescriptione pluribus mihi disputandum videtur contra Platneri, viri doctissimi, opinionem de lit. et act. II p. 327. Nam quum in libro de ord. jud. l. l. hanc ego sententiam amplexus essem, ut de hereditate contra ipsum quidem primum heredem, quamdiu viveret, controversiam moveri potuisse statuerem, contra si hujus morte ad alium, ipsius heredem, bona pervenissent, praescriptionem fuisse quinquennii: huic sententiae obloquutus Platnerus quinquennii praescriptionem etiam in primi heredis gratiam constitutam fuisse h. e. etiam contra hunc de hereditate controversiam non nisi intra quinquennium ab ejus morte, qui illam reliquisset, moveri potuisse contendit. Adversatur autem Platneri opinioni primum hujus ipsius Aristarcheae causae exemplum. Nam Aristarchum minorem, qui primus cognominis sui, avi paterni, tanquam filius adoptivus hereditatem cepit (§. 8 sqq.), viginti certe annos natum fuisse apparet, quum militans obiret: itaque si intra quinquennium post majoris Aristarchi mortem hereditatem ab iis, qui suum jus potius esse contenderent, peti oportuit, apparet eam nunc quidem, tam multis post annis, nullo modo peti potuisse, et debuisse utique actorem nostrum excludi. Ipse autem ita loquitur §. 18, ut mirum quidem videri posse et excusandum esse profiteatur, quod tam sero petat: jus autem suum propterea deterius factum et adversarios ista praescriptione uti posse ad se excludendum ne verbo quidem significat. Similiter Demosthenes loquitur ctr. Macart. p. 1073, 5: *τούτων οὐδὲν ἔμελε Θεοπόμπῳ οὐδὲ Μακαρτάτῳ τούτῳ, ἀλλὰ τοῦτο μόνον τὸ τὰ μὴ προσήκοντα ἑαυτοῖς ἔχειν καὶ ἐγκαλεῖν ὅτι πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται. ἐγὼ δ' ᾤμην, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, προσήκειν τὸν τἀλλότρια ἀδίκως ἔχοντα οὐκ ἐγκαλεῖν, εἰ πλείω χρόνον εἶχεν, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι, μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ τῇ τύχῃ, ὅτι πολλαὶ καὶ ἀναγκαῖαι διατριβαὶ ἐγένοντο ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ, ὥστε νυνὶ περὶ τούτων ἡμῖν ἀγωνίζεσθαι.* Et manifestum ex his ipsis verbis esse arbitror, hanc quoque de Hagniae hereditate causam amplius quinquen-

nio post mortem Hagniae contra Macartatum actam esse. Etiam Pyrrhi hereditas a Xenocle petita est viginti post Pyrrhi mortem annis; neque praescriptionem ei opposuit Endii frater. Nam qui a Platnero huc trahitur locus §. 58 non recte ab eo intellectum esse, et quomodo accipiendus sit satis a me demonstratum esse arbitror. Denique, ne de Dicaeogenis causa dicam, etiam Archiadis hereditatem ab eo, cui Demosthenis oratio contra Leocharem scripta est, perlongo post Archiadis mortem tempore petitam esse non uno illius orationis loco apparet. Vid. impr. p. 1086. 1087.

Jam vero ipsa legis verba, quemadmodum afferuntur ab Isaeo de Pyrrh. her. §. 58, meam sententiam manifestissime confirmant, quae Platnerus, quum sibi adversari intelligeret, corrigere conatus est: id autem quam infeliciter cesserit, quum supra in comm. ad or. de Pyrrh. h. satis expositum sit, nunc nihil opus est repetere. Accedit autem alia lex, quam nihilo felicius quum explicare tum in corruptelae suspicionem vocare conatur, apud Demosthenem ctr. Macart. p. 1054: *Ἐὰν δ' ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου — προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν. παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. — ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτὰ ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ.* Apparet, opinor, duo proponi petitionum genera: alterum contra ipsum illum, cui hereditas adjudicata sit (*τὸν ἐπιδεδικασμένον*), alterum, *ἐὰν μὴ ζῇ ὁ ἐπιδεδικασμένος*, contra eum ad quem hujus morte hereditas pervenerit. In priore nulla commemoratur *προθεσμία*: in altero autem additur, ei demum petere licere, *ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ*, h. e. qui illam praescriptionem (quinquennii) non elabi passus sit. Vides etiam hanc legem nostrae sententiae patrocinari. Sed Platnerus, ut hoc quoque argumentum eludat, interpretationem comminiscitur hujusmodi: verba *ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ* non de petitore accipi vult sed de eo, unde petatur, illius, cui primum hereditas adjudicata sit, herede. Significari

autem nescio quam hereditatis capiendae praescriptionem. Haec quid sibi velint non satis me intelligere fateor.*) Addit autem Platnerus non satis perspicua esse legis verba (quae mihi quidem planissima videntur), et videri aliquid excidisse post *κατὰ ταὐτά*, ubi ego nihil desidero: nam referendum hoc est ad ea, quae ante proposita sunt *καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν* et *παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι*. Ista autem legum tractandarum ratio num aliis placitura sit nescio: mihi quidem, ut dicam quod sentio, et permira esse videtur, in viro praesertim juris peritissimo, et summopere improbanda.

In Hypothesin.

Vers. 3. *τοῦτον μὲν τὸν Κυρωνίδην*. Scribendum haud dubie *τούτων τὸν μὲν Κ.* cum Bekk. tom. 5 p. 697.

Vers. 4. Pro *τοῦ κατὰ μητέρα πάππου* Atticus scriptor dixisset *τοῦ πρὸς μητρὸς πάππου*, et mox *κατέλιπε* pro *κατέλειψε*, de qua sequioris graecitatis forma conf. Lobeck. ad Phrynich. parerg. p. 713 sq. — Paullo post dubitari non potest, quin recte Aristomenes *κατὰ νόμον ἐπίτροπος*, tutor legitimus filiae a fratre relictae dicatur; neque ipse orator §. 5. 6, ubi de erepta puellae pecunia

*) Adscribam ipsa Platneri verba: *Durch diese Bestimmung (ᾧ ἡ προθ. μ. ἐ.) soll wohl derjenige namhaft gemacht werden, den man nach dem Tode des ἐπιδικασάμενος belangen kann, also dessen Erbe. Auf diesen geht wahrscheinlich das: ᾧ — ἐξήκῃ, und diese Worte sollen die noch nicht eingetretene Vollendung der Verjährung insoweit bezeichnen, als dieselbe den Rechtserwerb der Erbschaft aufschiebt. Auch im Deutschen könnte man den Satz: wem die Verjährungszeit noch nicht abgelaufen ist, nicht bloss auf den Verlierenden, sondern auch auf den Gewinnenden beziehn. Der Sinn ist also der: Nach dem Tode dessen, welcher die Erbschaft durch richterlichen Zuspruch erhalten hat, kann man seinen Erben belangen, insofern die Verjährungszeit von 5 Jahren noch nicht abgelaufen ist. Freilich ist der Ausdruck nicht ganz klar, da der Erbe des ἐπιδικασάμενος nicht näher bezeichnet wird. Es scheint daher nach κατὰ ταὐτά etwas ausgefallen zu seyn.*

ipsaque in matrimonium extraneo collocata exponit, haec qui potuerint ab Aristomene fieri, alia ratione explicat, nisi ut ἀδελφὸν eum fuisse dicat ἐκείνου τοῦ Ἀριστάρχου, patris puellae; scilicet quoniam ad hunc tutelam legitimam pertinuisse satis notum erat auditoribus. Atque eandem legitimam cognatorum tutelam indicant etiam haec in or. de Cleon. her. §. 9: Δεινίας γὰρ ὁ τοῦ πατρὸς ἀδελφὸς ἐπετρόπευσεν ἡμᾶς, θεῖος ὢν ὀρφανοὺς ὄντας. ad quem locum conf. quae citata sunt. — Quod autem vers. 20 legitur κληρονόμον — ἐνεστήσατο, prorsus est contra Atticorum consuetudinem, qui aut ποιεῖσθαι κληρονόμον dicunt aut καθιστάνειν, ut Demosth. in Androt. p. 603 extr. Etiam vers. 30 jure mireris, μικρὸν dici Aristarchum minorem, quem virili aetate mortuum esse pateat e §. 22; nisi forte hoc ipsum *minorem* significare voluit grammaticus, ut opponeret hunc Aristarchum alteri majori, ipsius et actoris avo; quamquam vix alibi μικρὸν hoc sensu dictum aliquem invenias.

In orationem ipsam.

§. 1. Ἐβουλόμην μὲν —. Usus hic imperfecti sine ἂν satis quidem frequens, ut exemplis non opus sit; cf. tamen Isae. pro tutore fragm. III, 1 et de fundo fragm. IV, 1. Et perparvum saepe est discrimen, utrum addatur in hac loquutione particula, an omittatur, nisi quod addita ea voluntatem significamus a condicione suspensam: *vellem, si liceret*; omissa autem particula etiam condicionis notio nulla subintelligitur, sed hoc potius indicatur, vere nos illud voluisse, etiamsi omittenda fuerit voluntas, scilicet quod frustra nos velle cognorimus. Atque id ipsum nostro loco indicatur membro opposito νῦν δὲ οὐκ ἐξ ἴσου διακείμεθα —, qualia opposita sunt etiam Il. Il. ἠβουλόμην μὲν — ἐπεὶ δὲ — et μάλιστα μὲν ἐβουλόμην — νῦν δέ μοι συμβέβηκεν, ut apud Aeschin. in Ctesiph. p. 383: ἐβουλόμην μὲν — ἐπειδὴ δὲ πάντα καταλέλυται. Aristoph. Ran. 891: ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε — 895: ὅμως δ', ἐπειδή σοι δοκεῖ, δρᾶν

χρῆ τάδε. Ceterum talis oppositio quum vel maxime ad rem pertineat, solet fere illi ἐβουλόμην etiam concessivi particula μέν addi, quasi quaedam oppositionis praenuncia, quam quum nostro loco libri non habeant, insertam tamen a Bekkero exturbare nolui. Quamquam prorsus non posse abesse equidem non contenderim; et abest in loco non absimili, Demosth. prooem. p. 1441, 7: ἐβουλόμην ἄν, ὦ ἄ. Ἀθ., τὴν ἴσην σπουδὴν ἐνίους ποιεῖσθαι — νῦν δ᾽ ἔνιοί μοι δοκοῦσι κτλ. Nam quod in h. l. additum est, apud Isaeum autem omissum, id nullius ad hanc quidem rem momenti est. — Mox pro ψευδῆ λέγειν malim equidem scribi τὰ ψευδῆ λέγειν, utpote et oratorum consuetudini et rei ipsi magis consentaneum, et quod commendetur vel propter sequentia verba τἀληθῆ εἰπεῖν δυνηθῆναι. De loquutione δίκην εἴρηκα dictum est ad or. de Pyrrh. her. §. 22.

§. 2. ἠνάγκασμαι μὲν οὖν — τὴν μητέρα τὴν ἐμὴν πρὸς τῇ ἀνακρίσει Ἀριστάρχου εἶναι ἀδελφὴν προσγράψασθαι. Suspicetur aliquis pro τῇ ἀνακρίσει reponendum esse τῇ ἀντιγραφῇ, *libello petitorio* (vid. de ord. judic. p. 629), quemadmodum apud Lysiam in Agorat. p. 505 magistratuum jussu ἀπαγωγῆς libello aliquid adscriptum legimus: δοκοῦσι δ᾽ ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν — προσγράψασθαι τότε ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ. Aut faciliori etiam mutatione ἐν τῇ ἀνακρίσει rescribatur, in *litis instructione*, ut hodie ICti loquuntur; nam ad προσγράψασθαι facile subintelligitur dativus τῇ ἀντιγραφῇ vel τῇ λήξει. Quodsi sanus est locus, statuendum erit, ipsam ἀνάκρισιν scripto consignatam ac judicibus propositam esse, easque ἀνακρίσεως tabulas, quasi quoddam protocollum, et ipsas ἀνάκρισιν vocatas esse; quamquam alibi, quod quidem ego sciam, hujus moris nulla mentio fit. Jam vero huic vel protocollo vel libello illud se passum esse ait ut adscriberetur, matrem suam sororem fuisse Aristarchi minoris nuper defuncti, quippe qui, ut adversarii contendebant, majoris Aristarchi filius esset adoptivus, ac proin mulieris illius per adoptionem frater; idque propterea se pati oportuisse, quoniam non potuerit

ab adversariis δίκην λαβεῖν, h. e. jus suum adversus illos tueri atque Aristarchi adoptionem irritam facere, impeditus scilicet primum militia dein ἀτιμίᾳ, quemadmodum ipse exponit §. 20. Neque tamen hoc se titulo hereditatem petere, ut ab avunculo relictam, sed ut matris paternam, quam ille contra jus ac leges occupaverit. — Ceterum quod Scaligerum Reiskius refert interponi voluisse Κυρωνίδου post Ἀριστάρχου εἶναι, idque se non intelligere profitetur: voluit ille haud dubie τοῦ Κυρωνίδου, *Aristarchi Cyronis filii*, ut patris nomine addito minor Aristarchus distingueretur a majore. Sed nihil hoc additamento opus est. — Mox τούτῳ significat Xenaenetum, actoris adversarium, Aristarchi minoris fratrem et ab hoc heredem institutum.

§. 3. ὅθεν οὖν σαφέστατα μαθήσεσθε —. Conf. ad or. de Cleon. her. §. 8.

§. 4. καὶ θατέρου τοῦ τόνδε τὸν κλῆρον ἀδίκως ἔχοντος. H. e. ὃς — εἶχε, ne quis σχόντος corrigendum putet. Designatur autem Aristarchus minor. Mox aut ὢν additum velim post Δημοχάρης υἱός, aut hoc ipsum υἱός plane deletum. Ἐπὶ παντὶ τῷ οἴκῳ ἐπίκληρός pro ἐν παντὶ τῷ οἴκῳ recte emendatum esse nemo dubitabit, qui contulerit vel §. 21: πῶς οὐκ ἐπίκληρος ἦν ἐπὶ τούτοις τοῖς χρήμασιν ἡ ἐμὴ μήτηρ. vel de Pyrrh. her. §. 73: ἐπὶ παντὶ τῷ κλήρῳ ἐπίδικον, similesque loquutiones ποιεῖσθαί τινα ἐπὶ παντὶ τῷ κλήρῳ, ἐπὶ τῷ τρίτῳ μέρει, de Dicaeog. her. §. 8. aut ἐγγυᾶν τὴν θυγατέρα ἐπὶ προικί, ἐκδοῦναι ἐπὶ πολλοῖς χρήμασιν, aliasque complures, quarum exempla passim extant. Cf. hac ipsa or. §. 5. Atque ipsum illud ἐπίκληρος quid aliud significat, quam τὴν ἐπὶ κλήρῳ (οὐκ ἐπὶ προικὶ) καταλειφθεῖσαν, ut ἐπιπάματις τὴν ἐπὶ πάματι?

§. 5. ἀμελήσας ἢ αὐτὸς αὐτὴν ἔχειν ἢ τῷ υἱεῖ μετὰ τῶν χρημάτων ἐπιδικάσασθαι. Immerito Gansius I p. 378 ex eo quod illud μετὰ τῶν χρημάτων in posteriore tantum membro additum, in priore omissum est, in matrimonium quidem epicleros a patruis vel avunculis peti po-

tuisse statuit, sed ita tamen, ut bona non simul ad eosdem pervenirent. Falsam esse hanc opinionem vel hoc ipsum docere potest, quod paullo ante legimus: *προσῆκον αὐτῇ μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγυτάτῳ γένους συνοικεῖν*, dein quod ex or. de Pyrrh. her. §. 65 etiam avunculum majorem, si epiclerum duceret, bona ejus accepisse apparet. Neque ulla unquam nuptiarum epicleri sine bonis paternis mentio fit, ut hac quoque in re jus Atticum expressum videri debeat a Platone Legg. XI cap. 7 p. 924. E: *ἐὰν ὁ μὴ διαθέμενος θυγατέρας λίπῃ, τοῦ ἀποθανόντος ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ ἄκληρος ὁμομήτριος ἐχέτω τὴν θυγατέρα καὶ τὸν κλῆρον τοῦ τελευτήσαντος* — nisi quod illud *ἄκληρος* a philosopho pro suis reipublicae ordinandae rationibus additum est. — Ceterum *ἀμελήσας* jam dudum etiam absque codicum auctoritate reponendum fuit, et repositum haud dubie foret, nisi rarior verbi constructio cum solo infinitivo impedivisset. En igitur alterum ejus exemplum e Xenophonte, Cyrop. VII, 2, 17: *ἀμελήσας ἐρωτᾶν τὸν θεόν, εἴ τι ἐδεόμην, ἀπεπειρώμην αὐτοῦ εἰ δύναιτο ἀληθεύειν*, quod non male Krügerus ad Anab. pag. 248 verti posse ait: *Tantum aberat ut* —, quae conversio etiam nostro loco apta erit.

§. 6. *ἀπεστερήθην*. Suspicetur aliquis *ἀπεστερήθη* potius scribendum fuisse, scil. *ἡ μήτηρ*, quandoquidem actor ipse illo tempore, quum haec fierent, nondum natus erat. Atqui nihilo tamen minus etiam sibi haec bona erepta dicere potest, quippe quae, si matri non essent erepta, sua nunc haud dubie forent; quum illi erepta sint, ipsi quoque nunc iis carendum est.

§. 8. Non immerito Reiskius malebat: *οὕτω μὲν ἐξ ἀρχῆς ἡμῶν ἦν ὁ κλῆρος*. Pronomen quam facile excidere potuerit manifestum est; neque tamen contra codices inserendum duxi, quum ferri etiam vulgata lectio possit. Mox quum post *τῇ ἀδελφῇ τῇ ἑαυτοῦ* pronomen demonstrativum addatur *ταύτῃ*, ipsa mulier, actoris mater, in judicio affuisse videtur, quod nonnunquam, in publicis praesertim causis, factum videmus, ut vel matres vel sorores vel filias secum in judicium adducerent,

quarum aspectu et precibus quoque judicum animi facilius moverentur. Conf. Demosth. I in Aristog. pag. 795, 8.

§. 9. *διδόντων τε αὐτῶν καὶ υἱεῖς ποιουμένων* scil. *τινῶν* vel *τῶν διαθεμένων*, id quod e praecedenti *κατὰ διαθήκας* facile subintelligi potest: *quum quis, v. is qui testatus est, ipse bona sua illis dedit filiosque eos instituit.* Quod autem ait orator, aliter non licere filium cuiquam post mortem ipsius institui, id ita demum verum est, si addatur: ab iis, qui non ipsi proximi, *ἀγχιστεῖς*, defuncti et intestati heredes sint. Hi enim, ad quos ab intestato hereditas perveniebat, non poterant solum sed debebant etiam propter pietatis officium, ne *οἶκος* interiret, aliquem de suis filium illi instituere, quod si negligerent, improbe atque impie fecisse existimabantur. Conf. de Hagn. her. §. 49. de Apoll. her. §. 31. Demosth. ctr. Macart. p. 1077, 7. ctr. Leoch. p. 1086, 18. Add. Platner. Symb. ad I. A. pag. 139. Deliquerunt igitur adversarii in eo, quod filium instituerunt illi, cujus non ad ipsos sed ad filiam superstitem hereditas pertinebat. — Quod sequitur, ipsum Aristarchum non potuisse alium nisi filium Democharem heredem scribere, hac de re vid. Bunsen. p. 59.

§. 10. *παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν* —. De hac lege cf. Harpocr. s. v. *ὅτι παιδὶ* —, ubi hic ipse locus citatur, Phot. et Suid. sub iisd. vv., Schol. ad Aristoph. Eccles. v. 1018. Küster. et Bergl. ad l. l. Wesseling. ad Petit. LL. AA. p. 577. Bunsen. p. 56. de ord. jud. p. 571. Platner. II pag. 273. Ad testamentifactionem quoque hanc legem referri quum per se ipsum consentaneum est, tum propterea, quod testamenta apud Atticos *τοῖς συμβολαίοις* et ipsa accenseri solent. Vid. ad or. de Nicostr. her. §. 12. Quod autem Reiskius veterem lectionem *μεδίμνων* ita tuetur, ut unumquemque puerum et unamquamque foeminam stipulari posse dicat de singulis medimnis, confici igitur tot medimnos, quot sint contrahentes hujusmodi: id tum demum esset aliquid, si de certis quibusdam pueris ac mulieribus dice-

retur, quorum suus cuique medimnus tribueretur. Et singularem habent etiam grammatici modo citati, reponendumque apud Isaeum videbat praeter Petitum l. l. Kühnius quoque ad Polluc. V, 143.

§. 11. ἐπανελθεῖν εἰς τὸν πατρῷον οἶκον ἐξῆν —. Conf. Demosth. ctr. Leoch. p. 1087, 6. 15. 1099, 17. Petit. LL. AA. p. 217. — ἐξ αὐτοῦ δὲ h. e. ἐκ τοῦ πατρῴου οἴκου: *ex paterna familia alium quempiam suo loco in adoptivam immittere non licet.*

§. 12. οἷς προσῆκε. Ita omnino scribendum fuit, praesenti tempore in praeteritum mutato, id quod Reiskius quoque se malle profitetur. Neque enim nunc etiam Aristomeni atque Apollodoro actoris matrem in matrimonium petere licet, quippe quae κύριον habeat filium adultum, eumque bonorum avitorum heredem; sed olim licebat. Accedit quod utrumque jam mortuum esse apparet e §. 25, ubi Xenaenetus Aristomenis bona lancinasse dicitur, ut necesse sit hunc unum ejus heredem factum esse, quod non potuit superstite filio Apollodoro. — Mox ne quem offendat εἰ οὐκ ἂν οἷόντε ἦν, tenendum est illud ἂν esse ἀποδοτικὸν ad eam protasin, quae latet in participio ἔχοντι h. e. εἰ εἶχεν. Et notum est nonnunquam in talibus ne expressam quidem esse protasin, sed tacite supplendam, de quo genere conf. Schaefer. App. crit. ad Demosth. I p. 340. III p. 155 et in Steph. Thes. c. 3522 B. Porro ἀλλ' ἑτέρῳ idem est atque ἑτέρῳ δέ, et fefellit Reiskium ratio, quum haec per interrogationem ironice dicta acciperet et conturbatam constructionem diceret. Optime enim omnia procedunt: θαυμαστὸν ἂν ἦν, εἰ — οὐκ ἂν οἷόντε ἦν — ἀλλ' ἐξέσται —. Atque hoc ipsum ἐξέσται hanc vim habere apparet, ut sit pro: ἐξεῖναι vel ἐκγενέσθαι δόξει: *hoc illis licuisse statuetur.* Nam in posterum ut liceat, fieri non potest, quum illi jam mortui sint. Sed de ἀλλά pro δέ conf. Zeun. ad Viger. p. 470. Hoogev. Schütz. p. 3. Matthiae. ad hymn. Hom. p. 163. Recte autem Reiskius ἑτέρῳ non subjectum verbi ἐκδόντι sed objectum esse monet. Ceterum de lege, cujus paullo antea mentio fit, ὃς οὐκ

ἐᾷ τῶν τῆς ἐπικλήρου κύριον εἶναι ἀλλ' ἢ τοὺς παῖδας ἐπὶ διέτες ἡβήσαντας conf. ad or. de Ciron. her. §. 31.

§. 13. ἐάν τῳ βούλοιτο. Pauci, opinor, obloquantur, si quis βούληται potius scribendum fuisse contendat; neque tamen contra codicum consensum quidquam mutare ausus sum, quum haec quoque constructio, licet utique rarissima, defendi tamen aliqua ratione possit, qua de re conf. quae ad or. de Astyph. her. §. 13 dicta sunt. Add. ad or. de Apollod. her. §. 27. Et video Bernhardium quoque Syntax. p. 412 vulgatam tueri. — De ipsa autem lege, cujus orator mentionem facit, vid. de Pyrrh. her. §. 42 et 68. Quod autem paullo infra ait τῷ δὲ μήτε λαβεῖν αὐτὴν ἀξιώσαντι μήτε πατρὶ ὄντι ἀλλ' ἀνεψιῷ, oratorie magis quam accurate et ad ipsam rei veritatem loquitur. Loquitur enim ita, quasi ab Apollodoro illa collocata sit, qui fuit ἀνεψιός; re tamen vera ab Aristomene patruo collocata est. Conf. §. 5. Sed apparet ratio, cur remotiorem potius appellaverit, qui una cum patre totam rem egisse, et quum ipse patruelem suam ducere nollet, illum impulisse censendus est, ut extraneo eam collocaret.

§. 14. ὡς οὐ τῆς ἐμῆς μητρὸς οὗτος κλῆρός ἐστι. H. e. ὡς οὗτος (ὁ κλῆρος) οὐ τῆς ἐμῆς μητρὸς κλῆρός ἐστι: *hanc non esse matris meae hereditatem.* Conf. Reisig. Conjectan. p. 178. Bremi Excurs. ad Lys. p. 436.

§. 15. οὐκ ἐπὶ τῷ δικαίως Ἀρίσταρχον εἰσαχθῆναι — τὸν λόγον ποιοῦνται μόνον. H. e. *non solum Aristarchi adoptione orationem suam muniunt, non illam solum petitioni suae praetexunt.* Haec enim est vis praepositionis ἐπί, ne quis eam aut pro περί usurpatam putet, id quod neque fit unquam neque potest fieri, licet nonnulli crediderint, neve mutandam censeat lectionem in hunc modum περὶ τοῦ —; quamquam non admodum raro ἐπι et περί a librariis permutata constet. Conf. Bast. Comm. palaeogr. p. 783 sq. De illa praepositionis vi ut causam significet alicui rei praetextam, vid. ad or. de Hagn. her. §. 13. — Mox τὸν πατέρα τὸν ἑαυτῶν designat Cyronidem, cujus filii erant Xenaenetus et Ari-

starchus minor. — ἵνα — προσήκων αὐτοῖς φαίνηται vereor ut Isaeus ipse scripserit. Neque ut ita sentiam illud me tantopere movet, quod προσήκων legitur, quum referendum tamen sit ad τῶν χρημάτων: hoc enim defendat aliquis per structuram quam vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον, ut credatur orator non τὰ χρήματα cogitasse sed ὁ κλῆρος, cujus generis exempla vid. apud Duk. ad Thucyd. II c. 47 (quamquam ipse Thucydidis locus alia ratione rectius explicatur a Poppone prolegg. I p. 105.) Koen. ad Gregor. p. 93. Bernhard. Syntax. p. 430; sed ipsa sententia infinitivum potius requirere videtur. Apparere enim illud et manifestum fieri posse non concedit orator; sed id agere adversarios dicit, ut ita videatur judicibus contra ipsius rei veritatem. Et quid intersit inter φαίνεσθαι cum participio et cum infinitivo constructum post Wolfium ad Demosth. Leptin. p. 259. 267. multi docuerunt. Obloquutus quidem illi nuper est Bernhardius l. l. p. 477; interim tamen, donec hic sententiae suae rationes protulerit, Wolfium, opinor, sequi licebit. Bernhardio assentitur Schaeferus ad Plut. tom. 5 pag. 50 et 141, sed quae ab eo citantur exempla nihil nisi hoc docent fieri nonnunquam ut scriptores *videri* sibi aliquid dicant etiam in re certa ac manifesta, quam poterant *apparere* dicere: φαίνεται γενέσθαι pro φαίνεται γενόμενον. Sed ut credam promiscue c. partic. et c. inf. hoc verbum construi, talia requiro exempla, quae participium habeant in re dubia atque incerta: qualia vix reperiri posse arbitror.

§. 16. οὐκ ἂν χρήματα οὗτοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐξέτινον. „*Imo vero*," inquit Reiskius, „ὑπὲρ αὐτοῦ. *redit enim ad praemissum* ὁ κλῆρος." Atqui sequitur etiam paullo infra ὑπὲρ αὐτῶν βουλεύσασθαι, quod eodem jure mutatum velis; sed orator, quoniam supra dixerat δίκην ὑπὲρ τούτων τῶν χρημάτων τὸν πατέρα τὸν ἑαυτῶν ἐκτετικέναι, nunc quoque non ὑπὲρ τοῦ κλήρου cogitasse videtur, licet ὁ κλῆρος proxime praecesserit, sed potius ὑπὲρ τῶν χρημάτων. Simili ratione §. 21 dictum est δικαίως ἂν ἐμὸν αὐτὸν εἶναι ψηφίσαισθε, licet antea breviore in-

tervallo sit ἐπίκληρος ἐπὶ τούτοις τοῖς χρήμασιν, et paullo longiore τίνος δόντος ἔχει τὸν κλῆρον, quo illud αὐτόν relatum est. Cf. de Hagn. her. §. 26, ubi τῶν αὐτῶν refertur ad remotius τούτων, licet proximum sit τὸν κλῆρον. Quamquam nostro loco pluralis numerus etiam aliam explicationem recipit, quemadmodum Thucyd. VI c. 10, quum dixerit τὰς γενομένας σπονδάς, subjungit paullo post ἔπραξαν αὐτά, nimirum cogitans τὰ περὶ τὰς σπονδάς. et III, 3: οὐκ ἀπεδέχοντο τὸ πρῶτον τὰς κατηγορίας, μεῖζον μέρος νέμοντες τῷ μὴ βούλεσθαι ἀληθῆ εἶναι scil. τὰ τῆς κατηγορίας vel τὰ κατηγορημένα. — Mox pro προσῆκον Reiskius mavult προσῆκεν, qua mutatione nihil opus, quum et ἦν, quod sequitur post ἀναγκαῖον, commode huc quoque trahi possit, et, si non sequeretur ἦν, posset tamen tacite suppleri, quemadmodum ἐξὸν pro ἐξὸν ἦν legimus or. de Philoctem. hered. §. 50, ubi conf. not. Et hoc ipsum προσῆκον, omisso verbo substantivo, duobus locis Aldus et Stephanus exhibuerunt in or. de Hagn. her. §. 13: οὐ περὶ τῶν τοιούτων — διαγνωσθῆναι προσῆκον. et §. 25: εἰ δὲ μὴ προσῆκον αὐτοῖς τῆς ἀγχιστείας μηδέν. Utrobique προσῆκεν non Reiskius solum reposuit, sed etiam Bekkerus; si propter codices, id quod credo, non obnitor, quin ipse hac fiducia imitatus sum: sin ex conjectura, equidem factum nollem. Sed tacuit de codicum lectione vir egregius, non hoc uno loco plus quam velles taciturnus.

§. 17. ἵνα μὴ μετέχωσι τῆς τοῦ πατρὸς ἀτιμίας. Quippe condemnatus debitor, si judicatum propter egestatem non solveret, accusabatur primum δίκῃ ἐξούλης, quae erat cum mulctae irrogatione conjuncta; quodsi ne nunc quidem debitum unaque cum eo mulctam impositam solveret, ἄτιμος fiebat, ut qui aerario deberet. Conf. de ord. jud. p. 751.

§. 18. πῶς ποτε πολὺν οὕτως εἰλάσαμεν. H. e. οὕτω πολύν. De hac transpositione cf. ad or. de Pyrrh. her. §. 37. Mox quum Reiskius de veritate formae ἦμεν pro ἤειμεν dubitare videatur, vid. praeter Buttm. Gr.

max. I p. 561. etiam Elmslej. in Diar. Class. no. XVII p. 51. 52.

§. 19. *αὐτοὶ ἐπιδικασάμενοι αὐτὴν ἕξειν.* Nam nuptas quoque mulieres epicleros a proximis cognatis vindicari potuisse vidimus or. de Pyrrhi her. §. 64 ubi cf. not.

§. 20. *ἀτύχημα πρὸς τὸ δημόσιον* per quendam euphemismum sibi accidisse dicit is, qui aerarii debitor ac proin *ἄτιμος* factus est. Similiter or. in Theocrin. p. 1322: *τοῦ πατρὸς ἡμῶν — ἀτυχήσαντος πρὸς τὴν πόλιν καὶ ὀφλόντος δέκα τάλαντα.* Qui autem *ἄτιμοι* essent, in jus vocare neminem poterant. Vid. de ord. jud. p. 563.

§. 21. *χρόνῳ τι ὕστερον* —. Pronomen ad *εἰσπραττόμεθα* pertinere apparet, et monuit jam Reiskius. Ipsum voc. *χρόνος* per se solum dici de *aliquo, longiore tempore* nemo ignorat. Conf. Markland. ad Lys. p. 158. Duker. ad Thucyd. II, 18. or. de Philoct. her. §. 20. 27. De *αὐτὸν* in extrema periodo, quod Reiskius in *αὐτὸ* mutatum malebat, ut referretur ad *τῶν ἡμετέρων τι*, vid. quae dicta sunt ad §. 16.

§. 22. *περὶ τοῦ τεθνεῶτος.* H. e. de Aristarcho minore, Xenaeneti fratre, cujus testamento hic adoptatus erat. — In fine §. quum pro *ὥσπερ ἂς* in cod. Vratisl. scriptum sit *ὥσπερ ἄν,* hinc aliquis *ὥσπερ ἂν ἂς* conjiciat ab Isaeo profectum esse. Attamen hoc *ἂν* facile carebimus, quum propter ea exempla, quae congessit Matth. gr. Gr. p. 1025, not. 2. quique ab eo citantur, quibus add. Buttmann. ad Plat. Men. p. 172. 210., tum propterea quod particula e priori membro hic facile suppletur. Conf. not. ad or. de Apollodor. her. §. 33.

§. 23. *πλέον ἢ τεττάρων ταλάντων.* Vid. Lobeck. ad Phrynich. p. 410. Matth. gr. Gr. p. 817. Schaefer. ad Plutarch. tom. IV p. 420 extr. Krüger. Comment. de Thucyd. p. 287. Conf. de Hagn. her. §. 41 et 49. — Qui nominatur Xenaenetus major est, minoris proavus, cujus bona ad Cyronidem per adoptionem pervenerant, a Cyronide ad filium Xenaenetum minorem. *προσλήψονται* h. l. est: *insuper accipient*, de qua vi praepositionis in compositis conf. Zeun. ad Viger. p. 666. Ita

προσέχειν apud Demosth. ctr. Onetor. II p. 877, 26 est: *praeterea habere*. προσοίσομεν, *insuper feremus*, ap. Eurip. Med. v. 77. προσαπετίμησε, *insuper*, *praeter dotem reliquam*, *aestimavit*, Demosth. in Spud. pag. 1036, 17. Schaefero Appar. crit. IV p. 80. et V p. 15 talia disjunctim potius scribenda videntur, ut πρὸς ἔχειν, πρὸς μισεῖν, de qua re disputare longum est neque hujus loci.— De loquutione ἐκ τῶν αὐτῶν Κυρωνίδῃ γεγενημένος vid. ad or. de Apollod. her. §. 11.

§. 24. τῶν ἀμφισβητησίμων χωρίων δεῖ τὸν ἔχοντα ἢ θέτην ἢ πρατῆρα παρέχεσθαι ἢ καταδεδικασμένον φαίνεσθαι. H. e. *quum de fundo certatur, quem quis tamquam suum a possessore vindicat*, *ostendat possessor* (ὁ ἔχων) *necesse est, quo titulo possideat, ita ut aut auctorem nominet, a quo fundum illum vel pignori acceperit vel emerit* (θέτην ἢ πρατῆρα παρέχεσθαι) *aut adjudicatum sibi eum demonstret* (καταδεδικασμένον φαίνεσθαι). De voc. θέτης conf. Meier. de ord. jud. p. 505.*) Plenam titulorum enumerationem in tali loco nemo requiret. Omisit v. c. τὸν δόντα, quem addidit Plato de legg. XI cap. 2. pag. 915: ἐὰν δὲ ὡς αὐτοῦ ἐφάπτηται (vindicet) ζώου καὶ ὁτουοῦν ἢ τινος ἑτέρου τῶν αὐτοῦ χρημάτων, ἀναγέτω μὲν ὁ ἔχων εἰς πρατῆρα ἢ τὸν δόντα ἀξιόχρεών τε καὶ ἔνδικον ἤ τινι τρόπῳ παραδόντα ἄλλῳ κυρίως. Ἀναγέτω εἰς πρατῆρα Plato dicit pro eo, quod est apud Isaeum πρατῆρα παρέχεσθαι; et proprium est illud verbum ἀνάγειν in jure Attico, *ablegare* eum, qui rem tamquam suam a te vindicat, *ad auctorem*, ut is auctoritatem suam praestet possessionemque tuam contra illius vindicationem tueatur. Vid. Harpocr. h. v. et de ord. jud. p. 528. Καταδεδικασμένον autem vix opus fuerit monere non passivum esse sed medium: nam καταδικάζεσθαί τι is dicitur, qui *obtinet ut aliquid sibi adjudicetur*. Falso igitur Reiskius nostrum locum ita vertit: *aut pati fundos judicum*

*) Obiter hoc quoque operae pretium fuerit commemorare, Isaeum, teste Polluce VII, 8, non solum πρατῆρα sed etiam πράτην dixisse.

sententia sibi abjudicari. Jam vero totius loci sententiam hanc esse apparet: quemadmodum in aliis controversiis, veluti de fundi possessione, possessorem demonstrare oportet, quo titulo possideat, aut pro empto, aut pro oppignerato, aut pro adjudicato, ita etiam in hac de hereditate controversia adversarios uno aliquo ejusmodi titulo petere oportebat, ut hereditas sibi adjudicaretur: καθ᾽ ἕν τι τούτων ἐπιδικάζεσθαι: non autem πρὸ δίκης h. e. sine ἐπιδικασίᾳ (cf. not. ad or. de Astyph. hered. §. 3.) matrem meam paternis bonis spoliare. Scilicet nemini, nisi qui suus heres esset, h. e. liberis ac nepotibus naturalibus, aut qui inter vivos adoptati essent (conf. ad or. de Astyph. her. l. l.), sine ἐπιδικασίᾳ hereditatem capere licebat. Demosth. in Steph. II pag. 1136, 3: ἀνεπίδικον δὲ κλῆρον μὴ ἔχειν. Dionys. Halic. jud. de Isaeo in R. O. G. VII p. 346: οὐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον πρὸ δίκης. Matri igitur actoris, utpote filiae Aristarchi naturali, licuit bona paterna per ἐμβάτευσιν occupare (cf. de ord. jud. p. 459. 460.) et si usa esset ἐμβατεύσει, et ab adversariis ejecta, ἐξούλης vel etiam κακώσεως agere potuit — quamquam non usam eam hac via esse apparet —; adversariis autem utique ἐπιδικασία instituenda fuit, quam quum non instituerint, hereditatem contra jus ac leges ab iis possideri apparet. — Ceterum pro αὐτόν, quod vulgo legebatur, manifestum est etiam contra codices reponendum fuisse αὐτοῦ scil. τοῦ κλήρου. Nam ἐπιδικάζεσθαι nunquam non cum genitivo construitur. Ad ἀποφήναντας autem subintelligendum est αὐτό, h. e. illud ἕν τι τούτων, unum aliquem titulum; quemadmodum saepenumero ad participia verbis adjuncta objectum tacite repetendum est, ut in illo Sophocleo: ἄγγελλε δ᾽ ὅρκῳ προστιθείς scil. αὐτὸν h. e. τὸν ὅρκον. Conf. Erfurdt. et Wex. ad Sophocl. Antigon. v. 23. Reisig. ad Soph. Oed. Col. comm. crit. p. 346. Fritzsch. Quaest. Lucian. p. 113 extr. — Denique καί, quod vulgo legebatur ante μὴ πρὸ δίκης, quum absit a tribus codicibus, omittendum duco. Conf. Schaefer. App. crit. ad Demosth. IV p. 583.

§. 25. *καταπεπαιδεραστηκέναι.* Cf. ad or. de Dicaeog. her. §. 43. Mox *κόσμιόν τ' ἐμαυτόν*, quae est Aldi, Stephani librorumque omnium lectio, non fuit cur a Reiskio et Bekkero mutaretur in *κόσμιον δ' ἐμαυτόν.* Recte enim Schaeferus, Appar. crit. I. p. 684, Graecos liberrime uti his particulis observat, quoties solam vim habeant copulandi, ut nunc *δέ* referatur ad antecedens *τε*, nunc *τε* s. *καί* ad antecedens *μέν*.

§. 26. *ἐπιγιγνόμενον* Reiskius mutari malebat in *περιγιγνόμενον*; sine causa. Nam *ἐπιγ.* significat hereditatem *post* hos, h. e. post Cyronidem et Democharem, ad matrem actoris pervenire debuisse. Est autem *ἐπιγιγνόμενον* i. q. *δέον ἐπιγίγνεσθαι*, qua de re conf. not. ad or. de Cleon. her. §. 44.

IN ORATIONEM XI.

DE HAGNIAE HEREDITATE.


PROOEMIUM.

Hagnias, Eubulides, Stratius, Habro, Cleocritus fratres fuerunt germani, Buseli cujusdam Oeensis filii.*) Ex his Hagnias filium habuit Polemonem et filiam Phylomachen, Eubulides filium Philagrum, Stratius denique filios duos, Phanostratum et Charidemum, qui omnes inter se ἀνεψιοὶ fuerunt ἐκ πατραδέλφων, consobrini e fratribus oriundi, h. e. fratres patrueles. Horum rursus liberi erant, Charidemi Theopompus et Stratocles, Phanostrati Stratius minor,**) Polemonis e Stratii

*) Vid. Demosth. ctr. Macart. p. 1055: nam apud Isaeum horum nemo commemoratur. Neque tamen tota causa satis plane perspici ac de jure eorum, qui de Hagniae hereditate litigarunt, certo judicari potest, nisi omnem illam cognationem probe cognitam habeas: quamobrem stemma quoque adjeci.

**) Qui ante me hanc causam illustravit Jonesius eumque sequutus Bunsenius non Stratoclem solum faciunt Theopompi fratrem, sed etiam Stratium minorem. Ac de Stratocle quidem certa res est e §. 5, ubi pupillus ille, cujus nomine Theopompus in jus vocatus est, Stratoclis filius, ἀδελφιδοῦς a Theopompo dicitur. Cf. etiam §. 40. Stratium autem non fuisse fratrem Theopompi satis manifestum est ex eo, quod hic Hagniae matrem Stratii sororem, non suam, ipsumque Stratium mulieris illius fratrem, non suum vocat (§. 8. 17. 20.), quae res etiam

Ad pag. 44



Isaeus ed. Schoe

hujus minoris sorore filius Hagnias et filia, cujus nomen ignoramus, Philagri denique e Phylomache, Polemonis sorore, sua consobrina, filius Eubulides. Hi igitur inter se, si paternam tantum cognationem spectamus, omnes erant sobrini, ἀνεψιαδοῖ s. ἀνεψιῶν παῖδες, ἐξ ἀνεψιῶν γεγονότες;*) si maternam quoque cognationem respicimus, Eubulides erat Hagniae etiam amitinus.**) — Mater au-

Gansium advertit tom. I p. 375 not. 237. Eodem tamen Stratium atque Theopompum cognationis gradu Hagniam attigisse apparet, ut essent inter se ἀνεψιαδοῖ. Vid. §. 8. Igitur Stratii quoque patrem Hagniae patris, Polemonis, ἀνεψιὸν fuisse oportet: filium itaque unius ex quinque Buseli filiis. Jam vero neque Hagniae majoris neque Eubulidis majoris filium eum fuisse constat: sed ne Habronis quidem aut Cleocriti filium fuisse ostendit locus Demosthenis ctr. Macart. p. 1056, 5, ubi is qui orationem habet filii sui nomine, Eubulidis tertii, qui nepos erat ex filia simulque adoptivus filius Eubulidis secundi, neminem ex illorum posteris de Hagniae hereditate controversiam movisse Eubulidis stirpi testatur. Restat igitur ut Stratii filius fuerit, illius quem inter Buseli filios tertio loco nominavimus. Atqui hujus unus tantum filius fuisse dicitur apud Demosthenem l. l. p. 1056, 26, Charidemus, et filia una, Phanostrata. Quid igitur? hujusne Phanostratae filium fuisse dicamus Stratium nostrum secundum? Fuerit sane etiam sic Hagniae ἀνεψιαδοῦς, verum a matre, non a patre, ut Stratocles et Theopompus: neque igitur una cum his Hagniae hereditatem petere potuit secundum legem, quae jubet e cognatis ejusdem gradus κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων. At enim Phanostrata illa in Phanostratum mutari, ex muliere vir fieri debet optimi codicis Augustani primi auctoritate, in quo locus ille, quem modo laudavimus, ita scriptus extat: τοῦ δὲ Στρατίου (Stratii primi) ἐγένοντο τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἁγνίου (Hagniae primi) Φανόστρατος καὶ Χαρίδημος. Ita omnia plana fiunt.

*) cf. not. ad §. 1.

**) Demosth. l. l. p. 1071, 14: Φυλομάχη τοίνυν ἡ Πολέμωνος ἀδελφὴ τοῦ πατρὸς τοῦ Ἁγνίου οὐκ (rectius dixisset οὐ μόνον) ἀνεψιὰ ἦν Ἁγνίᾳ ἀλλὰ τηθίς· ἀδελφὴ γὰρ ἦν Πολέμωνος τοῦ πατρὸς τοῦ Ἁγνίου. Εὐβουλίδης δὲ ὁ υἱὸς ταύτης τῆς γυναικὸς ἀνεψιὸς ἦν πρὸς μητρὸς (h. e. amitinus) Ἁγνίᾳ οὗ ἐστιν ὁ κλῆρος. — Fuit etiam Stratius minor Hagniae non solum

tem Hagniae, Stratii soror, post Polemonis prioris mariti mortem iterum nupsit, ex quo matrimonio filii procreati sunt Glaucus et Glauco. *) Hi igitur Hagniae fratres fuerunt uterini. Moritur dein Hagnias sine liberis sed testamento relicto, quo sororis suae filiam adoptavit bonorumque suorum omnium heredem instituit simul si quid huic accidisset ante quam liberos peperisset, secundum heredem scripsit Glauconem, fratrem uterinum. Aliquo post tempore moritur puella illa, quam Hagnias adoptarat: hereditas igitur Hagniae ex testamento defertur ad Glauconem. Sed huic controversiam movet Eubulides ille minor, Hagniae et sobrinus et amitinus, et Eubulide ante rem judicatam mortuo filia ejus Phylomache: **) persuadent ejus patroni judicibus testamentum Hagniae suppositum esse; efficiunt ut hereditas mulieri adjudicetur. Et sane si testamentum illud non valuit, cognationis jure nemo erat meliore quam Phylomache. Nam fratri quidem uterino propter cognationem nullum competebat jus, donec paterni cognati usque ad consobrinorum filios supererant: amitinus autem et filia quoque amitini haud dubie meliori erant jure quam sobrini, Theopompus, Stratocles, Stratius.

Nihilo tamen minus contra Phylomachen petitores existunt ex altera parte Hagniae mater, Stratii soror, ac proin et ipsa filii sui sobrina; ex altera Theopompus, Stratocles, Stratius, ex quibus quum duo ante deductam in judicium causam obiissent, solus relictus Theopompus totam sibi hereditatem petit. Vincit in certamine Theopompus: et matrem quidem Hagniae jure

---

ἀνεψιαδοῦς sed etiam avunculus: hoc tamen ad hanc causam nihil facit.

*) Glauci apud Isaeum non fit mentio; sed vid. Demosth. ctr. Macart. p. 1052 sq.

**) Litem contra Glauconem jam ab Eubulide institutam esse apparet e Demosth. ctr. Macart. p. 1063 extr. ὁπότε ἡ ἐπιδικασία ἦν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου Εὐβουλίδῃ πρὸς Γλαύκωνα. Ita enim scribendum pro προσκλαίουσα, emendatione certissima et evidentissima.

haud dubie: neque enim ullum in filii hereditatem matri
us est,*) et viro ejusdem gradus mulierem, sobrino
sobrinam, cedere oportet ex lege quae jubet κρατεῖν τοὺς
ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων: Phylomachen autem
summa injuria, et dolis atque artificiis usus, quae qua-
lia fuerint partim Demosthenes exponit ctr. Macart. p.
1059, 1 sqq. cf. p. 1052. 1062, 13, partim nos infra in-
dicabimus ad §. 1. — Rursus autem contra Theopom-
pum existit Stratoclis filius vel potius hujus, quem pater
impuberem reliquerat, tutor, illumque, qui et ipse ejus-
dem pueri tutor erat, per εἰσαγγελίαν accusat κακώσεως,**)
quod pupillum suum debita hereditatis parte dimidiâ de-
fraudarit. Nam et antea cum Stratocle pactum esse Theo-
pompum, ut, si alteruter vicisset, hereditatem inter se
communicarent, et post Stratoclis mortem spopondisse,
si hereditas sibi adjudicaretur, dimidiam se partem pu-
pillo traditurum. Contra hanc igitur accusationem has
se oratione Theopompus defendit.

Ac primum quidem hac utitur defensione, ut de-
monstret se quidem eo cognationis gradu Hagniam con-
tingere, cui leges jus hereditatis capiendae tribuerint,
quum ipse et Hagnias inter se fuerint ἀνεψιαδοῖ v. ἀνε-
ψιῶν παῖδες; puerum autem istum uno gradu esse remo-
tiorem: esse enim ἀνεψιαδοῦ παῖδα: hos autem esse ἔξω
τῆς ἀγχιστείας, neque amplius juris illius participes.
Propter hanc causam etiam Stratii liberos, qui eodem
ac puer iste cognationis gradu Hagniam attingant, quie-
tos esse neque ullam sibi de hereditate controversiam
movere. — Quod autem de pactione quadam dicat here-
ditatis inter se et Stratoclem partiendae, hoc falsum ac
fictitium esse ex ipsa rei condicione satis patere. Utrius-
que enim petitionem ejusmodi fuisse, ut non posset al-
teruter sine altero aut vincere aut causa cadere, sed
necesse fuisse, quum eodem uterque titulo peterent, aut
utrique hereditatem pro portione adjudicari, aut neutri.

*) Conf. Gans. I p. 371 — 376.
**) Conf. de ord. jud. p. 260.

Neque minus absurdum esse, quod spopondisse ipsum adversarius dicat, partem se hereditatis, si vicisset, pupillo traditurum, quum nulla probabilis causa excogitari possit, qua commotus tale quid spoponderit. — Illud autem ipsum, quod neque tunc, quum de hereditate contra Phylomachen et Hagniae matrem certandum esset, neque post, his judicio victis, adversus e pupilli nomine hereditatis petitio ab adversario instituta sit, documento esse, nullum isti puero jus esse hereditatis petendae. Nam quod dicat adversarius prius illud omissum esse propter illam Theopompi sponsionem, cujus modo mentionem fecimus, alterum autem propterea quod non liceat pupillo contra tutorem privato judicio contendere: utrumque falsum esse, quum neque sponsio ejusmodi ulla facta sit, neque vero leges ullae pupillis tutoribus lites intendere vetent. — Postremo quum adversarius, quo misericordiam pupillo suo, invidiam Theopompo conflaret, illum egenum esse, hunc autem in lautissima re familiari illius ac sororum ejus inopiam nullo modo sublevare criminatus esset, hoc quoque refutatur et pupilli facultates multo majores esse quam Theopompi demonstratur.

Vicisse hac causa Theopompum docet Demosthenis oratio contra Macartatum, Theopompi filium, pro Eubulide tertio, Phylomaches filio, Eubulidis secundi, avi materni, adoptivo habita. Et jure haud dubie vicit: nam etsi Phylomachae summa injuria debitam huic hereditatem eripuerat, pueri tamen istius contra Theopompum jus nullum fuit, id quod leges initio orationis citatae manifestissime demonstrant. Ceterum etiam quo tempore haec causa acta sit, ex eadem illa Demosthenis oratione colligi potest. Nam p. 1059, 21 litem Phylomachae contra Glauconem actam esse docemur Nicophemo archonte h. e. Ol. 104, 4 a. Chr. 361, neque multo post tempore Phylomachen a Theopompo in jus vocatam, dein, illa victa, hunc a tutore pupilli accusatum esse oportet. Et in ann. 360, Ol. 105, 1, oratio nostra refertur etiam a Clintono Fast. Hell. p. 131. —

uamdiu autem antea Hagniae hereditas a filia adoptiva
dein a Glaucone possessa fuerit, definiri non potest, uum nesciamus quo tempore Hagnias mortuus sit. biisse eum in legatione pro re publica suscepta docet saeus §. 8: et fuit hic fortasse idem, cujus ex Anrotione et Philochoro mentionem facit Harpocratio s. . Ἁγνίας: τοῦτον καὶ τοὺς συμπρεσβευτὰς αὐτοῦ φησιν Ἀνδροτίων ἐν πέμπτῳ τῆς Ἀτθίδος καὶ Φιλόχορος, ὡς ἑάλωσάν τε καὶ ἀπέθανον ὑπὸ Λακεδαιμονίων. Sed tempus ujus rei plane ignoramus.

In Hypothesin.

Vs. 1. Ἁγνίας. Ita scribendum esse hoc nomen, cum spirationis signo, non est quod moneam. Ante Bekkerum utem Ἀγνίας excudebatur, eamque scripturam Reiskius uoque servavit, licet idem mira inconstantia in annoatione Latina semper Hagniam hominem dicat, non Agniam. Contrariam rationem si sequutus esset, minus eprehenderem: sunt enim Latinis in libris ista nomina, Agno, Agnotheus, Agnonides et similia, tam saepe sine spiratione scripta, ut librariis hoc imputari non posse videatur. Vid. Corn. Nep. vit. Phoc. c. 3. Quintil. I. O. II, 17, 15. Plin. H. N. XXXIII, 3, 14. Veram usitatamque apud Graecos formam testantur inscriptiones apud Boeckhium I p. 292. B, 57. C, 37. p. 299. A, 63. B, 55. p. 304. A, 42. A librariis autem saepenumero peccatum esse nemo mirabitur. Cf. var. lect. ad or. de Nicostr. her. summar. vers. 2. Etiam pagus ille Atticus non Ἀγνοῦς dicebatur, quemadmodum Maussacus censet ad Harpocrat. p. 70 Lips., sed Ἁγνοῦς, id quod inscriptiones multae docent.

εἶχεν ἀνεψιοὺς πολλούς. Immo ἀνεψιαδοῦς. Nam ἀνεψιὸς Hagniae ex iis, qui statim nominantur, nemo fuit praeter unum Eubulidem.

vs. 6. ἐπὶ τούτοις αὐτοῦ τελευτήσαντος recte dixit atque ex Atticorum consuetudine: *quum obiisset his heredibus relictis.* Illustrarunt hanc loquutionem praeter Vigerum

p. 622. Hemsterhusius ad Lucian. Dial. mort. 7. Kuehn. ad Aelian. V. H. VI, 10. Sieben. in Obss. miscell. Amstel. tom. VI p. 209.

Extrema summarii periodus dubitari non potest quin corrupta sit a librariis, qui quum δι' in δὲ mutassent, πρὸς αὐτὸν autem, fortassis pro πρὸς τοῦτον margini adscriptum, inseruissent post δικάζεται, υἱὸς ipsi addiderunt ad explendam scilicet orationem. His igitur, quemadmodum a me factum est, mutatis et ejectis omnia bene procedunt. Nam quod δικάζεται dicitur de actione publica εἰσαγγελίας, ne in Attico quidem scriptore offenderet. Vid. de ord. jud. p. 162 not. 7. Ceterum res ipsa non satis recte proponitur: neque enim a pupillo per tutorem Theopompus accusatus est, quemadmodum in privata causa in jus vocandus fuisset, sed ab ipso tutore, qui suo nomine, licet propter pupilli injuriam, εἰσαγγελίαν instituit. Sed hujusmodi errorem grammatico facile condonabimus.

In orationem ipsam.

§. 1. Deesse orationis initium Taylorus suspicabatur: neque Reiskius se ab hac suspicione abhorrere ostendit. Scilicet sine ullo prooemio tam abrupte oratorem exordiri mirabantur. Sed „prooemium necessarium sit an supervacuum, causae docebunt," ut ait Quintilianus II, 13, 5. Haec autem causa ita comparata est, ut non inepte Theopompus statim, posteaquam accusator peroraverat, leges judicibus recitasse et defensionis suae initium inde duxisse videri possit, quippe quae causam suam tam manifesto tuerentur, ut captandae judicum benivolentiae facile supersedere posset. Attentos autem facere auditores hoc vel praecipue oportebat, quod novo atque insolito more exordiretur. Itaque nihil equidem deesse existimo. Ceterum sine prooemio exordiri oratorem vidimus etiam de Astyphili ac de Pyrrhi hereditate. Non minus vanam judico Markland suspicionem, Lysiacae orationis pro Polystrato initium interiisse.

Quas autem recitavit aut recitari jussit (vid. ad §.) leges sunt de successione cognatorum, qui collaterales hodie dicuntur, quarum argumenta breviter nunc petuntur. Vocabantur igitur ad successionem primum fratres germani (ὁμοπάτριοι) eorumque liberi, dein sorores germanae harumque item liberi, tertio loco patrueles et amitini (ἀνεψιοί) horumque liberi: ex his si nemo esset, tum demum vocabantur qui a matre cognati erant, primum fratres uterini eorumque liberi ac deinceps reliqui eodem modo atque ordine, quo cognati a patre: quodsi ex his quoque nemo superesset, revertebatur successionis jus ad paternam defuncti cognationem, ex qua ut quisque proximus erat ita ceteris anteferebatur. Ipsa Solonis lex adscripta est Demosth. orationi ctr. Macart. p. 1067, sed extrema parte corrupta. Legitur enim ita: ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιαδῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι., scribendum est autem μέχρι ἀνεψιῶν παίδων, id quod hi imprimis nostrae orationis loci demonstrant, §. 2: τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν ἀνεψιοῖς πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων. §. 11: ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς κυρίους εἶναι κατὰ τὰ αὐτά. §. 12: ὁ νομοθέτης οὐκ εἶπεν, ἐὰν μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς τῶν ἀνεψιαδῶν εἶναι κυρίους. ex quibus omnibus satis, opinor, apparet haec ipsa verba μέχρι ἀνεψιῶν παίδων in lege scripta fuisse, illud autem alterum ἀνεψιαδῶν quum tamquam synonymum margini adscriptum esset, librariorum errore pro ἀνεψιῶν irrepsisse. Synonyma autem esse ἀνεψιῶν παῖδες et ἀνεψιαδοῖ, id quod in dubium vocavit Bunsen. de jur. her. p. 10, quum ipsa hujus vocabuli conformatio probat, quae facta est eodem modo quo ἀδελφιδοῖ, θυγατριδοῖ, υἱδοῖ, tum Isaei locus ille §. 12, quem modo adscripsimus, alterque de Astyph. her. §. 2, ubi Cleonis filius ἀνεψιαδοῦς vocatur Astyphili, quum Cleo et Astyphilus essent ἀνεψιοί, praetereaque Demosth. ctr. Leoch. p. 1088, 17, ubi Aristodemus ἀνεψιαδοῦς dicitur Leocratis, qui per adoptionem

filius fuit Archiadis: Archiades autem frater fuit Miclidis, cujus filia fuit Clitomache, ex qua natus est Aristodemus: unde apparet Clitomachen et Leocratem fuisse *ἀνεψιούς*, Aristodemum autem Leocratis, cujus ἀνεψιαδοῦς dicitur, etiam *ἀνεψιᾶς παῖδα* dici potuisse. Conf. etiam Hesych. tom. I p. 373 et Phrynich. in Bekk. Anecd. I p. 13, 18. Add. Platner. in Annall. Heidelberg. a. 1815 p. 1179. Ceterum in utraque appellatione est saepenumero aliquid ambigui. Nam non ii solum *ἀνεψιαδοῖ* alicujus vocantur, qui patrem habent hujus consobrinum, quo nomine nunc etiam patruelem et amitinum comprehensos volumus; sed etiam quorum patres inter se consobrini sunt, quos quidem sobrinos Latini dicunt, hi inter se et *ἀνεψιαδοῖ**) recte dicentur, et *ἀνεψιῶν παῖδες* vel *ἐξ ἀνεψιῶν γεγονότες*. Sed apparet priores illos quinto, hos autem sexto gradu cognatos esse. — Jam vero in hac appellationum ambiguitate quaeritur, quinam sint illi *ἀνεψιῶν παῖδες*, quos ad successionem legislator postremos ante maternos cognatos vocavit, consobrinorum filii an sobrini, quinto an sexto gradu cognati. Rem ipsam reputanti non poterit quin illa verior videatur sententia: tres enim factas videmus cognatorum classes (*γένη*), ex quibus quum duae priores intra stirpem, fraternam altera, altera sororiam, contineantur una cum parentibus liberos quoque complexae, consentaneum est tertiam quoque unam modo consobrini stirpem, h. e. ipsum consobrinum cum liberis complecti, neque in remotiorem sobrinorum stirpem transsilire. Quodsi Romanorum more gradus propinquitatis computemus, etiam sic parum est probabile tantam fuisse legislatoris inconstantiam, ut cum consobrinorum filiis, qui quinto gradu defunctum contingebant, pariter ad successionem vocaret sobrinos, qui sexto gradu distabant, quum excluderet consobrinorum nepotes, qui ni-

*) Conf. Pollux III, 28. Demosth. in Steph. I p. 1117, 27 §. 54 Bekk.: *ἔστι γὰρ ἡ τούτου μήτηρ καὶ ὁ τῆς ἐμῆς γυναικὸς πατὴρ ἀδελφοί, ὥστε τὴν μὲν γυναῖκα τὴν ἐμὴν ἀνεψιὰν εἶναι τούτῳ, τοὺς δὲ παῖδας τοὺς ἐκείνου καὶ τοὺς ἐμοὺς ἀνεψιαδοῦς.*

lo erant remotiores. Hos autem exclusos esse et legis rba ostendunt et Isaeus ipse confirmat §. 12. Tamen versam de ἀνεψιῶν παισὶν sententiam amplexus est Ganus I p. 376, Isaei auctoritate causaeque quae ab eo naritur eventu permotus. Theopompum enim Hagniae ereditatem et petiisse contra Phylomachen et abstulisse idemus tamquam ἀνεψιοῦ παῖδα, quum tamen Hagniae on consobrini filius esset, sed sobrinus. Ἐγὼ γάρ, init §. 8, καὶ Ἁγνίας, ὦ ἄνδρες, — ἐξ ἀνεψιῶν ἐσμὲν γονότες· καὶ γὰρ οἱ πατέρες ἡμῶν (Polemo et Charidemus) ἦσαν ἀνεψιοὶ ἐκ πατραδέλφων. Haec sane vera sunt: uorum enim patres ἀνεψιοὶ sunt hi vel ἐξ ἀνεψιῶν γεγοότες vel ἀνεψιῶν παῖδες vel ἀνεψιαδοῖ inter se dicendi runt. At vero quod postea Theopompus ait §. 10: εἴπομαι δ' ἐγὼ μόνος τῶν πρὸς πατρὸς, ὢν ἀνεψιοῦ παῖς, ιoc quidem manifesto falsum est et ad decipiendos auditores minus attentos dictum. Nam plures quidem ἀνεψιῶν παῖδες inter se recte dicuntur, si patres eorum nter se sunt ἀνεψιοί: unus autem ἀνεψιοῦ παῖς alterius lici non potest, nisi si patrem habeat hujus ipsius ἀνεψιόν. Fuit autem Theopompi pater non ipsius Hagniae ἀνεψιός, sed Polemonis, Hagniae patris. Mentitum igiur hac quidem in parte Theopompum apparet; atque hoc ipsum mendacium facit aliquid ad legis sententiam aperiendam. Scilicet non ignorabat Theopompus hanc, quum ἀνεψιῶν παῖδας ad successionem vocaret, eos tantum vocare, qui patres haberent defuncti ἀνεψιούς, h. e. quorum unus quisque illius esset ἀνεψιοῦ παῖς, eamque ob causam hac nunc appellatione usus est, perpaucos fore sperans ex auditoribus, qui hoc statim perspicerent, non posse ἀνεψιοῦ παῖδα alterius esse eum, qui se illumque modo ἐξ ἀνεψιῶν γεγονότας h. e. patribus consobrinis prognatos esse dixisset. Tali igitur artificio etiam tum, quum contra Phylomachen ageret, judices decepit, ut sibi hereditatem adjudicarent tamquam uni eorum, quos (ante maternam cognationem) lex ad successionem vocaret. Confirmat nostram legis interpretationem etiam Demosthenis auctoritas, qui ctr. Macart.

pag. 1058, 17 de hoc ipso Theopompo loquens ὁ δὲ Θεόπομπος, inquit, ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου, οὐκ εἶχεν ὄνομα θέσθαι ἑαυτῷ τῶν ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένων οὐδέ. Negat igitur Theopompum ex illis esse ἀνεψιῶν παίδων, qui ad successionem vocentur. Quodsi quis hoc testimonium, ut ab adversario dictum, minus ponderis habere contendat, res ipsa, ut jam supra dixi, ejusmodi est, quae fidem huic testimonio facere debeat, ut, quum alterutrum calumniatum necesse sit, aut Theopompum aut Demosthenis clientem, utrum potius calumniatum esse credamus mihi quidem non dubium videatur. Ceterum similiter de illa lege jam dudum Bunsenius statuit, de jur. her. p. 29. 30. 33., sed aliis usus argumentis iisque parum validis, quae quum ab ejus censore Platnero eversa essent, simul etiam illud corruere visum est, quod illis argumentis fultum erat locusque errori datus, quem nunc quidem satis mihi videor refutasse.

τοῦτο γὰρ ἐγγυτάτω τοῦ τελευτήσαντος γένος ἐστίν. Apparet γένος in his et paullo infra §. 2: τρίτῳ γένει ἀποδῶσι τὴν ἀγχιστείαν, gradum quodammodo cognationis esse (vid. ad or. de Nicostr. her. §. 16.) sed quodammodo, inquam: nam melius classem dixeris: et graduum numerandi ratio, qua nos Romanorum exemplo utimur, aliquantum diversa est ab hac γενῶν computatione.

§. 2. ἐὰν δὲ καὶ τοῦτ᾽ ἐκλείπῃ τὸ γένος, πάλιν ἐπανέρχεται. Ita haud dubie scribendus hic locus deleta praepositione εἰς ante τὸ γένος. Nam reverti εἰς τὸ γένος hereditas nullo modo dici potuit, quippe quae nunquam extra γένος egressa sit: siquidem ἀνεψιαδοῖ quoque v. ἀνεψιῶν παῖδες, de quibus postremo loco dictum est in lege, ἐν τῷ γένει sunt etiam e Bunsenii ratione, quam descriptam exhibet de jur. her. tab. III. Quo minus intelligo quid sibi velit vir doctissimus, quum p. 31 not. 69 hunc ipsum locum tractans „γένος“ inquit „opponitur cognationi, τῇ συγγενείᾳ, solemni usu. Vid. Is. p. 217 (h. e. de Ciron. her. §. 3.) et quae supra allata sunt (p. 6).“

ponuntur sane nonnunquam inter se τὸ γένος et ἡ συγ-
νεια, sed ita, ut illud significet *descendentes* quos di-
mus, hoc autem *collaterales*, neque aliud quid ipse
insenius docuit eo quem citat loco, p. 6. Quid igi-
r, si vulgatam lectionem teneamus, verumne est post
ψιῶν παῖδας ad successionem vocari *descendentes?* Mi-
me quidem; sed vocantur οἱ πρὸς μητρὸς συγγενεῖς, τὸ
ὸς μητρὸς γένος, *collaterales a matre:* neque de aliis
iam de collateralibus tota hac lege agitur. Itaque Bun-
nius quid dicat non intelligo: hoc intelligo, corru-
tam esse loci nostri scripturam, quam si mecum emen-
averis, omnia et plana et vera esse apparet.

§. 3. συντομωτέρως τοῖς ῥήμασιν ἢ ἐγὼ φράζω. Sum-
mam Solonis legum brevitatem fragmenta quotquot su-
persunt fere omnia testantur, inter quae illud etiam de
ognatorum hereditate, quod apud Demosthenem extat
1., cujus ex ipsa brevitate etiam obscuritas quaedam
xistit. Quid? quod obscuritatem Solo in legibus scri-
endis consulto quaesivisse creditus est (Plut. vit. Solon.
, 18), quo judicum has pro arbitrio interpretantium
otestas major esset. — Comparativi illa forma συντο-
ωτέρως utitur etiam Isocrates Panegyr. c. 17: ἔτι δὲ
υντομωτέρως ἔχω δηλῶσαι περὶ αὐτῶν, quamquam ibi Bek-
erus edidit συντομώτερον, quemadmodum in or. de per-
mut., ubi hic ipse locus repetitur, sine varietate scri-
ptum est. Sed aliorum ejusdem formae comparativorum
at multa exempla vid. ap. Elmsleium ad Eurip. He-
raclid. in Addend. p. 138. 139, quibus add. ἀθυμοτέρως
ex Isaeo citatum a Polluce II, 230. πρᾳοτέρως ex eodem
ap. Stobaeum Flor. tom. II p. 306 Gaisf. βεβαιοτέρως in
cod. Paris. de Cleon. her. §. 18. φιλοτιμοτέρως ap. Iso-
crat. Euag. p. 189. φρονιμωτέρως cod. Flor. in ejusd.
or. de permut. p. 96 Orell. ἐνδεεστέρως ap. Thucyd. II,
35. ἀκολαστοτέρως ap. Xen. Memm. II, 1, 1. Conf.
Reisig. ad Soph. Oed. Col. comm. crit. p. 389. Matth.
gr. Gr. I p. 507. Buttmann. gr. max. II p. 269.

ἀλλ' ἔξω τῆς συγγενείας ἐστίν. Ita si scripsit Isaeus,
tacite subintelligendum erit ἐκείνης ἧ ὁ νόμος τὴν κληρο-

νομίαν δίδωσιν. Sed haec ipsa uno nomine ἡ ἀγχιστεία dicitur: quamobrem equidem malim ita legi: οὐδὲ καθ' ἓν τούτων τῶν ὀνομάτων Ἁγνίᾳ προσήκει τῇ συγγενείᾳ, ἀλλ' ἔξω τῆς ἀγχιστείας ἐστίν. Conf. §. 7: τὸν παῖδα — καὶ — πάντας ἔξω τῆς ἀγχιστείας ὄντας. §. 30: ἔξω τῆς ἀγχιστείας ἐφαίνοντ' ἂν ὄντες. Add. §. 9 et 11. De ἔξω pro ἐκτός conf. Lobeck. ad Phryn. p. 128.

§. 4. ἀναβιβασάμενος οὖν αὐτὸν — scil. in hunc suggestum. Vid. de ord. jud. p. 148 sq. Et legem fuisse ut liceret in judicio adversarium interrogari, hic autem utique responderet quae interrogatus esset, docui ibid. p. 717. 718. Porro ὑπαναγινώσκων quomodo accipiendum sit ostendit quae paullo infra sequitur scribae compellatio: σὺ δ' ἀναγίνωσκε. Eodemque modo etiam ἀνέγνων initio orationis accipi debere censeo non de ipsius Theopompi recitatione, sed de recitatione per scribam.

§. 5. εἰ δ' ἦν ἄπαις ἐγὼ τετελευτηκώς. Hanc Bekkeri lectionem recipere non dubitavi, licet de codicum auctoritate non plane constet. Nam in vetere lectione δ' οὖν vix commode explicari posse videtur. Vid. de harum particularum significatione Hoogev. Schütz. p. 184 Devar. p. 115. Reisig. enarr. Oed. Col. p. CLXXV. — Mox προσῆκεν pro προσήκοι reponi postulabat sententiae ratio, neque opponet mihi aliquis ejusmodi exempla, qualia sunt apud Matth. gr. Gr. p. 1017, in quibus protasis εἰ habens cum tempore praeterito ponit aliquid factum esse, quod vere factum sit nec ne, in incerto relinquitur, apodosis autem per optativum cum ἂν particula eloquitur, quid videatur, illo posito, fieri posse. Nostro autem loco et protasis rem proponit, quam non ita esse statim intelligitur, et apodosis certam habet asseverationem: itaque utroque loco necessarius est indicativus.

§. 6. μὴ μόνον τοῦτο ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ διόμνυσθαι — Hic locus quomodo explicandus sit contra Hudtwalckerum de diaet. p. 75 docui de ord. jud. p. 624 sq. Quod sequitur: ἵνα μᾶλλον ἂν ἐπιστεύετο ὑφ' ὑμῶν. non tam hoc significat: *quo magis ei fides a vobis haberetur,*

[uam: *quod si fecisset, magis ei fides haberetur.* Nam να cum indicativis praeteritorum, sed sine ἄν, construi, ιbi res indicatur, quam quis voluit fieri, sed quae facta ιon est propter condicionem, unde suspensa erat, non mpletam, notum est in vulgus et a multis inculcatum. Vid. Herm. ad Viger. p. 850. Matth. gr. Gr. p. 997. Schaefer. App. crit. ad Demosth. I p. 351. Markland. ιd Lys. p. 43. Additur autem ἄν ubi praevalet condi- :ionis notio (*wo — in welchem Falle*), obscurata con- silii ac voluntatis notione. Ita Lucian. Toxar. cap. 18 extr.: καὶ εἴθε γε, ὦ Μνήσιππε, ἀνώμοτος ὢν ταῦτα ἔλε- γες, ἵνα καὶ ἀπιστεῖν ἂν ἐδυνάμην αὐτοῖς. Quamquam ra- riora sunt hujus generis exempla.

§. 8. οὐκ ἐφ' ἡμῖν — τὰ ὄντα κατέλιπεν. Vid. ad or. de Apollod. her. §. 4. Filiae autem adoptatae al- terum exemplum cognoscemus infra §. 41, tertium vidi- mus de Apollod. her. §. 9 ubi cf. not. Sed videtur utique rarius id factum esse, quum adoptiones eam po- tissimum ob causam fierent, ut οἶκος defuncti conser- varetur (de Apollod. her. §. 30), id quod per feminas fieri non poterat nisi ita, ut ex earum prole unus ali- quis defuncto filius institueretur; quamobrem qui filias adoptabant simul hoc quoque in testamento mandasse consentaneum est. Conf. de Pyrrh. her. §. 73. de ord. iud. p. 439. not. 78.

§. 9. ἡ δ' Εὐβουλίδου θυγάτηρ — λαγχάνει —. Scil. per κύριον suum, qui praecipue cogitari debet inter τοὺς συμπράττοντας αὐτῇ. Conf. ad or. de Pyrrh. her. §. 3. — Quod autem addit ἔξω μὲν οὖσα τῆς ἀγχιστείας —, mani- festum est mendacium. Vid. prooem. et conf. Demosth. ctr. Macart. p. 1059 in.: Θεόπομπος δ' — ἐψεύσατο πρὸς τοὺς δικαστὰς ὑπερμέγεθες ψεῦδος περὶ τῆς Φυλομάχης τῆς τοῦ Πολέμωνος ἀδελφῆς τηθίδος δ' Ἁγνίου (h. e. de Phy- lomache I. Eubulidis matre, hujus nostrae Phyloma- chae avia), ὅτι οὐκ εἴη τῷ Πολέμωνι — ὁμοπατρία καὶ ὁμομητρία ἀδελφή. add. p. 1062. Manifestum autem men- dacium dico propter testimonia quae a Demosthene affe- runtur.

§. 10. ἡμεῖς δὲ, ἐγὼ καὶ Στράτιος καὶ Στρατοκλῆς παρεσκευάζοντο. Debebat esse παρεσκευαζόμεθα, neque geminum ejusdem negligentiae exemplum in promptu est. Similem locum Euripidis Bacch. v. 974: ὁ νικήσων δ' ἐγὼ καὶ Βρόμιος ἔσται, contulit cum nostro etiam Bernh. Syntax. p. 424, simulque Aeschin. de fals. leg. p. extr.: τὸ δὲ σῶμα τοὐμὸν παραδίδωσιν ὑμῖν καὶ ἐγὼ ὁ νόμος. (add. alios ap. Matth. pag. 599.) quibus neque numerus verbi neque persona ea est, quae debebat. Et numeri quidem singularis cum plurali numero subjecti aut etiam pluribus subjectis, ejusdem nomen personae, conjuncti multo frequentiora exempla sunt. Cf. de Nicostr. her. §. 24. de Pyrrh. her. §. Add. Dorvill. ad Charit. p. 364. 497. Goeller. ad Dion. de comp. verb. p. 23. Krüger. comm. p. 301. Matth. Gr. p. 605.

λείπομαι δ' ἐγὼ μόνος τῶν πρὸς πατρὸς, ὧν ἀνεψιοῦ παῖς. Quod antehac legebatur τοῦ πρὸς πατρὸς ὢν ἀνεψιοῦ παῖς nemo dubitabit quin corruptum sit. Nam si conjungas τοῦ ἀνεψιοῦ (neque potest aliter), nullum hic apparet articulo definito locum esse: neque enim unus erat ἀνεψιὸς πρὸς πατρός, Theopompi pater, sed praeter hunc etiam Phanostratus et Philagrus, quorum in procemio mentionem feci, porro Euctemo et Callistratus, Eubulidis primi et Habronis filii, (qui apud Demosthenem or. ctr. Macart. nominantur, a me autem, quum nihil ad hanc causam pertineant, omissi sunt,) neque hi ipsi Hagniae sed Polemonis ἀνεψιοὶ erant. — Quod autem Reiskio visum est τετελευτηκότος addendum esse post articulum, ut Hagnias designaretur: multo faciliorem medicinam a me adhibitam esse, et τῶν, in hoc praesertim verborum contextu, facillime cum τοῦ permutari potuisse quilibet intelligit. Quam vere autem Hagniae ἀνεψιοῦ παῖδα se esse dicat exposui ad §. 1.

§. 12. εἰ καὶ τετελευτηκότες ὦσιν ὡς ἐγώ. Haec quoque corrupta esse apparet, neque multum abfuit quin Reiskii emendationem asciscerem εἰ καὶ τετελευτηκὼς ἐγώ, quae mihi quoque ipsi in mentem venerat et

t sua se sponte facile obtulerit. Nam et sententiae ci accommodatissima est, et εἰ apud Atticos etiam in destri oratione cum conjunctivo constructum nonnuntam reperiri nunc quidem haud facile quisquam negarit: nam de poetis constat inter eruditos. Sed de proicis conf. Bekker. Anecd. I p. 144, Hermann. de praept. quib. Attic. p. 13. opuscc. I p. 280. Poppo judic. Thuc. pag. 139. 140. Krüger. comm. pag. 270. 271. pud Isaeum quidem quod olim legebatur de Astyph. er. §. 31 εἰ — ἀποδεικνύῃ a Bekkero mutatum est in dicativum, quem ego quoque non sine codicum auctotate repositum arbitratus retinui; sed apud Demosth. r. Steph. II p. 1132, 13 hodieque legitur εἰ — βουλῃ̃, sine ulla, quod quidem ego sciam, lectionis vaetate.

§. 13. ἡνίκ' ἐγὼ τοῦ κλήρου τὴν δίκην ἐλάγχανον. Degnatur illa contra Eubulidis filiam controversia, de ua dictum est §. 10. Cf. §. 15. 16. 19. Atque contra anc mulierem utique per παρακαταβολὴν contendendum rat, quippe cui jam adjudicata esset hereditas. Vid. . 9 et cf. de ord. jud. p. 618. 619. Huc igitur pertiet illud quod additur μηδὲ παρακαταβάλλειν: quamquam tiam contra ipsum Theopompum paracatabola opus esse otuit Stratoclis filio, siquidem hunc ille prorsus exludendum totamque hereditatem sibi soli adjudicandam ontendebat. Quodsi quis hoc modo peteret, ut adverarium v. competitorem excluderet, hunc oportebat παακαταβάλλειν, adversarium autem ἀντιπαρακαταβάλλειν. Propterea et §. 15 paracatabolam a Stratoclis filio *contra se* nullam datam esse dicit, et §. 27 contra Eubulilis filiam eamque quae simul petebat, Hagniae matrem. Jam vero quod nunc periculum sibi intendi ait περὶ τῶν μεγίστων, meminisse oportet εἰσαγγελίαν contra Theopompum institutam esse, quam liceret accusatori aestimare quanti par esse videretur. Cf. de ord. jud. p. 270. de Pyrrh. her. §. 47.

Ἐπὶ τῷ τοῦ παιδὸς ὀνόματι: pueri nomine praetexto. Id quomodo intelligendum sit docet §. 31: ταύτας τὰς προφά-

σεως ποιούμενος ἐπὶ ταύτας τὰς συκοφαντίας ἐλήλυθεν, ἐξ ἧς γραφὴν γραψάμενος καὶ ἐμὲ διαβάλλων ἐλπίζει χρήματα λήψεσθαι καὶ ἐμὲ τῆς ἐπιτροπῆς ἀπαλλάξειν. et paullo post: ἐκπραξάμενος δ' ἃ βούλεται καὶ τὰ τοῦ παιδὸς ἀδεῶς ἤδη διαφορήσει. Conf. et §. 16 in. De hac autem significatione praepositionis ἐπί cf. Demosth. Leptin. p. 495, 7: ταῦτ' ἐπὶ τῷ τῶν θεῶν ὀνόματι ποιεῖν ζητήσουσι. ad quem locum non grammaticis quidem sed sacerdotibus quaedam adnotavit F. A. Wolfius. Add. Lys. in Andocid. p. 215: ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει, quod nolim equidem cum Sluitero Lectt. Andocc. p. 185 mutare in ἐπὶ τῇ ἐμῇ φάσει. Cf. et or. de Aristarch. her. §. 15.

§. 15. οὐδὲ κατὰ μικρὸν: *ne paullulum quidem*, quae formulae tritissimae significationem qui negare videtur Dorvillius ad Charitonem p. 265 merito reprehenditur a Voemelio ad Demosth. Olynth. II. p. 96. — In proximis περὶ αὐτῶν apparet non cum ἀκούσαντες conjungendum esse, sed cum μαθήσεσθαι, estque hoc ipsum μανθάνειν περί τινος conferendum cum iis loquutionibus quarum aliquot exempla dedimus ad or. de Pyrrhi her. §. 28. Cf. Bekker. in Diurn. Jen. ann. 1810. no. 18 p. 278.

οὔτε δι' ἄλλο οὐδὲν αὐτοῖς ἐνόμιζον προσήκειν τούτων τῶν χρημάτων. „Aut deest h. l. aliquid, aut potius legendum est οὔτε οἱ ἄλλοι οὐδὲν —: *neque ulli alii*. In Latinis tamen meis expressi supplementum hoc sententiae deficientis: οὔτε κατὰ γένος οὔτε κατὰ διαθήκας οὔτε δι' ἄλλο οὐδὲν —." *Reisk.* Corruptum esse locum nemo negaverit: primum enim ipsa illa membrorum oppositio οὔτε οὗτος — ᾠήθη — οὔτε οἱ Στρατίου παῖδες — οὔτε ἐνόμιζον inelegans est et absurda, deberetque potius postremum membrum per οὐδὲ adjunctum esse; deinde hoc quidem οὐδὲ δι' ἄλλο οὐδὲν ἐνόμιζον recte dictum esset, quum in prioribus nulla sit rationis, quae illos a petendo revocaverit, commemoratio. Tamen etiam e Reiskii conjecturis neutra probabilis est: neque enim quinam sint illi οἱ ἄλλοι intelligi potest, neque alterum illud, κατὰ διαθήκας neminem petiisse, ullo modo ad rem pertinet,

quum de *ἀγχιστείᾳ* tantum agatur, h. e. ex eo, quod nemo cognationis jure aut petiverit aut vicerit, Theopompus se hoc jure omnibus potiorem esse demonstret. Itaque mihi scripsisse Isaeus videtur *οὐδὲν δι' ἄλλο ἢ ὅτι οὐδὲν αὐτοῖς ἐνόμιζον προσήκειν τούτων τῶν χρημάτων.*

§. 16. *τῆς τὸ αὐτὸ δικαίως τῷ Στρατίου παιδὶ προσηκούσης.* Aut delendum esse *Στρατίου* aut mutandum in *Στρατοκλέους* manifestum est. Stratii enim non unus fuit filius, sed plures; neque Stratii est sed Stratoclis filius, pro cujus jure Theopompi adversarius propugnat. Ceterum Eubulidis filiam utique meliori jure hereditatem petiisse quam vel Stratoclis filium vel Theopompum ipsum ex iis, quae in prooemio dicta sunt, satis apparet. *Ἦσαν οἷοί τε* i. q. *ἐτόλμησαν*, *animum induxerunt*, *non dubitarunt.* Neque enim assentior Schaefero ad Plutarch. IV p. 324 et App. crit. ad Demosth. V p. 53, encliticam in hac formulae significatione melius abesse statuenti, sed Buttmanni judicium probo ad Demosth. or. in Mid. p. 53, paullo fortius *οἷός τε ἦν* quam *οἷος ἦν* dicentis. Neque ipsum Schaeferum offendit Longi locus lib. IV p. 118 Schaef.: *οἷός τε ἦν ὁ Γνάθων βιάζεσθαι, τὰς χεῖρας προσφέρων.*

§. 17. *τὸ περὶ αὐτῆς γένος* h. e. *τὸ γένος αὐτῆς*: *ejus gradum cognationis.* Conf. ad or. de Cleon. her. §. 36. — Mox in his *ὃ συγγενέστατον μὲν ἦν τῇ φύσει πάντων* poterat sane etiam *ἐστί* dici; sed imperfectum ita saepenumero usurpatur, ubi designamus quae praeterito aliquo tempore hoc vel illo modo se habere reperiebantur, etiamsi vel maxime etiam nunc eodem se modo habeant. Cf. Bernhard. Syntax. p. 375. Hinc frequentissimus ejus usus apud historicos est in regionum descriptionibus, de quo genere vid. Krüger. ad Xenoph. Anab. p. 37.

§. 18. *εἶτα γράψας ἀνεψιοῦ παῖδας εἶναι.* Scribendum censeo *ἀνεψιοῦ παῖδα*: nam de una nunc loquitur Hagniae matre, quae quum esset Stratii soror, filia autem Phanostrati, qui consobrinus s. frater patruelis fuit Polemonis, Hagniae patris, apparet inter se *ἀνεψιῶν παῖδας* fuisse matrem et filium, ac proin illam *ἀνεψιοῦ παῖδα*

dici eodem modo, quo semet ipsum Theopompus ἀν-ψιοῦ παῖδα dixit §. 10. Γράψας pertinet ad libellum petitoris, τὴν ἀντιγραφήν, de quo vid. de ord. jud. 628 sq. Neque illud quemquam offendet, quod post singularem παῖδα pluralis sequitur κἀκείνας: designatur enim universum genus, h. e. omnes eae, quae sunt ἀνεψιῶν παῖδες, quod ubi fit, pluralis numerus post singularem legitime et ex ipsa rei natura infertur. Plat. Phaedr. p. 231. A: ὅτι οὐκ ἐραστὴς ὢν σου τυγχάνω· ὡς ἐκείνοις μὲν (h. e. τοῖς ἐρασταῖς) μεταμέλει κτλ. Lysias in Eratosth. p. 424: μηδενὶ τοῦτο παραστῇ, ὡς Ἐρατοσθένους κατηγορῶ· πυνθάνομαι γὰρ ταῦτα ἀπολογήσασθαι αὐτὸν, ὅτι ἐκείνοις φίλος ἦν, quem locum contra Taylorum ἐκείνοις in ἐκείνῳ mutantem recte tuetur Bremius, praeter Theramenem etiam ceteros, qui eorundem erant partium, intelligendos esse monens. Sobrinae autem ἔξω τῆς ἀγχιστείας fuisse dicuntur propter ea, quod viri aderant ejusdem gradus, quibus illas in capiendis hereditatibus cedere oportebat ex lege modo memorata, quae κελεύει κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας. — De locutione τὴν ψῆφόν τινι φέρειν v. διδόναι cf. Buttmann ad Demosth. Mid. p. 189. de comit. p. 122.

§. 19. ἀντιδικῆσαι τῷ παιδὶ τοῦ ἡμικληρίου πρὸς ὑμᾶς. Apparet τῷ παιδὶ dictum esse pro ὑπὲρ τοῦ παιδός. πρὸς ὑμᾶς autem, *apud vos h. e. in judicio*, quod Reiskius aut in πρὸς ἡμᾶς aut in παρ' ὑμῖν mutandum suspicabatur, defenditur iis quae dicta sunt ad or. de Pyrrhi her. §. 25. De μηδέπω καὶ τήμερον conf. Schaefer. App. crit. ad Demosth. IV. p. 152. V. p. 196.

§. 20. οὐδεμίαν ζημίαν εἶναι νομίζων. Cf. de Apollod. her. §. 23.

§. 21. καδίσκος γὰρ ἔμελλεν ἑκατέρᾳ τεθήσεσθαι. Sed utrique sitella ponenda fuit propterea, quod adversariae inter se erant hereditatemque ita petebant, ut se invicem excluderent; contra Theopompo ejusque fratri Stratocli una ambobus sitella ponenda fuisset, quoniam non adversarii erant inter se, sed suam uterque partem ita petebant, ut neuter alterum excluderet. Cf. de ord.

d. p. 723. Platner. II p. 315. Paullo plura de hac sa lite narrantur a Demosthene ctr. Macart. p. 1052 l., unde discimus contra Phylomachen, Eubulidis fiam, praeter Hagniae matrem, cujus Isaeus mentioem facit, Demosthenes omittit, atque Theopompum ostrum petiisse etiam Glauconem ejusque fratrem Glauum atque alium quendam τῶν ἐπιτηδείων, Eupolemum. Iis omnibus quattuor sitellas positas fuisse dicit p. 1053, 3 uem numerum qui corruptum esse et πέντε pro τεττάων rescribendum crediderunt, Petit. LL. Att. p. 423 et Platner. l. l.; hos ego inconsideratius judicasse censeo. Nempe computarunt hi eos qui a Demosthene nominanur, qui sane sunt quattuor, iisque quintam adnumeraunt Phylomachen adversariam. Verum ita etiam sexta dnumeranda fuisset Hagniae mater, licet hujus Demosthenes, rem brevius perstringens, diserte non memierit; nam hanc quoque eodem judicio contra Phylomachen et ceteros de filii sui hereditate certasse nostra ratio demonstrat. Quid igitur? num forte ἕξ rescriiendum putamus pro τεττάρων? Minime id quidem; sed anum atque incorruptum Demosthenis locum esse conendo. Nam hoc quidem satis perspicuum est, Glauconis et Glauci causam conjunctam fuisse, quum frater terque esset Hagniae uterinus, quamquam utrum hoc n alio quopiam titulo hereditatem petierint, non contat.*) Eupolemum autem sibi ipsi hereditatem petiisse ac non potius illos vel testimonio suo vel oratione adjuvisse, nihil est quod credere suadeat. Itaque duas tantum habemus apud Demosthenem petitiones Phylomachae oppositas, alteram Theopompi, alteram Glauconis et Glauci; tertia fuit Hagniae matris. His igitur si adnumeramus ipsam Phylomachen, apparet quattuor sitellas ponendas fuisse. — Ceterum citat nostrum locum Harpocratio v. καδίσκος.

*) Glauconem etiam ante hanc litem hereditatem ex testamento petiisse, sed victum esse a Phylomache et Isaeus narrat §. 9 et Demosth. p. 1051, 17. Id igitur ad hanc rem, de qua nunc agimus, nihil pertinet.

§. 22. διῄρηται καθ' ἕκαστον περὶ αὐτῶν: *de singulis praeceptum est.* Reiskius, licet vulg lectionem commode servari et explicari posse fate malle se tamen ait διειρῆσθαι, ut quod hac in re tius sit. Et sane confunduntur haud raro inter se duo verba a librariis, cujus confusionis exempla in Anglica Thesauri Stephaniani editione c. 3622. usitatum tamen non minus illud est. Cf. Demosth. Le p. 466, 7. in Aristocr. p. 646, 16 et quem locum skius consignavit in ind. gr. Demosth., pag. 637 Dorvill. ad Chariton. p. 595. Heindorf. ad Plat. Pr p. 314. C. Schweigh. Lex. Herod. I p. 156. De a διειρῆσθαι, cujus activa forma longe rarissima est, F. A. Wolf. ad Demosth. Lept. p. 246.

§. 23. ἀντικρὺς οὑτωσί. H. e. *plane, aperte,* ῥήδην, ut explicat Schaefer. ad Plutarch. IV p. 340. collocatione particularum cf. ad or. de Pyrrh. her. §

§. 26. ἀπέδοτε δ' ὑμεῖς — οἱ δὲ μήτε ἔλαχον — corrigendum hunc locum fuisse neminem fore spero concedat; adeo manifesta est veteris lectionis deprav Primum enim non potest nunc Theopompus post hereditatem sibi adjudicari, quippe quam dudum perit judicum sententia, quemadmodum ipse profi §. 14: ἃ δ' ὑμεῖς ἐμὰ εἶναι ἐψηφίσασθε. §. 19: ἐγ ἐγὼ τὸν κλῆρον ἐπιδικασάμενος παρ' ὑμῖν. §. 35: ἃ ἐγ κρατήσας ἐγὼ τοὺς ἔχοντας οὕτω παρ' ὑμῶν ἔλαβον. vero ἀπόδοτε minus accurate dictum putemus pro ἐψ ώσατε? At non hoc nunc agitur, ut hereditas alter adjudicetur, sed ut poenas det Theopompus propter pilli κάκωσιν. Jam vero ne ipsa quidem haec memb rum oppositio scriptore vel mediocri digna fuit: ἃ κοινώσασθαι ἐνῆν — ἀπόδοτε —, εἰ δὲ μὴ ἔλαχον — χρὴ πιστοὺς εἶναι νομίζειν τοὺς τούτων λόγους; Nempe eodem redeunt: confirmabitur Theopompo hereditas fidem judices adversariis non habuerint; non confirm bitur, si habuerint. Haec ita inter se conjuncta s ut opponi nullo modo possint. — Sed praeterea eti articulus ante αὐτῶν meo quidem judicio melius abesset

rum omnis hujus loci conformatio simillima est ei, egitur §. 19. De plurali autem [τῶν] αὐτῶν, quum ime praecedat singularis τὸν κλῆρον, vid. ad or. de tarch. her. §. 16.

§. 27. Quod contendebat Theopompi adversarius, posse pro pupillis privatas lites tutoribus intendi, equidem verum crediderim. Nam vel propter id m, quod cognatis fere tutelae demandabantur, fieri enumero poterat, ut de ipso cognationis jure, veluti hereditate capienda, controversia existeret. Quod m Platnerus ait II p. 288, si quando pro pupillo ra tutorem agendum esset, alium illi in hanc ipsam tutorem constituendum fuisse, ne id quidem opus se credo, ubi plures essent tutores, quorum unus illi causam contra alterum agere posset. Cf. de ord. p. 456. — Paullo ante παρακαταβάλλειν αὐτοῖς signi- t petitionem contra Phylomachen et Hagniae matrem; quis tamen αὐταῖς rescribendum putet: intelliguntur m simul etiam mulierum illarum κύριοι ac patroni, it etiam supra μὴ λαχεῖν πρὸς ἐκείνους, et §. 28: ἐκεί- τοῦ κλήρου οὐκ ἐλάγχανον.

§. 28. οὐδ᾽ ὁτιοῦν αὐτοῖς τούτων τῶν χρημάτων προσ- ν. Verius dixisset αὐτῷ h. e. τῷ παιδί: neque tamen mquam offendat communicata pupilli causa cum ejus ore ac defensore.

§. 29. εὖ δ᾽ οἶδ᾽ ὅτι οὐδ᾽ εἰ συνεχώρουν —. Hanc tionem ex Aldina οὐ δεῖ a Scaligero et Reiskio cer- ima emendatione restitutam servare melius duxi, am cum Bekkero οὐδ᾽ delere, etiamsi codicum aucto- atem sequutus sit, qua de re propter viri doctissimi rsimoniam verborum non satis liquido constat. Multo im majore cum vi οὐδὲ in initio enuntiationis collo- tum est, repetita post interpositum membrum nega- ne; neque talia librariis deberi solent. Cf. Aristoph. sistr. v. 61:

> οὐδ᾽ ἃς προσεδόκων κἀλογιζόμην ἐγὼ
> πρώτας παρέσεσθαι δεῦρο τὰς Ἀχαρνέων
> γυναῖκας οὐχ ἥκουσιν.

Lucian. Somn. c. 17: οὐδὲ γὰρ ὁ Ξενοφῶν ποτε διηγούμενος τὸ ἐνύπνιον, ὡς ἐδόκει αὐτῷ ἐν τῇ πατρῴᾳ οἰκίᾳ καὶ τὰ ἄλλα (ἴστε γάρ), οὐχ ὑπόκρισιν τὴν ὄψιν οὐδ' ἐς φλυαρεῖν ἐγνωκὼς αὐτὰ διεξῄει. Simon. Socrat. de lucr. cup. p. 39 Boeckh.: πότερον οὐκ ἐὰν κακὸν ἢ οὐδ' ὁ ἀγαθὸν ὁτιοῦν κτήσηται, οὐ κέρδος κτήσεται. Demosth. de Rhod. lib. p. 196, 20: οὐδ' εἰ δίκαιά τις ἂν φαίη Ῥοδίους πεπονθέναι, οὐκ ἐπιτήδειος ὁ χρόνος ἐφησθῆναι ubi item οὐδ' a nonnullis codicibus omissum delevit Bekkerus. Id. in Mid. p. 532, 25: τὸν δὲ χορηγὸν αὐτὸν οὐ ὁ συγκόψας παρὰ πάντας τοὺς νόμους οὐ δώσει δίκην. H quoque οὐ omisit Bekk. In Timocr. p. 746, 22: οὐ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων — οὐ πείσομαι Ib. p. 767, 7: οὐδ' ἂν εἰ δὶς τόσα γένοιθ' ὅσα νῦν ἐστὶ οὐδ' ὁτιοῦν ἂν ὄφελος εἴη. Cf. Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 153. Matthiae. gr. Gr. p. 1227.

§. 30. ὁ Γλαύκων ὁ τοῦ Ἁγνίου ἀδελφός. Cf. ad or. de Astyph. her. §. 19. Mirum autem quod Glaucum omisit, Glauconis fratrem, quum praesertim hunc ipsum in petenda Hagniae hereditate Phylomachae adversarium fuisse e Demosthene discamus. An forte is interea mortuus erat?

προσῆκον καὶ αὐτῇ τῆς ἀγχιστείας τοῦ αὐτῆς ... Scilicet non tamquam matri sed tamquam sobrinae. Vi prooem.

§. 31. γραφὴν γραψάμενος. Notavit jam Harpocratio in εἰσαγγελία hanc ipsam orationem citans γραφῆς nomine etiam εἰσαγγελίαν designari. Cf. §. 32 et 35. in Theocrin. p. 1332, 12. Quod sequitur οὐδὲν ἀπὸ τῶν αὐτοῦ explicat idem Harpocratio: αὗται δὲ (sc. τῆς κακώσεως εἰσαγγελίαι) τῷ διώκοντι ἀζήμιοι κἂν μὴ καλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων. Cf. or. de Pyrrh. her. §. 47.

§. 32. ἁπλᾶ γὰρ τὰ δίκαια. Similiter Lycurgus Leocr. c. 10: ἁπλοῦν τὸ δίκαιον, ῥᾴδιον τὸ ἀληθές, βραχὺς ὁ ἔλεγχος. ad quem locum alia quaedam in eandem sententiam dicta citantur a Blumio p. 84.

§. 34. μήτε πρὸς ἐμὲ μήτε κατ' ἐμοῦ. Prius illud

rtinet ad λαχέτω πρὸς τὸν ἄρχοντα: nam ejusmodi λήξεις ήρων erant πρὸς τὸν ἀντίδικον: alterum autem κατ' οῦ ad δικασάσθω, h. e. ad litem propter non servam promissi fidem, qualis actio aut βλάβης erat aut νθηκῶν παραβάσεως. De discrimine autem actionum ὸς τινα et κατά τινος vid. de ord. jud. p. 167. Quamam non plane Meiero meo assentior; sed haec accutius persequi longum est.

ἀπογραψάτω πρὸς τὸν ἄρχοντα κτλ. H. e. *indicem norum, quae pupilli esse contendit, conficiat tradatque chonti, petatque ab hoc, ut bona illa elocentur.* Ἀποάφεσθαι de iis quae in indicem referuntur, habemus iam infra §. 43: μικροῦ δεούσας χιλίας δραχμὰς μαρτύων ἐναντίον ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῦ παιδὸς ἀπεγράψατο. Demosth. in Aphob. I p. 817, 28: ἀπεγράψατο ταῦτα πρὸς ηριππίδην, ἔχοντα ἑαυτόν. Inde etiam ἀπογραφὴ pro ἀπόασει, de indice bonorum in permutatione trierarchica lversario tradendo, ap. Demosth. adv. Phaenipp. p. 143, 28. cf. Harpocrat. in ἀπόφασις; item de indice onorum publicatorum vel publicandorum. Cf. de ord. d. p. 254. — De elocatione bonorum pupilli vid. quae tavi ad or. de Philoct. her. §. 36.

§. 35. περὶ τοῦ σώματος. Cf. ad or. de Pyrrh. er. §. 62.

§. 36. τοὺς νόμους παράγων. Rarior loquutio pro ιαστρέφων, quod legimus §. 4. Nam alias παράγειν de ominibus potius dici solet in fraudem inductis, ut de liron. her. §. 37. Demosth. in Steph. II p. 1129, 2, nde παραγωγή i. q. ἀπάτη. Demosth. in Boeot. de dot. . 1014, 28. Hess. ad Plutarch. Timol. p. 46. Wolf. d Demosth. Lept. pag. 355. Cum nostro autem loco omparari potest Demosth. in Onetor. II p. 871, 6: λόγος αῦτα καὶ παραγωγὴ τοῦ πράγματός ἐστι. quod vereor ut ecte Bremius intellexerit, quum παραχωγὴν τοῦ πράγματος oppositam λόγῳ statuit, rei fallaciam verborum offuiis. Mihi potius eadem adversarii oratio et λόγος et ταραγωγὴ τοῦ πράγματος dici videtur, quippe quae per-

vertat et obscuret rei veritatem, παράγει τὸ πρᾶγμα sicut nostro loco adversarius παράγει τοὺς νόμους.

§. 38. ἂν ἄποροι παρ' ὑμῖν εἶναι δόξωσιν. Rei suspicionem, παρ' ἐμὲ ὑμῖν scribendum esse, satis r arguent quae contuli ad or. de Apoll. her. §. 5. terum illud ipsum παρ' ἐμὲ non foret per me v. pr me, quemadmodum Reiskius vertit, sed prae me h si mecum compararentur. Causalem praepositionis notio qui qualis sit satis perspexerit, eam hoc loco non aptam intelliget, Vid. Buttm. ad Demosth. Mid. p. 1 Et Wolfius adeo ad Demosth. Lept. p. 361 non im rito παρὰ particulae, inquit, in Atticis nunquam pria notio est propter. Conf. Orell. ad Aeschin. Br tom. II pag. XXIII. — Paullo ante φθόνος παρ' comparari potest cum εὔνοια παρ' ὑμῶν ap. Demosth cor. p. 226, 16. ἡ παρὰ τῶν θεῶν εὔνοια ap. Lycurg Leocr. p. 194. [cf. supra p. 193. et Pl. Phaedr. p. A.] item οἶκτος ἀπ' αὐτῶν ap. Thuc. VII, 70. πρ μία ἀπὸ τῶν ναυτῶν ib. aliisque apud Schaeferum Soph. Antig. 1123. et Bernhard. Syntax. p. 256.

§. 40. ὥστε εἶναι μὲν οὐχ ἱκανὰ, λειτουργεῖν δὲ ἄξια. Turbatum hic esse a librariis patet. Quae ei οὐχ ἱκανὰ erant, ea multo minus muneribus praesta sufficere potuisse quilibet intelligit; quamobrem alter alteri opponi ab oratore non potuit. Neque vero diver negationes οὐχ ἱκανὰ et μὴ ἄξια ulla ratione defendi p sunt, quum utrumque membrum ab illo τοσαῦτα ὥστε — eodem plane modo pendeat. Requiritur au hoc loco οὐ non μή, quandoquidem non de consilio voluntate, sed de eo quod reapse ita se habuit expo tur. Quid intersit enim inter ὥστε οὐ et ὥστε μή, opti docuit Engelhardt. ad Platonis Euthyphr. p. 135 usus exemplis: Apolog. §. 14: οὕτω καταφρονεῖς τῶν καὶ οἴει αὐτοὺς ἀπείρους εἶναι, ὥστε οὐκ εἰδέναι. Xenoph Cyrop. I, 4, 5: ταχὺ τὰ θηρία ἀνηλώκει, ὥστε ὁ Ἀστυ γης οὐκέτ' εἶχεν αὐτῷ συλλέγειν θηρία. Hellen. IV, 6, πράγματα παρεῖχον, ὥστε οὐκέτι ἐδύνατο τὸ στράτευ στρατεύεσθαι. (Anab. III, 4, 37: γίγνεται τοσοῦτον

ὐ τῶν στρατευμάτων, ὥστε τῇ ὑστεραίᾳ οὐκ ἐφάνησαν τολέμιοι.) Contra Cyrop. III, 4, 13: ὑπέμενον ὥστε-, ὥστε μὴ ἐνοχλεῖν τοῖς κέρασιν. Anab. III, 5, 6: ὥστε μὴ ὀλισθάνειν ἡ ὕλη καὶ ἡ γῆ σχήσει. VII, 8, 12: ὁ ›οφῶν ἐξάγει νύκτωρ πᾶν τὸ στράτευμα ὅπως ὅτι μακρο-:ην ἔλθοι τῆς Λυδίας, ὥστε μὴ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι φο-σθαι. Alia autem neque tamen diversa ratio est eo-n locorum, ubi ὥστε μή pendet ex enuntiato hypo-›tico: quippe ibi quoque non quidem consilium, sed nen cogitatio tantum rei, non res ipsa vere facta signatur, ut Plat. Apolog. §. 27: εἰ οὕτως ἀλόγιστός ι ὥστε μὴ δύνασθαι λογίζεσθαι. ib. §. 32: εἴ τινα ἐκ-;άμενον δέοι ταύτην τὴν νύκτα ἐν ᾗ οὕτω κατέδαρθεν ὥστε δ' ὄναρ ἰδεῖν. Cf. Engelhardt. p. 219. — Rescriben-m igitur nostro loco: ὥστε εἶναι μὲν ἱκανά, λειτουργεῖν οὐκ ἄξια. Et delendam ante ἱκανά negationem intel-kit etiam Reiskius; sed alteram quoque proposuit emen-tionem hanc: ὥστε εἶναι μὲν οὐ λειτουργοῦσιν (debebat, ›inor, μὴ λειτουργοῦσιν: si cui munera non essent prae-*nda.*) ἱκανά, λειτουργεῖν δὲ μὴ ἄξια, contra quam dis-tare nihil attinet. Causam autem corruptelae hanc isse existimo, quod quum μὴ ἄξια scriptum esset, ad-ripserit aliquis margini pro varia lectione οὐκ, idque inde alieno loco insertum sit. Permutatae autem a ›rariis utriusque negationis exempla vidimus in varr. ctt. ad or. de Dicaeog. her. §. 14. de Philoct. her. . 2. de Apoll. her. §. 28. de Astyph. her. §. 7.

εἴκοσι μνᾶς ἑκάτερος ἡμῶν — προῖκα ἔλαβε. Cf. Boeckh. › oecon. rei p. Ath. II p. 49.

§. 41. ἐφ' οὗ ἐφυλάρχησε. „Φύλαρχός ἐστιν ὁ κατὰ υλὴν ἑκάστην τοῦ ἱππικοῦ ἄρχων, ὑποτεταγμένος τῷ ἱπ-άρχῳ, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησί.“ *Harpocr.* Sed res vulgo notissima.

§. 42. ἧς κύριος ἐκεῖνος γενόμενος. H. e. Stratocles, t filiae suae tutor. — Stratoclis igitur facultates, quum uas a patre acceperat tum quas ipse ex administratione ›rum bonorum, quae filiae a Theophrone relicta erant, cquisiverat, summam effecisse dicuntur quinque talen-

torum ac ter mille drachmarum. Harum quae singu-
tim enumerantur partes hae sunt:

1) Ager Thriensis duorum talentorum ac dimidii pretio (de πένθ' ἡμιτάλαντα cf. Taylor. ad or. in Theocrin. p. 1333, 11.)			2 Tal. 30[illegible]
2) Domus Melitensis	3000 Dr.	h. e.	30
3) Domus Eleusinia	500 Dr.	h. e.	5
4) Credita	4000 Dr.	h. e.	40
5) Suppellex, pecora, hordeum, vinum, fructus	4900 Dr.	h. e.	49
6) Pecunia condita	900 Dr.	h. e.	9
7) Ὀφλήματα ἐξ ἐράνων	1000 Dr.	h. e.	10
Horum summa est			4 Tal. 53[illegible]

Itaque quum universa omnium facultatum sum-
fuisse dicatur quinque talentorum ac ter mille drach-
rum, omissas esse in illa enumeratione apparet dra-
mas ter mille septingentas s. minas triginta sept-
Atque haec sunt τὰ ἄλλα, ἃ κατελείφθη μὲν οὗτοι δ'
ἀποφαίνουσιν, ut ait §. 43, de quibus se posthac dic-
rum promittit §. 44. Sed haec pars interiit in lac-
aut §. 47 aut in extrema oratione. — Jam de sing-
videndum est. Ac primum quidem Thriam, unde
verbium derivatur Θριᾶσι, demum fuisse tribus Oe-
dis satis vulgo notum. Melite et urbis regio fuit
demus extra urbem, tribus Cecropidis; regionum
tem illarum demorumque cognominum, Melites, Colo-
Collyti, Ceramici, quae ratio fuerit optime nuper d-
cuit sagacissimus Muellerus in additam. ad Leakii topo-
Ath. p. 461 sq. conversionis germ., quam Rienaeck-
eruditae industriae debemus. De pensionibus autem a-
et aedium satis est laudare quae Boeckhius exposuit
oecon. rei p. Ath. I p. 156. Creditorum usurae ἀ-
ἐννέα ὀβολοῖς effecisse dicuntur annuas septingentas
viginti drachmas; scilicet designantur menstruae usu-
novenorum in singulas minas obolorum (vid. Boeckh
l. l. p. 143.) h. e. ex nostra ratione annua dena octo-

centenis, quae efficiunt in drachmas quater mille -as septingenas vicenas. Ἔργον de foenore satis usi-m est, unde et ἔνεργα χρήματα et ἀργά dicuntur.

§. 43. ἐξ ἐράνων ὀφλήματα εἰσπεπραγμένα. H. e. a Stratocle pro ἐράνῳ collata fuerant ad amicorum -ssitates sublevandas, post ab his, quibus collata -ant, repensa, nondum tamen, ut videtur, singulis -atoribus retributa. Nam si essent jam retributa, -ia nulla fuit, quo minus hae quoque mille drachmae cum reliqua pecunia, quae ἔνδον fuit, commemo-ntur. Ceterum de ἐράνῳ atque ὀφλήμασιν ἐξ ἐράνων . de ord. jud. p. 540 sqq. et qui ibi citantur.

§. 44. ἡ οὐσία καὶ πλείω ταύτης ἐστίν. Contra Rei-am, πλείων potius scribendum fuisse judicantem, conf. -nhard. Syntax. p. 335. — Quae sequitur Theopompi -iorum enumeratio, nunc quidem restituta ex opti-s codicibus vera lectione, adeo plana ac facilis est, interpretem nemo requirat. Vetus lectio quomodo -endanda visa sit Boeckhio, vid. in oecon. rei p. Ath. p. 9. Jonesius pro τετρακισχίλιαι reponendum conji-bat πεντακισχίλιαι.

§. 45. τοῦ υἱέος τοῦ ἐκποιηθέντος. Vid. §. 49. εἰς -ῦτα non cum ἐκποιηθέντος sed cum ἐγκαταλογίζομαι con-ngendum esse vix opus est monere. Ἐφ' ᾗ pro ἐφ' rescribi flagitabat constans usus loquendi.

§. 46. κελεύει δ' ὁ νόμος κτλ. Vid. ad or. de Dicaeog. -er. §. 14.

§. 47. Excidisse aliquot versus post μηδεμίαν γενέ-θαι quilibet intelligit. Reiskius locum in hunc fere -modum restituendum esse suspicabatur: ὥστε μηδεμίαν -ενέσθαι πρὸς τὴν τοῦ Στρατοκλέους παιδός: *ut mea sub-stantia nulla (pro nulla habenda) sit, si cum substantia comparetur ea, quam Stratoclis filius a patre accepit.* Sed -ebebat haud dubie ὥστε μηδεμίαν γενέσθαι τὴν ἐμὴν κτλ.; -ec plane verum est, tam exigua fuisse Theopompi -ona, ut prae pupilli facultatibus pro nihilo habenda -ssent. Videntur utique paullo plura excidisse. Quod -utem Reiskius etiam οὖν inserendum statuit post οὐκ

ἄξιον, de hoc propter lacunam incertum est judici illud vero non concedendum, ut pro τούτοις τοῖς λό rescribatur τοῖς τούτου λόγοις, id quod Reiskius fac dum putavit, scilicet ut ὅς pronomen haberet quo re retur. Recte enim hoc ad adversarium refertur, etia is non in proximo orationis membro, sed paullo a commemoratus erat. Vid. ad or. de Pyrrh. her. §.

§. 48. εἰς Κρήτην ἐξέπλευσε —. Videtur illo temp bellum fuisse inter Cretenses et Lacedaemonios, çartatus autem illis se adjunxisse ἐπὶ λείαν οἰχησόμε ut belli opportunitate uteretur ad praedas facien quae res utique Atheniensibus videri potuit bellum cedaemoniorum adversus se conflatura. Quamquam obscuritate omnis illorum temporum memoriae praest ejusmodi conjecturam nemo potest. Moris autem fu ut, si quae civitates bellum inter se gererent, ed hoc edicerent: εἴ τις βούλεται παρὰ σφῶν τοὺς πολεμ λῄζεσθαι (Thuc. V, 115), quod vocatur σῦλα διδ (Boeckh. de oecon. rei p. Ath. II p. 128), nemini h ignotum esse arbitror. Conf. Wachsmuth. de jure g tium ap. Gr. p. 84.

§. 49. οὐχ ἵνα μὴ λειτουργοίην εἰ προσγένοιτό μοι τ τὸ χωρίον. Objectum scilicet erat Theopompo ab adv sario, aut videbatur fortasse objici posse, eum prop ea filium suum Macartato instituisse (εἰσποιῆσαι), si suis ipse facultatibus illum agrum adjunxisset, neribus propterea fungi cogeretur. Quippe εἰσποίη illam hoc effecisse, ut ager ille non jam Theopo esset, sed Macartati filii adoptivi, ideoque nullum i augmentum illius bonis accresceret, propter quod lit giarum obeundarum necessitas ei imponeretur. Huic i tur objectioni ita occurrit: *non propterea*, inquit, *lium Macartato institui, ne, si meus iste ager fieret h. si filium Macartato non instituerem, liturgias propte obirem; quandoquidem hae mihi vel sic obeundae era etiamsi Macartato filium instituerem, h. e. agro ipse stinerem.* Apparet igitur et inserendum fuisse μὴ a λειτουργοίην, id quod Bekkerus quoque suasit, et dele

m ante *εἰσποιήσαντος*. Ita demum etiam reliqua ratio-
ιatio recte procedit: *οὐδὲ γὰρ ἐλειτούργουν διὰ τοῦτό
ἧττον οὐδέν: nihilo enim minus propterea* (scil. *quod fi-
m Macartato institueram*) *liturgiae mihi obeundae erant*,
ilicet cujus facultates etiam sine isto agro tantae essent,
liturgiarum immunitatem non haberem. Erant enim,
supra vidimus §. 44 sq. tria talenta: nam quae ibi
ditae sunt ter mille drachmae, sunt hae istius agri
etium: tantum autem qui possiderent, non immunes
isse satis constat. Conf. Boeckh. I p. 485.

§. 50. Tam abruptus est orationis exitus, ut facile
edas perorationem interiisse. Quamquam pro certo id
uidem non affirmaverim: neque minus abruptus est
:itus orationum de Dicaeogenis et de Pyrrhi hereditate.

IN FRAGMENTUM

ORATIONIS PRO EUPHILETO.

Servavit hoc fragmentum Dionysius Halicarnessensis jud. de Isaeo, Opp. tom. V p. 618 Reisk. O. G. tom. VII p. 353. Idem etiam de causa Euphileti exposuit quae hypotheseos loco a me adscripta sunt, quibus perpauca tantum addenda videntur. Nam de illis pagorum διαψηφίσεσιν eorumque qui ejecti essent provocatione ad judices et de poena servitutis quam subibant qui judicum quoque sententiis condemnati essent satis multa et a me dicta sunt de comitt. Ath. p. 380 et a Meiero de bon. damn. p. 78 sqq. Add. Platner. Symb. ad I. A. p. 195, quem quidem de illa civium recognitione, quae facta est Olymp. LXXXIII, 4, praetore Lysimachide, rectius judicare arbitror quam Meierum. Nam legem de talibus διαψηφίσεσιν quum opus esset instituendis omnique rei peragendae modo primus tulisse videtur Demophilus Olymp. XC, 2, Archia praetore, eamque ipsam designari credo a Dionysio. Ceterum quod hic dicit ἐγράφη τις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων νόμος ut improprie dictum merito Reiskium offendit: nam γράφειν νόμον legislatoris tantum est; populus νόμον τίθεται. Propterea scribendum Reiskius judicat ὑπό του τῶν Ἀθηναίων: ego ab ipso potius Dionysio quam a librario peccatum esse crediderim. Nec paullo infra assentior Reiskio scribendum esse aut τὸν ἀγῶνα τόνδε οὕτω διατίθεται aut τ. ἀ. τῇδε διατ. — Causa autem in qua versatur haec oratio est hujusmodi. Ejectus erat in διαψηφίσει ab Erchiensibus, qui pagus

t Aegeidis, Euphiletus quidam Hegesippi filius. Is ıum injuriam sibi factam esse contenderet in jus vovit pagi praefectum s. demarchum, cujus officium erat ganorum causas in judicio agere.*) Ac primum quim apud diaetetas s. arbitros publicos disceptatum est, ıi quum pro Euphileto pronuntiassent provocarunt adrsarii ad Heliasticum judicium. Apud Heliastas paono (συνηγόρῳ) usus est Euphiletus fratre ὁμοπατρίῳ, qui hanc orationem habuit.

Sed de priori ista disceptatione apud diaetetas paullo ccuratius disputandum videtur. Primum enim mirati ımus ego de ord. jud. p. 770 et Meierus de bon. damn. . 92 hujusmodi causas, quas pro publicis utique habenas esse opinaremur, etiam apud diaetetas agi potuisse, uos de privatis tantum judicasse constat. Vid. Hudtralck. de Diaet. pag. 34. Atqui publicis adnumeranas esse has τῶν ἀποψηφισθέντων causas nos ipsi temere umpsimus: Atheniensibus privatae potius visae sunt, et ecte quidem, ut arbitror. Nam ipsi qui ejecti essent a jus vocabant paganos, a quibus sibi injuriam factam sse contenderent, eaque injuria privata haud dubie erat ıeque ad rem publicam pertinebat. Quamquam a ceteis causis privatis haec eo differebat, quod, qui injuria item paganis intendisse videretur, poena afficiebatur apitali, pagani contra, si condemnati essent, nihil nisi ecipere cogebantur eum, quem injuria ejecissent: dein hoc habuit peculiare, quod non is, qui litem intenderat, sed adversarius ejus, demarchus, priore loco verba fecit. Atque hoc ipsum prorsus necessarium fuit et rei naturae accommodatum: nam si ille alter priore loco, post eum adversarius dixisset, eventurum erat, quod omnium iniquissimum esse Cicero conqueritur, ut confutandae illi essent adversarii criminationes ante quam argumenta ejus cognosset, huic autem illud tempus impugnandi daretur, quum vitandi ejus impetus potestas

*) Cf. de ord. jud. p. 568. Add. tamen Meier. de bon. damn. p. 92.

adempta alteri esset. *) — Jam vero hanc Euphileti causam, ante quam Heliastis traderetur, non semel sed bis apud diaetetas tractatam, bis dijudicatam esse apparet e §. 11. Nam orator, postquam dixit: *καί μοι λέγε τῆς προτέρας διαίτης τὴν μαρτυρίαν.* statim post recitatum testimonium subjungit: *ὡς μὲν τοίνυν καὶ τότε* (h. e. *καὶ τὸ πρότερον*) *ὦφλον τὴν δίαιταν, ἀκηκόατε.* Quod si quis quaerat quomodo fieri potuerit ut causa semel judicata iterum apud diaetetam ageretur, nihil est quod responderi possit, nisi factum hoc esse per *ἀντίληξιν τῆς μὴ οὔσης* h. e. per restitutionem illam, quam eremodicii restaurationem vocare solent, **) de qua vid. Jul. Pollux VIII, 60: *ἡ δὲ μὴ οὖσα δίκη οὕτως ὠνομάζετο· ὁπότε τις παρὰ διαιτηταῖς παραγραψάμενος καὶ ὑπομοσάμενος νόσον ἢ ἀποδημίαν εἰς τὴν κυρίαν μὴ ὀφθεὶς ἢ μὴ ἀπαντήσας ἐρήμην ὄφλῃ, ἐξῆν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὴν μὴ οὖσαν ἀντιγράφειν* (mel. *ἀντιλαχεῖν*) *καὶ ἡ ἐρήμη ἐλύετο ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐλθεῖν ἐπὶ διαιτητήν.* (Conf. de h. l. quae dicta sunt de ord. jud. p. 697 sq. et p. 755 sqq.) Ac veri simillimum est in priore diaeta absolutum esse Euphiletum absente, propter morbum fortasse, adversario, qui quidem paullo post etiam mortuus esse dicitur §. 11. Dein ab Erchiensibus per novum fortasse demarchum restitutione impetrata res iterum in judicium deducta est. — Apparet autem ex his quomodo accipienda sint quae §. 11 leguntur: *κατεδιῄτησαν αὐτῶν ἀμφότεροι.* Scilicet uterque diaeteta contra Erchienses pronuntiasse dicitur, et qui priorem diaetam et qui posteriorem exercuit. Neque igitur recte ex his verbis Hudtwalckerus conjecit, binos fuisse in utraque diaeta: singulos fuisse docent quae paullo ante dicta sunt §. 9: *ἡ τοῦ Εὐφιλήτου μήτηρ — ὅρκον ὀμόσαι ἐπὶ τοῦ διαιτητοῦ* (non *ἐπὶ τῶν διαιτητῶν*) *ἐβούλετο.* Sed restat alia difficultas in his §. 11: *οὗτοι δὲ, ἐπειδὴ ἔλαχεν ὁ Εὐφίλητος τὴν δίκην τὴν προτέραν τῷ κοινῷ τῶν δημοτῶν καὶ τῷ τότε δημαρχοῦντι, ὃς νῦν τετε-*

---

*) Cic. pro Quinctio c. 2.

**) Cf. Hudtwalcker. de Diaet. p. 100.

εὔτηκε, δύο ἔτη τοῦ διαιτητοῦ τὴν δίαιταν ἔχοντος οὐκ δυνήθησαν οὐδεμίαν μαρτυρίαν εὑρεῖν κτλ. Putabimusne riorem illam diaetam per biennium tractam esse apud num diaetetam, an de duabus diaetis hoc accipiamus? Priori sententiae obstat quod diaetetarum munus annuum uit (vid. Hudtwalck. p. 5. 6.), posteriori, quod duas stas diaetas non ab uno diaeteta actas esse apparet. taque Hudtwalckerus p. 7 corrigendum putat τῶν διαιτητῶν τὴν δίαιταν ἐχόντων: mihi tamen recepta lectio ervari posse videtur, si quidem concedatur fieri potuisse it idem ille diaeteta, qui causam cognoscere coepisset, unum dijudicare intra annum non potuisset, propter id psum etiam in proximum annum extra ordinem reficeetur. Ita haec erit illius loci sententia: Nullum testinonium adversarii invenire potuerunt, licet ab instituta ib. Euphileto lite per biennium causa apud (priorem) liaetetam acta sit: eaque ipsa res, quod tam longo temore nullus testis produci potuit, utrumque, et priorem it posteriorem diaetetam permovit, ut pro Euphileto ententiam pronuntiarent.

---

§. 1. τίνος εἵνεκεν —. Vix credo ita ab Isaeo scriptum esse, qui alias semper ἕνεκα habeat: nolui tamen nutare propter Thomae Magistri auctoritatem, cui F. A. Wolfius quoque obsequutus mutatione abstinuit Demosth. Lept. p. 338 et Spalding. Midian. p. 88; quamquam ab aliis talia etiam contra omnium codicum consensum mutata esse memini. Confidentius οὕνεκα ubicunque pro ἕνεκα scriptum est ab oratoribus pariter ac poetis arcendum esse suaserim, velut Demosth. de cor. p. 322, 12. Lys. de olea p. 291. in Euandr. p. 791, Ahlwardti rationibus permotus, quas nemodum refutasse videtur. Nam quod Schaeferus App. crit. II p. 364 Hesychium opponit, apud quem tom. II p. 816 legitur οὕνεκα. χάριν, depravatam esse lectionem demonstrat codicis scriptura apud Schowium p. 602: οὕνεκα. οὐχάριν quod apparet esse οὐ χάριν; idque Schaeferum

fugisse miror, quum Ahlwardtus ipse moneat Symb. ad Schneideri Lex. Gr. p. 13 sq.

εἰσποιοῖτο. H. e. εἰσποιεῖσθαι ζητοίη, id quod fe quidem jam dudum, sed nunc quoque quum maxi facit, dum Euphiletum filium suum esse pertendit. In que noli Bodl. scripturam εἰσποιοῖτο hic et infra §. extr. potiorem judicare. Conf. et §. 6.

§. 2. ὅπως ὠφελῶνταί τι ἀπ᾽ αὐτῶν: ut aliquid e iis emolumenti capiant. Poterat etiam ὑπ᾽ αὐτῶν: ut iis juventur, sustententur, quemadmodum ap. Xenop Memm. II, 9, 8: ὑπὸ Κρίτωνος ὠφελούμενος. Hieron. 10, 4: καὶ τοῦτ᾽ ἂν εἴδεἰεν ὑπ᾽ αὐτῶν ὠφελούμενοι. N tamen sine discrimine utrumque dici apparet: ὑπό τιν ὠφελεῖσθαι is dicitur, quem cogitamus ab altero ip juvari, ἀπό τινος, qui altero utitur ad suum comm dum, ut vel opibus ejus vel alio quocunque modo j vetur. Ceterum saepissime ἀπό τινος ὠφελεῖσθαι de re dicitur, unde utilitatem percipimus, velut ἀπὸ τῆς γεω γίας, ἀπὸ τοῦ πολέμου, ἀπὸ τούτων ἃ παρ᾽ ἑτέρου τι λαμβάνει (Plat. Euthyphr. p. 15. A.), quo sensu non rar etiam ἔκ τινος ὠφελεῖσθαι dicitur. Lys. ἀπολ. δωροδ. p 706: ἐκ τῶν ὑμετέρων ὠφέλημαι. Xenoph. Memm. II, 4, 1: ἐξ ὧν ἔμοιγε ἐδόκει μάλιστ᾽ ἂν ὠφελεῖσθαι. Plura vari generis exempla Schaeferus habet in H. Steph. Thes. et Alberti in N. T. libros p. 106.

§. 3. εὐπορίας τῆς παρὰ τούτου. H. e. ὠφελείας, quemadmodum εὐπορεῖν τινι χρήματα i. q. ὠφελεῖν τινα χρήμασιν. Conf. ad or. de Apollod. her. §. 8. — Mox pro εἰσάγων res ipsa flagitat εἰσαγαγών. Nempe semel tantum in phratriae album inscriptus est Euphiletus: contra educatus et eruditus per omne pueritiae tempus. Etiam articulus ante φράτορας per legem sermonis abesse nequit. De usu verbi ἀσκεῖν dixi ad or. de Apoll. her. §. 14

§. 4. εἰ νῦν μὲν ὑπόδικον ἐμαυτὸν καθιστὰς μαρτυρῶ — Ὑπόδικον se dicit propter δίκην ψευδομαρτυριῶν, quae ab adversariis intendi poterat. Cf. infr. §. 8. Demosth. III adv. Aphob. p. 849, 19. ctr. Boeot. p. 1024, 16. ctr. Eubulid. p. 1300, 21. Μαρτυρῶ autem rectissime habet,

andoquidem dixit reapse testimonium. Neque igitur udiendus Sylburgus, qui μαρτυροῖμι potius scribendum nset propter sequentem optativum φαινοίμην. Diversis odis uti oratorem res ipsa cogebat; neque quidquam li indicativi cum optativo compositione frequentius. id. Matthiae gr. Gr. p. 1016. Reiskii ad h. l. conctures commemorare supersedeo.

§. 5. αἱ πρόγονοι. Ita recte Reiskius dedit, „quod filiabus, de quibus agitur, et praemisso ἀλλήλαις viaretur convenientius.“ Utriusque generis ὁ et ἡ πρόγονος exempla vid. in H. Steph. Thesaur. c. 2963. Cerum quod nonnulli προγονός scribunt ὀξυτόνως, quo icilius scilicet privigni distinguantur a majoribus, sine longea ratione facere videntur: quamquam etiam hodirnos Graecos ita pronuntiare testatur Coraës ad Plutarch. 'ompej. cap. 9. — Euphileti matrem, hujus qui loquir novercam, etiam nunc superstitem fuisse docet §. 9.

§. 6. καὶ μὴν οὐδ' ἂν ὁ θεῖος, πρὸς μητρὸς ἡμῖν ὢν οὕτῳ δὲ οὐδὲν προσήκων δήπου. Ita interpungendum, uo plana fiat loci sententia: *Nec sane ὁ θεῖος, quippe ui maternus nobis sit, non paternus (avunculus, non paruus), ac proin cum fratre nostro, ex alia matre proreato, nequaquam cognatus* —. Est igitur idem ac si ixisset ἅτε δὴ πρὸς μητρὸς ἡμῖν ὤν, neque cum Reiskio omen viri proprium post articulum excidisse putabimus. Οὐδ' ἂν pro οὐκ ἂν plane necessarium videbatur, quambrem reponere non dubitavi. Mox autem Sylburgi conecturae εἰσεποιοῦμεν praeferendam duxi codicum lectioem εἰσποιοῦμεν. Id quomodo accipiendum sit patet ex is, quae ad §. 1 monui: neque praesentis indicativus in protasi, licet in apodosi imperfectum sit, peritiores offendet. Xenoph. Hieron. c. I, 9: εἰ γὰρ οὕτως ταῦτ' ἔχει, πῶς ἂν πολλοὶ ἐπεθύμουν τυραννεῖν; ad quem locum cf. Frotscher. Add. fr. pro tut. §. 4.

καταγνοίη ψευδομαρτυρίαν. Paullo rarioris usus est singularis hujus nominis, et poterat h. l. etiam καταγνοίη ψευδομαρτυριῶν dici, ut παρανόμων αὐτοῦ κατέγνωτε apud Demosth. in Aristogit. I p. 790, 19. παρανοίας

ὑμεῖς κατεγιγνώσκετε ὑμῶν αὐτῶν Prooem. p. 1444, 1[illegible] [Lycurg. c. Leocr. c. 36.] — Ψευδομαρτυρίαν legit etiam ap. Demosth. or. ctr. Spud. p. 1033, 1: κινδυνεύ[illegible] τὴν ψευδομαρτυρίαν. neque codices variant. Tamen [illegible] veritate lectionis dubito.

§. 7. τοῦ σεμνοτάτου. Non raro hoc de affecta quadam gravitate ac dignitatis ostentatione dicitur. Co[illegible] Muret. Varr. Lectt. p. 234 Wolf. Spanhem. ad Aristop[illegible] Nubb. v. 48. — De omissione praepositionis ἐκ τούτ[illegible] ὧν pro ἐξ ὧν vid. Schaefer. ad Dionys. de C. V. p. 3[illegible] Appar. crit. II p. 200. ad Soph. Oed. Col. v. 794.

§. 8. ἤξίουν. Desideret aliquis ἂν particulam. S[illegible] vid. quae citavi ad or. de Nicostr. her. §. 11.

§. 9. ὅρκον ὀμόσαι ἐβούλετο. De jurejurando a m[illegible] liere oblato vid. quae dixi de ord. jud. p. 687 sq. [illegible] Δελφινίῳ autem designat notissimum illud Ephetarum dicasterium prope templum Apollinis Delphinii (Matth[illegible] miscell. philol. part. 2 p. 151. Leake topogr. Ath. [illegible] 108), in quo num diaetetae quoque judicaverint ex h[illegible] quidem loco non satis liquido constare dixi de ord. ju[illegible] p. 142: quamquam si quis contendat, ego non obnitar.

§. 10. ἕτοιμος δ' εἰμὶ ὀμόσαι. Etiam de hoc loco disputavi in libro de ord. jud. p. 675, quae nunc repe[illegible] tere nolo. De διάφορος cum genitivo vid. ad or. d[illegible] Cleonymi her. §. 9.

IN FRAGMENTA

ORATIONIS PRO EUMATHE.

'rooemium hujus orationis extat apud Dionys. Hal. l. l. 593. Reisk. O. G. VII p. 309, alterum fragmentum ɔud Harpocrationem et Suidam s. v. ἄγει et ἄγοι, et ı Lex. Seguer. Bekk. Anecd. I p. 329 extr. tertium ı Συναγ. λέξ. χρήσ. in Bachmann. Anecd. p. 218. Suid. v. ἐμποδών. Etym. M. p. 336, 29. Apostol. prov. ent. VIII, 20. Argumentum breviter indicavit Dionyius cujus verba hic quoque hypotheseos loco a me praexa sunt. Versatur autem oratio in causa liberali. Euathes enim libertinus fuit, qui postquam a domino pigene manu missus erat, argentariam facere coeperat. luno post Epigenis mortem heres ejus Dionysius tamuam servum suum vindicat et abducere conatur. Asertor Eumathis fit Xenocles et per ἀφαίρεσιν s. ἐξαίρεσιν hominem vindicanti eripit: cujus rei qualis fuerit rdo legitimus diligenter expositum est a Meiero de ord. ad. p. 396 sq. Propter hanc ἀφαίρεσιν actionem Xeocli intendit Dionysius, cujus formulam, licet non ntegram, habemus in altero fragmento. Defendit se t Eumathis libertatem tuetur hac oratione Xenocles. —)eterum quod in formula illa apud Harpocrationem leimus (nam Suidas et Lex. Seguer. postrema verba omitunt): ἄγοντος ἐμοῦ εἰς δουλείαν κατὰ τὸ ἐμὸν μέρος: tatuendum est praeter Dionysium etiam alios, unum erte fuisse Epigenis heredem, ad quem; si quidem

IN FRAGMENTA

ORATIONIS PRO TUTORE.

Haec quoque duo fragmenta extant apud Dionysium l. l., alterum p. 598 (315), alterum p. 607 (329): atque hoc posterius licet Dionysius ex eadem oratione desumptum esse non dicat, res tamen ipsa indidem esse demonstrat. Defendit autem hac se oratione tutor contra actionem tutelae (*δίκην ἐπιτροπῆς*) a pupillis, fratris v. sororis filiis, ipsi intentam. Priori fragmento prooemium continetur: alterum ad probationem pertinet. Quod autem Dionysius tutorem in jus vocatum esse dicit *ὑπὸ τῶν ἀδελφιδῶν*, quum in utroque fragmento unus tantum sit *ἀδελφιδοῦς*: probabile est plures quidem fuisse pupillos, sed ab uno tantum, natu maximo, qui soluta tutela minorum *κύριος* factus esset, tutorem accusatum esse.

Primam periodum corruptissimam esse apparet, neque satis certa emendatio facile reperiri potest. Reiskius quidem, quod jure mireris, in priori membro *ἠβουλόμην* —— *λαγχάνειν* nihil videtur offendisse praeter collocationem verborum: nam *ἀγνοηθέντα προσχήματα* interpretatur *criminationes peccatas* h. e. *in quibus peccatum sit*; *αἰσχρῶς* autem aut cum *λίαν* conjungendum esse putat aut cum *ἐπιβουλεύειν*: sed illud potius verum ac proin totius loci sententiam hanc esse: *vellem utique infamia nulla criminum laborare tam supra modum turpium.* Sed ut de aliis rebus imprimisque de inaudita ista adverbiorum transpositione taceam, apparet a Reiskio pr

subjecto infinitivi ἔχειν habitum esse illum ipsum qui loquitur, id quod fieri non posse sequentia docent ὥστε δίκας τοιαύτας λαγχάνειν: neque enim is sed adversarius τὴν δίκην ἔλαχεν. Verum ne hic quidem adversarius pro subjecto haberi potest, quum manifestum sit in proximo membro quae de adversario dicuntur opponi his, quae in priori dicta sunt: quamobrem haec de alio quopiam dicta esse oportet. Neque ego commodiorem totius loci sententiam exputo, quam ut orator velle se dicat, aut neminem tam turpiter lucri cupidum esse ut alienis facultatibus insidietur talesque actiones adversus insontes instituat, aut certe suum adversarium, quippe ἀδελφιδοῦν, suas potius res agere quam tutoris bona appetere etc. Idem fuisse Bekkeri judicium emendationes ejus ostendunt: ex quibus unam πρὸς χρήματ' pro προσχήματ', utpote et certissimam et facillimam, recipere non dubitavi: alteram εἰ δὲ μή, ἀλλ' οὖν τοῦτόν γε ὄντ' ἀδελφιδοῦν, licet paullo audaciorem, talem tamen judico, qua meliorem nemo inveniat: tertiam denique, μηδένα reponendum esse, ita comprobo, ut λίαν non delendum censeam. Scripsit fortasse Isaeus μηδένα λίαν οὕτως ἀπονοηθέντα. De collocatione adverbii οὕτως conf. quae citavi ad or. de Pyrrh. her. §. 37. ἀπονοηθεὶς est qui caeca et effreni cupiditate agitur. Dionys. Hal. A. R. IV, 28 de Tullia: ἔπειτα δὲ ἡ κακὴ τὴν φύσιν ἀπονοηθεῖσα καὶ νομίσασα τοῖς ἑαυτῆς τρόποις ἁρμόττειν μάλιστα τὸν τῆς ἀδελφῆς ἄνδρα, μεταπέμπεται αὐτόν. Ceterum cum tota periodi conformatione conf. init. fr. V. et Demosth. in Euerg. p. 1140, 5.

ὑφ' ἡμῶν αὐτῷ παραδοθείσης: *a me ceterisque tutoribus.* Tutores enim plures esse solebant. Vid. de ord. jud. p. 445 sq.

§. 2. πιστεύων δ' ἑταιρίαις. Cf. de ord. jud. p. 709.

§. 3. Πόθεν χρὴ πιστεύεσθαι —. Haec cur non cum Bekkero putaverim omittenda esse exposui ad or. de Ciron. her. §. 28.

§. 4. ἐχρῆν δὲ αὐτὸν, εἴπερ τι δίκαιον φρονεῖ. — De praesenti in protasi dictum est ad fr. pro Euphil. §. 6.

et est sane frequentissimum, quum in apodosi est ἐν ἐχρῆν et similia. — Ceterum apparet tutorem in ratio-bus reddendis aliquot pecuniae summas expensas tuli tributorum (εἰσφορῶν) nomine: horum enim non imma-nes fuisse pupillos constat, licet liturgias, quae propri dicuntur, non obirent. Vid. Boeckh. de oecon. r. p. A. II p. 5. Has rationes mala fide confectas esse cri-minatus erat adversarius, sed ita ut singulatim omni excutere et accurate examinare negligeret: id quod ni-que fieri debuisse tutor contendit. — Reiskii emendatio-nes quin certissimae sint nemo dubitabit. — κατὰ νέον ἀργύριον idem esse arbitror atque κατὰ πόσον τίμημα, quod quid sit Boeckhius docebit l. l. p. 38 sqq. et 5 sqq. — In fine post τὸ τε exciderant fortasse haec: καὶ δικαίως εἶχε.

IN FRAGMENTUM

ORATIONIS CONTRA DEMOTAS.

Extat apud Dionysium l. l. p. 603 (322). Prooemium est orationis, qua quis fundum, quem pro pignore a demotis injuria detineri conqueritur, reddi sibi postulat. Hoc enim a Dionysio docemur: qua de causa autem illi fundum sibi obligatum contenderint,*) hic negaverit, perspici ex hoc fragmento non potest.

§. 1. *πάντων πραγμάτων λυπηρότατον συμβέβηκεν.* Quod Reiskius malle se dicit *τὸ λυπηρότατον*, injuria mavult. Cf. de Philoct. her. §. 35: *καὶ πάντων δεινότατον πρᾶγμα κατεσκεύασαν.* Lycurg. in Leocr. p. 143 (cap. 4): *οἱ μὲν γὰρ πλεῖστοι τῶν εἰς ὑμᾶς εἰσιόντων πάντων ἀτοπώτατον ποιοῦσιν.* Cavendum est in hujusmodi exemplis ne nostrae linguae consuetudine in errorem inducamur, quae superlativum cum tali adjectivo, quale est *πάντων*, non solet conjungere sine articulo. Graecae loquutionis haec vis est, quasi dicas: *aliquid, quod prae ceteris molestissimum est.* et recte Heindorf. ad Plat. Gorg. pag. 65 ed. I et Osann. ad Lycurg. p. 25 indefinitum pronomen *τὶ* explicandae loquutioni adhibuerunt, immerito reprehensi a Pinzgero. — Mox *ἀηδὲς* quod recepi pro *ἡδέως* neminem fore puto, qui reprehendat et Reiskii potiorem judicet sententiam. Is enim, quum ap. Dionys.

*) Fortasse propter conducta demi praedia, qua de re cf. Boeckh. de oecon. r. p. Ath. II p. 337.

p. 606 (323) in hujus loci repetitione legatur ἂν ἡδέως, hinc rescribendum suadet αὖ ἡδέως, et addendum ἂν βουλοίμην v. οὐκ ἂν δεξαίμην.

μεθ' ὧν ἀνάγκη καὶ συνουσίας κοινὰς ποιεῖσθαι. „Prius hoc καὶ deesse membrum alterum isti oppositum, quo facta fuisset mentio privatorum quoque congressuum aut commerciorum, quemadmodum publicorum hic facta fuit. Suspicor itaque deesse καὶ ἴδια συναλλάγματα, aut ἴδια συμβόλαια, aut ἰδίας διατριβάς, aut tale quid, sive id ante καὶ συνουσίας κοινὰς ponas, sive post." Reisk. Ego vero facilius adducor ut credam Isaeum scripsisse συνουσίας καὶ θυσίας κοινάς.

πρὸς μὲν οὖν πολλοὺς χαλεπὸν ἀντιδικεῖν. Demotarum causas unus, ut videtur, Demarchus agere solebat (vid. de ord. jud. p. 568); dubitari tamen non potest, quin huic multi ex demotis vel συνήγοροι vel testes affuerint. His igitur numerum ipsum (τὸ πλῆθος) conferre aliquid dicit, quo facilius fidem iis judices habeant. Mirum in modum erravit interpres qui haec ita convertit: magnam enim partem eos vera dicere multitudo sibi persuadet. De loquutione μέγα μέρος συμβάλλεσθαι cf. Isocr. de permut. p. 75 Orell.: μέρος τι συμβεβλημένος τοῦ μὴ κατὰ τρόπον γνωσθῆναι περὶ αὐτόν. Lys. ctra Nicomach. p. 851: καὶ γὰρ ὑμᾶς φεύγειν μέρος τι καὶ αὐτὸς συνεβάλετο.

IN FRAGMENTUM

ORATIONIS CONTRA HERMONEM.

xtat hoc fragmentum apud Suidam s. v. ἀνάκαιον, tom. p. 165 Küst. — Hermoni adversarius objicit quod Herocratem quendam, libertum suum hunc esse causatus, carcerem conjecerit, neque prius dimiserit quam iginta drachmis ab eo exactis. Τὸ ἀναγκαῖον privatum ırcerem esse censet Maussacus ad Harpocrat. tom. 2 p.) Lips., publicum I. H. Bornius diss. de poen. libert. ıgrat. ap. Rom. (Lips. 1738.) p. 12. Et sane argumens Maussacus usus est non satis validis. Nam quod Suias ἀνάκαιον fuisse dicit τὸ δεσμωτήριον εἰς ὃ κατέθεντο οὺς πονηροὺς δούλους καὶ τῶν ἀπελευθέρων τοὺς ἀφισταμένυς, discerni non potest utrum de privata an de publica coercitione accipiendum sit: multo autem minus x Romanorum institutis de Atheniensium jure conjecturam capere licet. Mihi quidem veri simile videtur Iermocratem, μέτοικον haud dubie, ab Hermone ἀποταὐlov postulatum et, quum vades dare non posset, in arcerem conjectum esse (vid. de ord. jud. p. 580), mox utem Hermonem pecunia accepta ab actione destitisse, uo facto illum e carcere dimitti oportuit. — Ceterum ναγκαῖον potius scribendum putavi cum Maussaco l. l., uam ἀνάκαιον, quod est apud Suidam. Illud habet Iarpocratio p. 15. 16, hunc ipsum Isaei locum respiiens; alterum Etymol. M. p. 98, 30, sed ita ut Boeoorum hoc proprium dicere videatur: ἀνάκαιον. τι (scr. τὸ)

δεσμωτήριον παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς οὕτω καλούμενον, ὡς κ παρὰ τοῖς Κυπρίοις ὁ κέραμος. Atqui Boeotis quoque m *ἀνάκαιον* sed *ἀναγκαῖον* tribuitur in Lex. rhet. p. 2 15, eodemque nomine Thebanorum carcerem desig tum legimus apud Xenophontem Hell. V, 4, 8 et 1 Et est sane haec forma probabilior, licet illam alter ap. Etymol. quo minus librarii errori tribuendam c seamus vetant quae statim subjunguntur: *ἀξιοῦσι δέ τ ἀνακεῖον γράφεσθαι, ὅπερ ἐστὶ τὸ Διοσκουρεῖον.* Perti autem haud dubie hoc glossema ad aliquem scripto locum, de quo dubitarunt olim interpretes, utra for praestaret et carcerne an templum Castorum intellig dum esset. Similiter ambigere interpretes videmus i Demosth. ctr. Steph. I p. 1125, 24: *πονηρὸς οὕτως ἄν θεν ἐκ τοῦ ἀνακείου καὶ ἄδικος,* ubi Reiskius *ergastul pistrinum* intelligit, Wolfius autem et Schaeferus *te plum*, et vere quidem. Vid. App. crit. V p. 198. C rum Boeoti fortasse, ut *Φίκα* dixerunt pro *Σφίγγα*, i etiam *ἀνακαῖον* (non *ἀνάκαιον*) pro *ἀναγκαῖον* dixisse vi deri poterunt. Quamquam fuerunt qui illud nomen Phoenicum lingua repeterent, a Cadmo scilicet in Boeo tiam advectum, e quibus unum laudare sufficit doctiss mum Hamakerum Miscell. Phoenic. p. 302. Facili equidem de Carthaginiensium carcere, quem *ἀγκῶνα* di ctum esse Procopius docet Vandal. I c. 20 et Suid. v *ἀγκών*, Hamakero crediderim, nomen cum *chanak* (Sy *chnak*) *detentus, impeditus fuit*, unde *chanka* Chald. c *chnoko* Syr. *vinculum*, comparanti. Nam Poenorum Punicae linguae in illis regionibus etiam Procopii a tate aliquas reliquias fuisse nemo dubitaverit. Kan giesserum autem in convers. Procop. vernac. tom. II p. 96 nomen illud ab Anco Marcio derivantem nem opinor, audiet.

IN FRAGMENTA

ORATIONUM INCERTARUM.

E Dionys. l. l. p. 609 (336). — Pecuniam sibi is ui orationem habet deberi contendit ab aliis nescio quius, quam hi jam redditam a se esse opponunt. Id actor ›futare conatur, conqueriturque de alio quodam, qui lis potius quam sibi fidem se habere simulat. Neque nim testes ab illis productos esse eos, coram quibus ›cuniam a se redditam esse dixerint, neque credibile ›se, qui patrem suum (h. e. actoris ejusque fratrum; ›ant enim plures litis consortes), quum is integro statu πίτιμος) esset, pecunia spoliaverint, hos sibi, quum τιμίᾳ affecti essent neque jus suum persequi possent, ›dditurος quod deberent fuisse. — Haec verborum sen›ntia satis aperta est. Corruptis ita medendum videtur, t vers. 2 pro παρεχόμενος reponatur παρεχομένων, id uod res ipsa flagitat, et δοῦναι deleatur, ut e seq. ἀποοῦναι temere huc illatum, vers. 3 autem ὡς mutetur n ὅμως. Reliqua Bekkerus Addend. p. 697 ita emenat: καίτοι πᾶσι φανερὸν ὡς οἵ γε τὸν τούτου πατέρα ἀπεσέρουν ὄντα ἐπίτιμον, οὗτοι ἡμῖν ἑκόντες οὐκ ἂν ἀπέδοσαν, εἰσπράξασθαι οὕτως ἔχοντες οὐκ ἂν ἐδυνήθημεν. Mihi ›otius visum est, relictis illis ὡς ἔοικε, τὸν τούτου muandum in τοὺς τὸν, ἀποστεροῦν in ἀποστεροῦντας, deniue ante εἰσπράξασθαι aut οἵτινες aut etiam cum Bekkero addendum, ut ἀνακολούθως orator post φανερὸν τοὺς ἀποστεροῦντας non infinitivum ἀποδοῦναι sed tempus fini-

tum ἀπέδοσαν posuerit. — οὕτως ἔχοντας de ἀτιμίᾳ accipiendum esse ostendit oppositum ἐπίτιμον ὄντα: et si ἄτιμοι essent, lege agere non potuisse constat. Vid. or. de Aristarch. her. §. 20 et ib. not.

II. E Dionys. l. l. p. 610 (340). — Corruptissimi hujus fragmenti sententia talis esse videtur: conqueri aliquis se ἐπισκευήν quandam h. e. aedificii refectionem efficere nequivisse adversariorum culpa, quippe ipsius facultatibus partim per liturgias absumptis, partim pro re quadam conducta oppigneratis, quae sibi ex conductione debitis sibi reliqua futura fuissent, remota eripere sibi conati sint. — Corruptelae plurimae sunt et apertissimae: emendatio certa vereor ut inveniri possit. Nam Reiskii rationem accuratius redarguere non opus est, qui quidem persanatum locum putat reposito vers. 2 καταλελειτουργηκότι pro καταλελειτουργηκότα et vers. 5 με pro μέν, quod priores editt. habent, constructionem autem hanc esse statuit: οὗτοι ἐκώλυσάν με ποιήσασθαι τὴν ἐπισκευήν, λαχόντες ἐμοὶ τηλικαύτην δίκην, προσῆκεν, ἀποδεδωκότι τὰς μισθώσεις, ἔχειν πάντα τὰ ὑπάρχοντα τούτῳ, ὃς πάντα μὲν τἄλλα τὰ ἔξω τῶν ἀποτιμημάτων αὐτῷ ὄντα καταλελειτούργηκεν, εἰ δὲ δανείζεσθαι δέοι τι, οὐκ ἂν εὗρε τὸν ἐπ' αὐτοῖς πλέον τι δανείσοντα. — Ego vero primum relativum illud ᾧ vers. 1, quod quum ita positum sit, ut necessario requiratur in sequentibus aliquid quo referatur, nihil tamen habet, quo referri possit, corruptum affirmare non dubito. Jam vero καταλελειτουργηκότα neque ipsum habet unde pendeat, neque si in dativum mutetur, quidquam eo proficitur. Porro in his δανειζομένῳ δ' οὐδεὶς ἂν ἔδωκεν — οὐδὲ ἀποδεδωκότι τὰς μισθώσεις, ἔχειν κτλ. nulla est sententia, sed apparet excidisse objectum verbi ἔχειν, idque ejusmodi, quod opponeretur illi ἃ μὲν ὑπῆρχεν. Hoc igitur reponendum est, et quidem ante verb. ἀποδεδωκότι. Denique vers. 5 μέν quin in με mutandum sit non dubium est: quamobrem hoc statim reposui. Jam si mihi illud ᾧ in καί, καταλελειτουργηκότα in καταλελειτούργηκα et καταλελειτουργήκειν mutare concedatur, probabilis eiusd

ructura et sententia: καὶ γὰρ ἃ μὲν ὑπῆρχεν ἔξω τῶν ποτιμηθέντων καταλελειτούργηκα, δανειζομένῳ δ' οὐδεὶς ν ἔδωκεν ἐπ' αὐτοῖς ἔτι πλέον οὐδέν· ἃ δὲ, ἀποδεδωκότι τὰς μισθώσεις, ἔχειν ἐμοὶ προσῆκον (aut προσῆκεν) ναμφισβητήτως, οὗτοι κτλ. — Τὰ ἀποτιμηθέντα sunt hypothecae quas constituit qui aliena conducit, velut pupillorum bona, praedia etc. Vid. Harpocrat. v. ἀποτιηταί. Boeckh. de oecon. r. p. A. I p. 158. Ad haec ποτιμηθέντα pertinet in seqq. pronomen ἐπ' αὐτοῖς, et δωκεν apparet idem h. l. significare quod ἐδάνεισεν, δαειζομένῳ autem de conatu accipiendum esse. *Si quid*, nquit, *foenori sumere voluissem, nemo mihi in illa bona uae jam oppignerata erant, quidquam amplius crediturus uit.*

Ἀποδοῦναι τὰς μισθώσεις eum dici arbitror, qui rem conductam debitasque pensiones reddit, quo facto liberetur oportet hypotheca. Haec igitur est, aut aliqua ejus pars (nam fieri potest ut debitum solvere non potuerit nisi venditis nonnullis eorum praediorum, quae pro hypotheca fuerant, ut Meneclem facere vidimus or. II §. 20 coll. comm. p. 214) quam dicit sibi convenisse ἀναμφισβητήτως ἔχειν: sed hanc quoque adversarii ei eripere conati sunt. Ἡ ἐπισκευὴ qualis fuerit, ex hariolo, non ex interprete quaerendum est.

III. Ex Joannis Stobaei Florilegio IV, 54. tom. I p. 152 Gaisf. — Pro ἡγοῦμαι marg. Geon. habet ἡγοῦ, pro μεγίστην cod. Paris. B. μέγιστον. Ex eodem codice τὸν a me repositum est pro vulg. τό.

IV. E Stobaeo l. l. XLVI, 25. tom. 2 p. 262.

V. Ex eodem XLVIII, 25. tom. 2 p. 306. — πραοτέρως e cod. Paris. A et ed. Trinc. repositum est pro vulg. πραοτέρους.

VI. Apud Priscianum A. G. XVIII, 20, 158 inter exempla verbi αἰσθάνομαι cum accusativo constructi in edd. Ald. Bas. Col. affertur etiam hoc Isaei fragmentum, in ceteris edd. omissum, neque in codd. a Krehlio inventum, ab Aldino tamen editore haud dubie ex aliquo codice expressum. Conf. Spengel. ind. graec. loc. ap.

Priscian. p. 636. Corrigendum arbitror in hunc modum: *Τί δὲ τοιούτων δεῖ μαρτυριῶν εἰ* (aut simile quid) *οἱ εἰκάζοντες τὰ μὲν αὐτοὶ συνειδότες, ὅτι ὑγίαινεν ὁ παῖς, τὰ δὲ τῶν ἑωρακότων αἰσθανόμενοι κτλ.* Non integram periodum esse apparet. — Quae praeter hoc fragmentum ex Isaeo citantur a Prisciano, haec sunt: XVII, 18, 126: *Isaeus ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην: οὐκ ἂν τὰ ἴδια τὰ ἐμαυτοῦ.* et XVIII, 25, 252: *Attici ὅταν ἔλθῃ de futuro dicunt; Isaeus etiam de praeterito: Ὅταν ἔλθῃ εἰώθει παρ' ἐμὲ κατάγεσθαι. et iterum: Ὅταν ἔλθω παρ' ἐκείνῳ κατηγόμην.* — *Εἰώθει* pro vulg. *ἔσωθεν* scribendum esse quilibet sua sponte intelligit; et ita scriptum esse in cod. Monac. Spengelius testatur l. l. p. 631. Constructio sane permira, cujus plura exempla apud probatos scriptores vix invenias.

INDEX

RIPTORUM RERUM ET VERBORUM QUAE IN COMMENTARIIS TRACTANTUR.

A.

B.

C. K.

D. Δ.

E.

"Ητα.

F.

G. Γ.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 1 annot. 4. pro ἦν] ἦν scrib. ἦν] ἦν.

— 2 §. 1, 8. ἀργύριον. Ita quidem B. L., sed supra scripto α.

— 6 annot. ad §. 15, 4 add.: αὐτοῦ om. P. Z.

— 8 §. 22, 6. ἐκείνῳ] ἐκεῖνο A. B. ἐκείνω Q.

— 14 §. 51, 5. Non debebam, opinor, Bekkero refragari. Innumeris certe locis illas formas a librariis permutatas esse constat.

— 27 §. 46, 5. μηδ' mutandum in μήτ'.

— 30 annot. ad §. 6, 4. Consulto Bekkerus articulum omisisse videtur, quem neque Ald. St. habeant, neque codices, ut arbitror. Neque tamen dubito quin recte a Reiskio additus sit.

— 42 annot. ad §. 56, 3. addendum fuit etiam St. πῶς habere sine uncinis.

— ib. §. 58, 6. εἰ om. Ald. St.

— 44 §. 64, 4. non Ald. etc. (h. e. St. et Reisk.) habent τελευτήσας, sed Reiskius τελευτήσαι reposuit. τελευτήσῃ etiam Topham.

P. 44 §. 67, 1. Dormitavi quum εἶτα pro *tamen* accipiendum et τί ab h. l. alienum esse dixi. *Ad ea* quae de sententia loci in comment. dicta sunt, haec etiam, *quo planior* fiat, addere libet. Quaeri, inquit, ex iis *oportet* primum num forte propterea, quod concedant Endio a Pyrrho adoptatum esse, testes hujus adoptionis in *jus* vocarint [id quod cum irrisione dictum esse *appa*reret]; dein quam ob caussam [τί] postremo heredes h. e. Endio omisso Pyrrhi nunc, non Endii, bona petant. — *Scilicet* pugnant haec inter se, Endium adoptatum concedere, et tamen testes in jus vocare itemque non Endii sed Pyrrhi bona petere.

— 60 §. 6, 7. scrib. ποιητός.

— 61 §. 8, 3. 4. scrib. τοτὲ μὲν — τοτὲ δ'.

— 67 §. 31, 4. annot. scrib. ἤξίου Ald. Bekk. ἠξίου St. R.

92 §. 39, 3. scrib.: De officio parentes alendi
02 §. 2, 15. pro I, 14 scr. II, 19.
17, v. 1. ἐξερημώσων
40. Exemplis in ima pagina laudatis add. Plutarch. Cat. maj. c. 23. ὡς ἐν ᾅδου παρὰ Μίνῳ χρησομένους ταῖς τέχναις καὶ δίκας ἐροῦντας.
272, 20 pro *priores duae syllabae* scr. *priores tres syllabae*.
274 §. 9 extr. De libertinorum hereditatibus conferendus est locus Rhetor. ad Alexandr. 1, 16 etiam a Meiero meo laudatus de bon. damn. p. 234: καθάπερ ὁ νομοθέτης κληρονόμους πεποίηκε τοὺς ἐγγυτάτω γένους ὄντας τοῖς ἄπαισιν ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ τῶν τοῦ ἀπελευθέρου χρημάτων ἐμὲ νῦν προσήκει κύριον γενέσθαι. τῶν γὰρ ἀπελευθερωσάντων αὐτὸν τεθνηκότων ἐγγυτάτω γένους αὐτὸς ὢν καὶ τῶν ἀπελευθέρων δίκαιος ἂν εἴην ἄρχειν.
284, 6 a fin. scrib. *restituturum*.
291, 6 a fin. scrib. *belli Olynthii initium*.
P. 292, 3 a fin. scrib. *ab a.* 382 — 379.
— 298, 8 scr. *adstruxit*, et vers. 10: οἰκίᾳ. [Utrumque mihi bis corrigenti operae non paruerunt. *Sp.*]
— 320. Sic scribe pro 032.
— 339 extr. pro λύειν scrib. λύεσθαι et p. 340, 1 ἀπολύεσθαι.
— 343 §. 43, 4 scrib. ἐκφορηθέντων.
— 362 init. Locis laudatis adde Anonym. oecon. cap. 13 p. 20 Goettl.: ἕως ἂν καὶ τὸ ἀρχαῖον εὐπορήσωσι. ubi nollem vir amicissimus ex antecedentibus suppleri jussisset infinitivum καταφέρειν.
— 393 §. 31, 5 a fin. pro *ap.* scrib. *ad*
— 415 §. 15, 20. scrib. *diligentes* pro *diligenter*. [Ter ab me correctum typothetae negligentia reliquit. *Sp.*].

Haec fere sunt quae mihi admodum festinanti animadvertere licuit. Nam leviora, velut λέγοντες φασὶ p. 1. ὡς φασὶν p. 9 aliaque ejusdem generis sciens praetermisi.







